BIBLIOTECA DE TEOLOGOS ESPAÑOLES
DIRIGIDA POR LOS DOMINICOS DE LAS PROVINCIAS DE ESPAÑA
VOL. 21
C 4

J. M. RAMIREZ, O. P.

LIBRARY
ST. MARY'S COLLEGE
ST. MARYS, KANSAS

DE ORDINE

PLACITA QUAEDAM THOMISTICA

School of Divinity Library
St. Louis, Missouri 63108

B
765
.T54
R24

SALMANTICAE
SAN ESTEBAN Apartado 17
1963

111
RIH

74016

Nihil obstat:

Fr. Vincentius Beltrán de Heredia, O. P.
Fr. Victorinus Rodríguez, O. P.

Imprimi potest:

Fr. Anicetus Fernández, O. P.
Provincialis

Imprimatur:

✠ Fr. Franciscus, O. P., Episcopus Salmantinus
Salmanticae, die 20 iulii 1962

Depósito legal: BU. - 234 - 1962

N.° de Registro: SA. - 306 - 1963

Imprenta de Aldecoa — Burgos 18119

16 4 DEC

INDEX

Págs.

PROOEMIUM 1

SECTIO I

NOTIO ORDINIS

CAPUT I. — SENSUS, ORIGO ET EVOLUTIO SEMANTICA VERBI "ORDO" 3

CAPUT II. — PROPRIISSIMA EIUS ACEPTIO IN REBUS HUMANIS ET CREATIS 14

I. Requisita ad ordinem presse dictum 14

1. Ex parte rerum ordinatarum 14

2. Ex parte ipsius ordinationis 15

II. Descriptio ordinis stricte dicti 16

III. Modus analogíae eius 17

SECTIO II

GENERA FUNDAMENTALIA ORDINUM

CAPUT I. — SECUNDUM GENUS CAUSAE FINALIS 19

CAPUT II. — SECUNDUM GENUS CAUSAE EFFICIENTIS 23

CAPUT III. — SECUNDUM GENUS CAUSAE MATERIALIS 28

I. Diversae acceptiones "materiae" 28

II. Ordo secundum causam materialem "ex qua" 29

III. Ordo secundum causam materialem "in qua" 29

IV. Ordo secundum causam materialem "circa quam" 30

CAPUT IV. — SECUNDUM GENUS CAUSAE FORMALIS INTRINSECAE 36

Art. 1. — *Inter formam substantialem et accidentalem* 38

Págs.

Art. 2. — *Inter ipsas formas substantiales* 40
I. Analogia inaequalitatis 44
II. Analogia attributionis intrinsecae 45

Art. 3. — *Inter ipsas formas accidentales. Inter diversa genera vel modos qualitatis* 50

Art. 4. — *Inter qualitates corporales et spirituales* 53

Art. 5. — *Inter qualitates naturales et supernaturales* 56

PARS PRIOR. QUALITATES NATURALES

I. *Potentiae* 56
1. Potentiae naturales organicae 56
2. Potentiae naturales anorganicae 57

II. *Habitus operativi naturales* 64
1. Facultatum organicarum 65
2. Facultatum anorganicarum 68

A. Voluntatis 68

B. Intellectus possibilis 69
1. Natura habitus intellectualis. An sit idem ac species intelligibiles impressae 71
a. Habitus immediate iudicativi, scilicet intellectus principiorum et synderesis consistunt in solis speciebus intelligibilibus. Accedunt ad habitus angelorum 73
b. Habitus illativi sive mediate iudicativi, nempe sapientia et scientia, essentialiter coalescunt ex speciebus intelligibilibus et ex habilitate eas inveniendi, colligendi, ordinandi, ipsisque recto modo utendi 80
2. Eorum causa 81
3. Opinio 83
4. Ars et prudentia 84
5. Analogia habituum intellectualium inter se 87

Págs.

6. Analogia inter prudentiam et virtutes morales 88
7. Analogia inter prudentiam et ceteras virtutes intellectuales 95
8. Series ordinata habituum operativorum naturalium 100

PARS ALTERA. QUALITATES SUPERNATURALES

I. *Habitus supernaturales* 103
1. Habitus entitativi 103
2. Habitus operativi 105

A. Eorum natura per comparationem ad acquisitos 105
a. Specialiter habituum supernaturalium cognoscitivorum relate ab habitus naturales speculativos 108
b. Item virtutum infusarum relate ad acquisitas 110

B. Analogia inter habitus infusos et acquisitos 118

C. Modus analogia huius 122
a. Proportionalitatis metaphoricae inter habitos entitativos 122
b. Quid de analogia inter gratiam habitualem et animam humanam 123
c. Proportionalitatis propriae inter habitos operativos 127
d. Attributionis intrinsecae inter ipsos habitus infusos ad invicem comparatos 132

II. *Potentiae supernaturales*. Characteres sacramentales. 135
1. Analogia inter eos et naturalem potentiam 136
2. Modus analogiae huius. Proportionalitatis propriae cum potentia activa et passiva intellectus agentis et possibilis 137
3. Analogia attributionis intrinsecae inter ipsos characteres sacramentales 139

Págs.

Caput V. — Secundum genus causae formalis extrinsecae sive exemplaris 142
Art. 1. — *Notio et divisio causae exemplaris* 142
Art. 2. — *Analogia inter diversos modos causae exemplaris* 144
I. In humanis 146
II. In divinis 150
1. In ordine naturae 150
2. In ordine gratiae 155
III. Inter humana et divina 156

Caput VI. — Ordo et analogia inter ipsa quatuor genera causarum. 164
Art. 1. — *Analogia* 164
Art. 2. — *Modus huiusce analogiae. Analogia attributionis intrinsecae* 167
Art. 3. — *Analogia proportionalitatis propriae* 173
I. Inter causam finalem et efficientem 174
II. Inter causam formalem et materialem 175
1. Intra ipsam seriem causae materialis et formalis 177
2. Intra ipsam seriem causae efficientis et finalis . . 181

SECTIO III

CONSECTARIA DUO TRADITAE DOCTRINAE

Caput I. — Propria indoles atque divisio philosophiae 187
Art. 1. — *Notio et divisio philosophiae sumitur ex causis* . . . 187
Art. 2. — *Philosophia naturalis definit ac demonstrat per omnes causas* 188
Art. 3. — *Logica et Mathematica definiunt et demonstrant per solam causam formalem* 194
Art. 4. — *Philosophia moralis definit atque demonstrat per omnes causas* 200
Art. 5. — *Metaphysica definit quoque ac demonstrat per omnes causas* 205
Art. 6. — *Universa philosophia ut Sapientia reducitur ad considerationem ordinis* 215

Págs.

Caput II. — Bonum conmune totius universitatis creaturarum 217
Art. 1. — *Universitas creaturarum complectitur omnia praeter solum Deum* 217
Art. 2. — *Bonum eius consistit in ordine* 218
Art. 3. — *Ordo universi contexitur ordine et conexione causarum* 219
I. Ordo rerum naturalium 221
1. Ordo rerum pure corporalium 221
A. Ordo substantiarum 222
B. Ordo accidentium 223
2. Ordo rerum ex corpore et spiritu coalescentium 226
3. Ordo rerum pure spiritualium 227
II. Ordo rerum supernaturalium 230
1. Ordo gratiae gratis datae 231
2. Ordo gratiae gratum facientis 234
III. Ordo totius universitatis creaturarum a Deo et ad Deum 237
IV. Conclusio. Ordo totius universi et perfectio humani intellectus per Sapientiam 240

Notula Bibliographica 245
Indices 249
I. Index thomisticus 251
II. Index rerum analyticus 267
III. Index rerum generalis IX

PROOEMIUM

Inter verba frequentius usitata, et quidem amplissimo ac diversissimo sensu, adnumerandum venit procul dubio nomen ordo.

Loquimur enim de ordine motus, de ordine temporis, de ordine loci, de ordine generationis, de ordine dignitatis, de ordine causalitatis, de ordine intentionis, de ordine executionis, de ordine inventionis, de ordine disciplinae, de ordine sociali, de ordine politico, de ordinibus religiosorum, de ordinibus angelorum, de ordine caritatis, de sacramento ordinis, de ordine assumptionis partium humanae naturae a Verbo Dei, de ordine divinarum personarum in Trinitate, deque aliis sexcentis.

Ideo videtur utile de re tanti momenti nonnulla disserere, ut appareant germana eius notio, genera fundamentalia et praecipua consectaria, duce ac magistro Aquinate.

Non quod alios magistros ignoremus vel parvi faciamus; sed quia tanta est excellentia doctrinae eius de ordine, ut dignus sit qui audiatur ipse veluti Doctor Communis Ecclesiae in re philosophica et theologica. Quam ob rem de industria adducimus saepissime atque multiplicamus propria eius verba, ut suimet ipse sit interpres. Eo vel magis quod ipse solus tantam praebet doctrinae copiam, ut omnes eius discipulos atque expositores, etiam simul sumptos, longe superet.

Equidem facile nobis esset complures alios auctores de ordine loquentes, sive priores et Thomae coaevos sive posteriores, in medium adducere atque ad trutinam revocare, ut inde doctrinam eius illustraremus et confirmaremus ex omnium comparatione atque contributione.

Hoc tamen opus eruditionis et critices nimis dilataret scriptum nostrum absque sufficienti compensatione. Quia revera, studio atque examine peracto, comperimus ipsos nihil aut parum addere iis quae Aquinas tradidit, immo et saepe per devia vel anfracta dicurrere. Ideo satius duximus tali munere supersedere.

Utut sit, hoc unum saltem exploratum habebimus, germanam S. Thomae doctrinam de ordine. Quod sane alicuius esse utilitatis nemo prudens diffitebitur.

SECTIO I

NOTIO ORDINIS

CAPUT I

SENSUS, ORIGO ET EVOLUTIO SEMANTICA VERBI "ORDO"

1. Quaeritur ergo in primis utrum inter tot et tam varios usus istius nominis detur aliqua unitas vel convenientia, an e contra non adsit nisi pura diversitas. Uno verbo, utrum nomen hoc dicatur de illis omnibus pure aequivoce vel analogice.

Nam evidens est ipsum non dici univoce, cum nihil dicatur hoc modo de Deo et de creaturis; neque de rebus toto genere differentibus, ut sunt naturalia et supernaturalia, itemque temporalia et aeterna, substantialia et accidentalia (1).

Non est pure aequivocum

2. Atqui non dicitur per puram aequivocationem. Etenim in pure aequivocis, quae Aristoteles vocat ὁμώνυμα ἀπὸ τύχης (2), nulla datur similitudo neque convenientia neque dependentia inter diversa significata vel aceptiones nominis, sed sola unitas vocis, quae mero casu pluribus applicatur, "quia scilicet casu accidit quod unum nomen unus homo imposuit uni rei et alius alii rei, ut praecipue patet in diversis hominibus uno nomine nominatis" (3). Qua de causa historici, qui saepe offendunt eadem nomina et cognomina tributa diversis individuis eiusdem aetatis et professionis,. insudant plurimum ut aenigmata homonymiae detegant et aequivocationes devitent.

---

(1) S. THOMAS, *De Potentia*, 7, 7c et ad 2; *Summa Theol.* I, 13, 5c et 2 sed contra.

(2) *Ethica Nic.* I, 6, 1096b 26-27.

(3) S. THOMAS, *in I Ethic.*, lect 7; ed. A. PIROTTA, O. P, n.º 95. Taurini, 1934.

Sicut et casu accidit quod idem nomen *Cuba* dictum fuerit ab indigenis de insula et ab hispanis de dolio vini, absque ullo mutuo respectu, dependentia vel similitudine.

Quo fit, ut in pure aequivocis sit totalis et absoluta pluralitas sive multiplicitas sensus, "quia una dictio *principaliter plura significat*" (4), idest aeque primo sive ex aequo, quod est significare plura ut plura.

Hoc autem non contingit in casu praesenti de verbo, *ordo*, ut patet consideranti evolutionem eius semanticam.

Sed analogum. Eius etymo atque evolutio semantica

3. Primo namque adhibitum est hoc verbum in arte textili ad significandam ex una parte seriem filorum parallelorum in linea recta, ex alia vero seriem filorum illis examussim respondentium in linea transversa, ita quidem ut ex utraque serie fiat trama, quae et *orditura* nuncupatur, atque filum filo conserendo tela conficiatur.

Hinc *primordium* et *exordium* signant primo incoeptionem tramae: ac similiter *ordiri* atque *exordiri*, initium orditurae vel texiturae pro tela vel panno conficiendo. Quo in sensu dicitur quod araneus orditur telas et piscatores ordiuntur retia.

4. Indeque extenditur nomen al significandam quamcumque seriem plurium rerum vel personarum sive in quiete sive in motu. Ita series dentium superiorum et inferiorum appellantur ordines dentales in hominibus atque in brutis animalibus, ob similitudinem cum serie filorum. Ac postea nomen dentium et ordinis extenditur ad signandas series dentium artificialium atque similium partium serrae vel rotae vel alius machinae in foma externa vel in munere mordendi, frangendi aut conterendi.

5. Sic etiam vites et arbores paribus intervallis plantatae dicuntur ordines; et partes orationis rite dispositae atque inter se compositae, iuxta regulas grammatices. Unde et huiusmodi pars grammaticae vocatur σύνταξις, idest constructio vel co-ordinatio = σὺν - τάξις.

6. Eodem iure milites certis intervallis dispositi ad standum, ambulandum vel pugnandum, vocantur ordines: unde et ordinantur agmina et acies. Immo et caput phalangis vel cohortis vel alius fasciculi sive

(4) *De fallaciis*, cap. 5, n.º 9; ed. J. Perrier, O. P., Parisiis, 1949. De eius authentia thomistica disputatur inter viros doctos.

unitatis militum, puta centurio, nomen ordinis sortitur et ordinarius appellatur, iuxta illud Iulii Caesaris: "Labienus noctu tribunis militum *primisque ordinibus convocatis*, quid sui consilii sit, proposuit" (5); et Flavii Vegetii: "*ordinarii* dicuntur, qui in praelio primos ordines ducunt" (6). Atque horum instar nominantur ordinarii omnes illi qui coetui hominum praesunt ex officio, verbi causa praetor, consul, praefectus; et similiter episcopi residentiales dicuntur *ordinarii loci*. Praesunt autem regendo ac ducendo per leges et praecepta, quae ideo appellantur *ordinationes*, nam et lex est *ordinatio* rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, idest ab *ordinario*, promulgata (7).

7. Consimiliter gradus in theatris dicebantur ordines, utpote qui series paribus intervaliis altitudinis efformabant ad sedendum et apte conspiciendum. Qui tamen non omnibus spectatoribus indistincte patebant, sed quidam plebi, alii militibus, alii senatoribus servabantur. Et inde, pro eminentia atque altitudine sedium, sedentes ipsi dignitatis gradus sibi tribuebant, quos ordines nuncupabant, quique postea ad designandas diversas classes sociales extensi sunt, puta ordinem senatorium, equestrem, plebeium, gratorum, mercatorum, publicanorum, haruspicum, sacerdotum et aliorum huiusmodi.

8. Quem loquendi morem Ecclesia ipsa imitata est, quae ordines sacros maiores et minores distinguit, inter quos ordo Episcoporum, ordo presbiterorum et ordo ministrorum adnumerantur.

Atque naturali veluti passu directorium officii divini recitandi missaeque celebrandae, in quo series modusque eorum indicantur, dicitur *ordo*.

9. Rursus filorum series cum recta tum transversa ex quibus orditura resultat, ita disponuntur in loco ut paribus intervallis hinc et inde sibi mutuo respondeant, com-positio nempe sive con-locatio debita, sicque con-textura fiat.

10. Hanc igitur locationis notam super quantitatem continuam, vi cuius signare possumus primum, secundum, tertium..., filum, extendimus naturaliter ad seriem quamcumque significandam corporum localiter dispositorum, cum vel sine intervallis con-locatorum, prout accidit in lapidibus milliaribus vel parietem efformantibus. Et hoc appellamus *ordinem localem*, qui dis-positionem, com-positionem, con-locationem

(5) *De bello gallico*, lib. 6, cap. 3, n.º 7, p. 183. Bassani, 1775.
(6) *De re militari*, lib. 2, cap. 7, p. 48; ed. N. Schweb, Norimbergae, 1767.
(7) S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, 90, 4c.

praesefert. Ut enim ait Cicero, "videtur *eadem vis ordinis et collocationis fore*" (8); et iterum: "collocationis est *componere et struere*" (9).

11. Atque in hoc sensu stoici definiebant ordinem, ut idem Tullius refert, videlicet, "compositionem rerum aptis et accommodatis *locis*" (10). Quam descriptionem sapit etiam ea, quam tradit Quintilianus: "recta quaedam *locatio* prioribus sequentia adnectens" (11). Immo et communiter circumferta S. Augustini: "parium dispariumque rerum sua cuique *loca* tribuens dispositio" (12).

12. Ad eamque reduci videtur positio vel situs, τὸ ποῦ (13). *Situs* namque "est ordo partium *in loco*" (14), sive "quidam ordo partium corporalium *secundum locum*" (15). *Positio* autem "non addit supra *ubi* nisi ordinem partium determinatum" *in loco* (16).

13. Ex ordine autem partium quantitatis continuae vel in quantitate continua, sponte fit gressus ad partes quantitatis discretae numerandas secundum unitates vel collectiones unitatum, puta decenas vel quindenas, quae ordines numerorum audiunt. Quas numerorum series atque rationes et proportiones sive ordines scientia mathematica considerat.

14. Porro mens humana facili quodam et naturali veluti passu ex quantitate molis ad quantitatem virtutis sive perfectionis assurgit. In corporibus namque viventibus quae videmus, verbi gratia plantas, arbores et animalia, naturale eorum augmentum quantitativum sive molis, iuxta cuiusque speciem, comitatur augmentum proportionale virium ad agendum et fructificandum. Cum autem perveniunt ad plenum atque perfectum augmentum in mole et in viribus vitalibus, naturam quoque perfectam nanciscuntur intra genus suum. Et huiusmodi plenitudo virium et naturae dicitur quantitas virtutis, perfectionis et essentiae.

Apposite S. Thomas: "est autem, inquit, *duplex quantitas*, scilicet *dimensiva* quae secundum *extensionem* consideratur, et *virtualis* quae

(8) *De Officiis*, lib. 1, cap. 40; Opera, ed. J. OLIVET, t. III, p. 315. Genevae, 1758.
(9) *Op. cit.*, lib. 3, cap. 43, p. 360.
(10) *Op. cit.*, lib. 1, cap. 40, p. 317.
(11) *Institutiones oratoriae*, lib. 7, cap. 1, n.° 1; ed. G. L. SPALDING, t. III, p. 10. Parisiis, 1823. Nam, "ut opera exstruentibus satis non est saxa atque materiam et cetera aedificanti utilia congerere nisi disponendis eis collocandisque artificum manus adhibeatur, sic in dicendo quamlibet abundans rerum copia cumulum tantum habeat atque congestum, nisi illas eadem dispositio in ordinem digestas atque inter se commissas devinxerit" (*ibid.*, Praefatio, n.° 1, p. 7-8).
(12) *De Civitate Dei*, lib. 19, cap. 13, n.° 1. ML. 41, 640.
(13) Cf. ARISTOTELEM, *Categ.* 4, 2a, 1; 9, 11b, 11; *Metaph.*, *IV*, 7, 1017a 26.
(14) S. THOMAS, *Summa Theol.*, I-II, 49, 1 ad 3.
(15) S. THOMAS, *Quodlib.* 3, a. 7c.
(16) S. THOMAS, *in XI Metaph.*, lect. 12 (ed. M. R. CATHALA, O. P.), n.° 3377; *in V Metaph.*, lect. 17, n.° 1005.

attenditur secundum *intensionem;* virtus enim rei est ipsius *perfectio*, secundum illud Philosophi in VII Physicorum, cap. 3 (246 a 14-15): unumquodque perfectum est quando attingit propriae virtuti, et sic quantitas virtualis uniuscuiusque *formae* attenditur secundum modum suae perfectionis.

15. Utraque autem quantitas per multa diversificatur. Nam sub quantitate dimensiva continetur longitudo, latitudo et profundum, et numerus in potentia, [qui exsurgit ex divisione quantitatis continuae, qua haec fit discreta sive divisa in partes numerice distinctas]. Quantitas autem virtualis in tot distinguitur quot sunt *naturae vel formae, quarum perfectionis modus totam mensuram quantitatis facit*" (17).

16. Iam vero sicut ex unitatibus repetitis fit series ordoque numerorum, ita etiam ex diversis formis vel essentiis ad invicem comparatis resultat series vel ordo perfectionis. Formae namque vel species sive naturae gradus essentialiter constituunt, inter quos ordo quidem enascitur secundum maiorem et minorem perfectionem.

Ideo S. Thomas profunde scribit: "diversae rerum species *gradatim* naturam entis possident. Statim enim in prima entis divisione invenitur hoc quidem perfectum, scilicet ens per se et ens actu; aliud vero imperfectum, scilicet ens in alio et ens in potentia. Et eodem modo discurrenti per singula apparet unam speciem super aliam aliquem gradum perfectionis adiicere: sicut animalia super plantas, et animalia progressiva super animalia immobilia; in coloribus etiam una species alia perfectior invenitur, secundum quod est albedini propinquior" (18).

Et alibi congruenter: "*in his*, inquit, *quae formaliter differunt, semper quidam ordo invenitur.* Si quis enim diligenter consideret, in omnibus speciebus unius generis semper inveniet unam alia perfectiorem, sicut in coloribus albedinem et in animalibus hominem. Et hoc ideo quia quae formaliter differunt, secundum aliquam contrarietatem differunt; est enim contrarietas differentia secundum formam, ut Philosophus dicit in X Metaphysicae (9, 1058b, 1ss). In contrariis autem semper est unum nobilius et aliud vilius, ut dicitur in I Physicorum (5, 189a3-4); et hoc ideo qui prima contrarietas est privatio et habitus, ut dicitur in X Metaphysicae (4, 1055a 3ss). Et propter hoc in VIII Metaphysicae (3, 1043b 36-1044 a 2) Philosophus dicit quod *species rerum sunt sicut numeri*,

(17) *De Verit.*, 29, 3c. Cf. *in V Metph.*, lect. 18, ns. 1036-1038; *Summa Theol.*, I-II, 52, 1c.
(18) *Summa contra Gentiles*, II, 95.

qui specie diversificantur secundum additionem unius super alterum" (19).

17. Quod et in angelis semper accidit, qui specie omnes differunt, utpote formae per se subsistentes ac pure immateriales (20).

Simul tamen omnes isti gradus vel ordines essentiarum sese contingunt, iuxta naturalem illam continuitatis legem: supremum infimi attingit infimum supremi (21).

Et hoc modo, ait S. Doctor, "*mirabilis rerum connexio* considerari potest. Semper enim invenitur infimum supremi generis contingere supremum inferioris generis: sicut quaedam infima in genere animalium parum excedunt vitam plantarum, sicut ostrea, quae sunt immobilia, et solum tactum habent, et terrae in modum plantarum adstringuntur" (22).

18. Sed redeundo iterum ad ordinem localem rerum corporalium in loco dis-positarum et com-positarum, ex eo immediate procedit nomen ordinis ad significandum *ordinem motus localis* secundum longitudinem, latitudinem vel profunditatem, siquidem partes huiusce motus ex amussim correspondent partibus quantitatis dimensivae quas percurrit, iuxta illud egregie dictum a S. Thoma: "*ordo in motu sequitur ordinem in quantitate.* Per prius enim et posterius in magnitudine, est prius et posterius in motu" (23).

Ut enim alibi expendit uberius, "prius et posterius sunt *prius in loco sive in magnitudine.* Et hoc ideo quia magnitudo est quantitas *positionem* habens: de ratione autem positionis est prius et posterius; unde *ex ipsa positione locus habet prius et posterius.* Et quia in magnitudine est prius et posterius, necesse est quod in motu sit prius et posterius *proportionaliter* his quae sunt ibi, scilicet in magnitudine et in loco" (24).

19. Atque a motu locali, qui est prior et perfectior motus, extenditur ordo prioris et posterioris ad alias species motus, videlicet augmenti, alterationis et generationis (25). Quia "in quolibet motu est accipere

(19) *In librum De causis*, proposit. 4; ed. H. D. SAFFREY, O. P., p. 31-32. Friburgi Helvetiorum, 1954. Cf. *Quodlib.* 3, a. 6c; *De spiritualibus creaturis*, a. 8c; *Summa Theol.*, I, 47, 2c.

(20) S. THOMAS, *De spiritualibus creaturis*, a. 8c; *Summa Theol.* I, 50, 4.

(21) DIONISIUS, *De divinis nominibus*, cap. 7, § 3. MG. 3, 872.

(22) *Summa contra Gentiles*, II, 68. Cf. II, 97; *Summa Theol.*, I, 108, 6c; I-II, 2, 8, obi. 1; J. M. RAMÍREZ, O. P.; *De hominis beatitudine*, t. II, p. 247-248, Matriti, 1943.

(23) *In V Metaph*, lec. 13, n.º 937.

(24) *In IV Physic.*, lect. 17, n.º 7.

(25) "Nominibus pertinentibus ad motum localem utimur ad significandum alios motus, eo quod corpora quae loco circumscribuntur, sunt maxime nobis nota". (*Summa Theol*, I-II, 7, 1c).

prius et posterius" (26), cum "omnis motus sit de uno priori in aliud posterius" (27). Et ideo motus localis a ceteris omnibus praesupponitur atque in eis involvitur.

Quopropter S. Thomas: "sine eo, inquit, non potest esse aliquis aliorum. Non enim augmentatur aliquid nisi praeexistente alteratione, per quam quod prius erat dissimile convertatur et fiat simile; neque alteratio potest esse nisi praeexistente loci mutatione, quia ad hoc, quod fiat alteratio, oportet quod alterans magis sit propinquum alterato nunc quam prius" (28). Haec autem requiritur etiam ac praesupponitur ut dispositio ad generationem. "Alteratio enim ordinatur ad generationem sicut ad finem" (29).

20. A primo ergo ad ultimum: motus augmenti praesupponit motum generationis et alterationis, quia augmentum supponit nativitatem sive generationem (30), itemque nutritionem, quae sine alimentorum alteratione non datur (31); alteratio autem sine mutatione aliqua locali non contingit, quae alimentorum transformationem comitatur. Itaque "generatio non potest esse sine alteratione et loci transmutatione" (32).

21 Tandem ordo temporis sequitur natura sua ordinem motus, qui et in eius definitionem intrat, siquidem tempus definitur: numerus *motus* secundum prius et posterius (33); et "ad investigandum de tempore oportet accipere motum secundum locum" (34). "*Ordo* enim *partium in tempore* in ratione temporis importatur" (35), sicut ordo partium in motu in ratione motus localis involvitur, et ordo partium in loco in ratione situs vel positionis.

(26) *Summa Theol.*, I, 46, 3 ad 2.

(27) *Op. cit.*, I, 58, 3 ad 1.

(28) *Summa contra Gent*, III, 82, 6. Numerus ultimus signat argumentum capitis ex ordine.

(29) *In I de Generatione et Corruptione*, prooemium S. Thomae, n.º 1.

(30) "Augmentum etiam consequenter se habet ad generationem. Nam augmentum non fit sine quadam particulari generatione, qua scilicet nutrimentum convertitur in nutritum" *(ibid.)*.

(31) "Augmentum enim esse non potest nisi alteratio praeexistat; quia illud quo aliquid augmentatur est quodammodo dissimile et quodammodo simile. Quod enim sit dissimile, patet: quia illud quo aliquid augmentatur est alimentum, quod est in principio contrarium ei quod nutritur propter diversitatem dispositionis, sed quando iam additur ut augmentum faciat, necesse est quod sit simile. De dissimilitudine autem non transitur ad similitudinem, nisi per alterationem. Necesse est ergo quod ante augmentum praecedat alteratio, per quam alimentum de una contraria dispositione mutetur in aliam" *(In VIII Physic.*, lect. 14, n.º 3).

(32) *In I Sent.*, d. 21, 1, 2c.

(33) ARISTOTELES, *Physica*, IV, 11, 219 b 2.

(34) *In IV Physic.*, lect. 17, n.º 6.

(35) *In III Physic.*, lect. 5, n.º 15.

22. Ac similiter *ordo generationis includitur* in ipsa ratione huiusce motus secundum prius et posterius. "Generatio enim significat *ut in fieri*" (36) vel moveri, et ideo ordo generationis et temporis est quo "ex imperfecto ad perfectum venitur" (37). Unde, "secundum hanc viam, ea, quae sunt imperfecta et in potentia, sunt priora" (38), idest "materia est prior forma et imperfectum perfecto in uno et eodem" (39), ut puer viro et addiscens doctore.

23. Porro in generatione et in ceteris speciebus motus invenitur processio quaedam, idest *ordinatus* incessus mobilis a potentia ad actum. Quae quidem, licet primo dicta sit de motu locali, ut nomine ipso patet (pro-cedere = pro-gredi, pro[d]-ire), consequenter extensa est ad ceteros motus. Ut enim praeclare ait Angelicus Doctor, "nomen *processionis* primo est inventum ad significandum motum localem, secundum quem aliquid *ordinate* ab uno loco per media *ordinatim* in extremum transit. Et ex hoc transumitur ad significandum omne illud in quo est aliquis *ordo* unius ex alio vel post aliud. Et inde est quod in omni motu utimur nomine *processionis:* sicut dicimus quod corpus *procedit* ad albedine in nigredinem, et de parva quantitate ad magnam, et de non-esse in esse, et e converso.

24. Et similiter utimur nomine *processionis* ubi est aliqua *emanatio* alicuius ab aliquo: sicut dicimus quod radius procedit a sole, et omnis operatio ab operante, et etiam operatum, sicut artificiatum ab artifice vel genitum a generante. Et universaliter omnem huiusmodi *ordinem* nomine processionis significamus" (40).

25. Purificata autem notione processionis ab omni imperfectione potentialitatis motus et temporis et cuiscumque prioritatis et posterioritatis (41), remanet solum *ordo naturalis originis* Filii a Patre per processionem generationis et Spiritus Sancti a Patre Filioque per processionem spirationis. Ordo nempe eius, qui est a principio, ad principium ex quo originatur. Cum ergo Filius sit a Patre sicut a principio, et Spiritus Sanctus sit a Patre et Filio sicut a comprincipio, plane consequitur *ordo* in

---

(36) *Summa Theol.*, I, 33, 2 ad 2.
(37) *Ibid.*, 77, 4c.
(38) *Ibid.*, 85, 3 ad 1.
(39) *Op. cit.*, I-II, 62, 4c.
(40) *De Pot.*, 10, 1c. "Sunt autem trium rerum ordines sese consequentes, scilicet magnitudinis, motus et temporis. Nam secundum prius et posterius in magnitudine et prius et posterius in motu, et secundum prius et posterius in motu est prius et posterius in tempore" (*In V Metaph.*, lect. 1, n.º 751).
(41) "In Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales" (*Symbolum "Quicumque"*, DENZ, n.º 89).

divinis personis secundum naturalem originem secundae a prima et tertiae ab utraque (42).

26. Haec et alia similia significata quasi naturaliter consequuntur ex primaeva impositione huiusce nominis *ordo,* ratione similitudinis vel connexionis naturalis cum illa.

Conspectus huiusce evolutionis et comprobatio analogiae eius

27. Quae omnia, ut uno veluti conspectu ob oculos proponantur, possent ita circiter disponi secundum ordinem geneticum impositionis et ampliationis nominis:

I.

A. *Prima impositio* nominis *ordo.*

1. Series filorum parallelorum in linea recta = ordo rectus.
2. Series filorum parallelorum in linea transversa = ordo transversus.
3. Utraque series filorum simul = trama, textura, *orditura.*

B. Includit *tria:*

1. Seriem filorum.
2. Locum in quo disponuntur.
3. Motum sive operationem texendi.

Et primum quidem directe, alia vero duo connotative.

II. *Extensio sive ampliatio* nominis ad *alia similia vel connexa* significanda.

A. Ex parte *seriei* filorum: omnes et quascumque series, verbi gratia,

1. Seriem dentium tum partialem (superiorum vel inferiorum) cum totalem (omnium dentium);
2. Seriem remorum cum partialem (inferiorum vel superiorum) tum totalem (omnium remorum);
3. Seriem arborum, lapidum, columnarum;
4. Seriem militum. Et quidem:
   a. Fasciculos militum incedentium (agmina) vel pugnantium (acies) = ordines.

---

(42) Cf. S THOMAS, *in I Sent.*, d. 20, 3, qla. 2; *De Pot.*, 10, 3; *Summa Theol.*, I, 42, 3.

b. Capita et duces eorum, puta centuriones, qui vocantur *ordines*, eorumque mandata *ordinationes;*
c. Duces superiores = *ordinarios.*

5. Gradus sedilium in theatris, superiores, medios, inferiores = ordines sedilium.
6. Gradus sedentium in sedilibus superioribus, mediis et inferioribus = ordines sedentium.
7. Gradus vel classes sociales, superiores, medios, inferiores; nobiles, medios, plebeios. Et inde consequenter ordinem senatorium, equestrem, plebeium, sacerdotalem, alios.
8. In Ecclesia, ordinem laicorum, religiosorum, clericorum; et inde Sacramentum ordinis et ordines sacros, inter quos:
   a. Ordo episcoporum sive praelatorum = ordinarii in Ecclesia militante, ad instar ordinariorum in exercitu;
   b. Ordo presbyterorum;
   c. Ordo ministrorum;
   d. Ordo (Directorium) Officii divini recitandi missaeque celebrandae.

B. Ex parte *loci:* dispositio vel collocatio filorum utriusque seriei.

1. Quantitatis vel in quantitate dimensiva continua: dis-positio vel com-positio partium in loco = con-colocatio, situs, ordo partium in loco, ordo localis secundum prius et posterius.
2. Quantitatis dimensivae discretae sive divisae in fragmenta vel puncta = ordo numeralis sive numerorum;
3. Quantitatis virtualis seu perfectionis = ordo perfectionis, formarum et specierum sive essentiarum:
   a. In rebus corporalibus:
   inanimata et animata,
   insensibilia et sensibilia,
   irrationalia et rationalia;
   b. In rebus incorporalibus = ordines Angelorum.

C. Ex parte *motus* sive operationis texendi.

1. Consequens quantitatem dimensivam:
   a. Ordo motus localis sive translationis secundum prius et posterius;
   b. Ordo motus alterationis;
   c. Ordo motus generationis et corruptionis;

   d. Ordo motus augmenti;
   c. Ordo temporis secundum prius et posterius.

2. Consequens operationes sine motu:
   a. Ordo simplicis emanationis:
   ad extra, per creationem (43);
   ad intra, per processiones intellectus
   et voluntatis divinae (generatio Filii et spiratio Spiritus Sancti);
   b. Ordo originis naturalis Filii a Patre et Spiritus Sancti a Patre Filioque.

28. Exinde apparet acceptiones et significationes huiusce nominis *ordo*, licet tam varias tamque multiplices, similitudinem quamdam atque connexionem retinere, vi cuius in seriem ordinatam reduci possunt. Hoc nempe nomen *ordinem* habet in diversis atque multiplicibus sensibus et rationibus ab eo significatis. Quo fit, ut sit ὁμώνυμον ἀπὸ διανοίας idest ἀφ' ἑνὸς vel πρὸς ἕν (44).

"Nam in his, quae sunt *a casu aequivoca, nullus ordo* aut respectus *attenditur unius ad alterum*, sed omnino per accidens est quod unum nomen diversis rebus attribuitur: non enim nomen impositum uni significat ipsum habere *ordinem* ad aliud" (45). E contra, in aequivocis *a consilio* sive ad unum vel ab uno, semper datur aliquis ordo, quia nomen analogum de diversis "praedicatur *secundum prius et posterius*" (46), atque ideo in eius praedicatione "*ordo* attenditur" (47).

(43) Cf. S. Thomas, *Summa Theol.*, I, 44, 2 ad 1; 45, prol.; 1c; 2 ad 1. "Productio universalis entis a Deo non est motus nec mutatio, sed quaedam *simplex emanatio*". (*In VIII Physicorum*, lect. 2, n.° 4; Rogerius Marston, O. F. M., Quaest. disp. *De emanatione aeterna*, Quaracchi, 1932.
(44) Aristoteles, *Ethic. Nicom.*, I, 6, 1096b, 27-28.
(45) S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, I, 33, 1.
(46) *Summa Theol.*, I, 5, 6 ad 3.
(47) *Summa contra Gentiles*, I, 34.

CAPUT II

EIUS PROPRIISSIMA ACEPTIO IN REBUS HUMANIS ET CREATIS

29. Hoc tamen non obstante, nomen hoc, quod a creatis transfertur ad divina dempto modo humano atque creato significandi, plenam atque propriissimam aceptionem habet in rebus humanis et creatis, prout nempe stat pro ordine reali creato. Atque in hoc sensu tradi potest descriptio quaedam generica ordinis, servato modo nostro humano significandi.

I

Requisita ad ordinem presse dictum

30. Ad cuius evidentiam recolendum est plura requiri ad ordinem realem presse dictum: quaedam nempe ex parte rerum ordinatarum, alia vero ex parte ipsius ordinationis.

1. *Ex parte rerum ordinatarum*

31. Ex parte rerum ordinatarum requiritur *in primis* quod sint entia *realia*, non rationis tantum, ut per se patet. Ideo S. Thomas: "ad hoc quod aliqua habeant ordinem, oportet quod utrumque sit *ens*" (1).

32. *Deinde* oportet quod sint *realiter ordinabilia inter se vel ad unum tertium*, nimirum quod sit "utrumque ordinabile ad aliud" (2).

33. *Tertio*, necesse est quod sint *realiter plura*, saltem duo: tum quia in ordine includitur series, quae sine pluralitate ne mente quidem concipi potest; tum etiam quia ordo est relatio (3), quae ad aliud sem-

(1) *De Pot.*, 7, 11c.
(2) *Ibid.*
(3) "*Relatio* quae est in rebus *consistit in ordine* quodam unius rei ad aliam" (S. THOMAS, *in V Metaph.*, lect. 17, n.° 1004). "Ipsa *relatio nihil est aliud quam ordo* unius creaturae ad aliam" (*De Pot.*, 7, 9 ad 7). "Qui quidem respectus aliquando est in ipsa rerum natura, ut puta quando aliquae res secundum suam

per est, siquidem "idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali" (4).

34. *Quarto*, requiritur quod illa plura sint *realiter distincta*, quia secus pluralitas realis non daretur sed mera unitas. Unde S. Thomas: "non est ordo aliquorum nisi *distinctorum*" (5). Et iterum: "ordo *absque distinctione non est*" (6).

35. *Quinto*, plura illa distincta debent esse *realiter inaequalia*. Alioquin non haberentur gradus, neque prius et posterius, quae tamen omnino requiruntur ad ordinem. Immo neque pluralitas et distinctio presse dicta haberetur, quia aequalitas est unitas in quantitate sive molis sive virtutis (7), et "aequale dicitur quasi per negationem maioris et minoris" (8). Quapropter idem S. Doctor: "si aequalitas omnimoda esset in rebus, *non esset nisi unum* bonum creatum"; quia nimirum "*tolleretur multitudo* a rebus, inaequalitate bonitatis sublata" (9).

36. Simul tamen oportet, *sexto*, ut illa multa distincta et inaequalia sint *realiter in aliquo convenientia*. Secus essent omnino disparata atque inconnexa, nempe plura ut plura, ut accidit in pure aequivocis, in quibus nullus datur ordo. Et propterea sunt *insociabilia* (10). Ideo S. Thomas exigit distinctionem simul cum convenientia eorum quae ordinanda sunt: "quia ubi non est *distinctio*, ordo locum non habet; si autem quae distinguuntur in nullo *convenirent*, unius ordinis non essent" (11).

2. *Ex parte ipsius ordinationis*

37. Ex parte autem ipsius ordinationis requiritur, *primo*, aliquod *primum vel maximum* respectu cuius illa, quae ordinanda sunt, seriem quamdam constituant, pro maiori vel minori accessu ad illud unum principale. Qua de re iterum S. Thomas: "ordo semper dicitur per compara-

naturam ad invicem *ordinatae* sunt et ad invicem inclinationem habent" (*Summa Theol.*, I, 28, 1c). Ordo "est *relatio*" (*ibid.*, 116, 2 ad 3).
(4) *Op. cit.*, I, 42, 1 ad 4.
(5) *In I Sent.*, d. 20, 3, qla. 1c.
(6) *De Pot.*, 10, 3c. "Et utrumque distinctum, quia eiusdem ad seipsum non est ordo" (*De Pot.*, 7 11c.).
(7) *In I Sent.*, d. 19, 1, 1c; *Summa theol.*, I, 42, 1, obi. 1.
(8) *Ibid.*, corp.
(9) *Summa contra Gentiles*, III, 71, 2.
(10) *De Pot.*, 3, 18, ob. 16.
(11) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 4, lect. 1, n.° 283; ed. C. PERA, O. P., Taurini-Romae, 1950.

School of Divinity Library

rationem ad aliquod *principium*" (12), ex quo praecise sumitur *ratio ordinis* (13).

38. *Deinde* exigitur *ipsa relatio ordinatorum,* tum inter se, tum potissime ad primum illud, respectu cuius ordinem suscipiunt secundum prius et posterius sive secundum magis et minus.

Quam ob rem ait Angelicus: "magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod maxime est" (14).

Et alio in loco congruenter: "prius et posterius dicuntur in quolibet ordine per comparationem ad principium illius ordinis, sicut in loco per comparationem ad principium loci, in disciplinis per comparationem ad principium disciplinae" (15).

Tandem: "prius et posterius dicitur *secundum relationem ad aliquod principium.* Ordo autem includit in se aliquem modum prioris et posterioris. Unde oportet quod ubicumque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo" (16). Immo et "hoc nomen *principium, ordinem quemdam importat*" (17).

II

Descriptio ordinis presse dicti

39. Itaque, his omnibus perpensis, concludere possumus ordinem essentialiter esse *relationem plurium distinctorum et inaequalium simulque aliquatenus convenientium ad aliquod unum et primum, secundum prius et posterius sive secundum magis et minus.* Correlatio autem seu coordinatio illorum plurimorum inter se, secundaria est et a primaria dependens, quae est ipsorum ad illud primum et maximum.

40. Neque ab hac descriptione differt, ad rem quod attinet, illa quam tradit Catechismus Concilii Tridentini hisce verbis: "est enim ordo, si propriam eius vim et notionem accipiamus, *dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur*" (18).

(12) *Summa theol.*, I. 42. 3c.
(13) Cf. *in I Sent.*, d. 20, 3, qla. 1c.
(14) *Op. cit.*, I, 2, 3c. Cf. *Summa contra Gentiles*, III, 58, 2.
(15) *Quodl.* 5, a. 19c.
(16) *Summa theol.*, II-II, 26, 1c.
(17) *In V Metaph.*, lect. 1, n.° 751.
(18) II P., *De ordine Sacramento*, n.° 19, p. 382, Parisiis, 1912.

41. Ubi apparet eam re coincidere cum illa quae de nomine analogo circumferri solet, quod quidem de pluribus dicitur per prius et posterius secundum ordinem vel respectum aut relationem ad aliquid unum et principale (19). Et inde confirmatur in quod paulo supra dicebamus (n.° 28), scilicet ordinem esse revera nomen analogum.

III

Typus sive modus analogiae eius. Aliis non exclusis, est potissimum modus analogiae attributionis ad unum et ab uno

42. Quo semel dato, naturaliter pulsat animum quaestio de typo vel modo analogiae qui tali nomini convenit. Sunt enim tres modi fundamentales analogiae, videlicet inaequalitatis, attributionis et proportionalitatis.

43. Et dicendum est ordinem omnes tres istos modos induere posse, maxime tamen, sicut et ipsa analogia, modum *attributionis ad unum vel ab uno.*

Ut enim ex dictis patet (n.° 37-38), ratio fundamentalis totius seriei eorum quae ordinantur, stat in primo vel principio a quo vel ad quod referuntur secundum prius et posterius. Principium siquidem ordinis est "ratio ex qua ordo in speciem contrahitur. Unde unus est ordo secundum locum, alius secundum dignitatem, alius secundum originem, et sic de aliis" (20), pro diversa specie primorum vel principiorum talium ordinum. Immo et "hoc nomen *principium, ordinem quemdam importat*" (21).

(19) Cf. *Summa contra Gentiles*, I, 32, 6; 34, initio; *Summa Theol.*, I, 13, 6c.
(20) *In I Sent.*, d. 20, 3, qla. 1c.
(21) *In V Metaph.*, lect. 1, n.° 751. Cf. *in I Physic.*, lect. 1, n.° 5.

SECTIO II

GENERA FUNDAMENTALIA ORDINUM

44. Ratio autem principii maxime convenit causae. Et ideo secundum genera causarum potissime distinguuntur ordines, ut scite animadvertit Aquinas (1), "quia et nomen causae *ordinem* quemdam importat" (2). Quam ob rem "a qualibet *causa* derivatur aliquis *ordo* in suos effectus, cum quaelibet causa habeat rationem *principii:* et ideo secundum multiplicationem *causarum,* multiplicantur et *ordines*" (3).

45. Sunt autem quatuor genera causarum, scilicet finalis, efficientis, formalis et materialis. Insuper et modi plurimi intra unumquodque genus. Consequenter et quatuor debent esse genera ordinum, intra quorum unumquodque statuuntur ordines iuxta modos proprios, secundum prius et posterius vel secundum magis et minus. Atque ita tot sunt genera ordinum quot sunt modi analogiae attributionis, quae praecise fit secundum quatuor causas (4).

CAPUT I

SECUNDUM GENUS CAUSAE FINALIS

46. Sic habetur ordo et analogia bonorum, quae fit secundum causam *finalem,* ad unum primum et maximum bonum, scilicet ad bonum per essentiam, quod est finis ultimus obiectivus omnium.

---

(1) "Sic ergo in ordine *naturae* dicitur aliquid esse prius per comparationem ad *naturae principia,* quae quidem sunt quatuor *causae*". *(Quodlib.* 5, a. 19c).

(2) *In librum De causis,* prooemium S. Thomae, p. 3, 12-13.

(3) *Summa theol.,* I, 105, 6c.

(4) Cf. S. THOMAM, *in IV Metaph.,* lect. 1, nis. 537-539; *in I Ethic.,* lect. 7, n.º 95; *De principiis naturae,* cap. 6, ed. J. J. PAUSON, p. 103. Fribourg, 1950.

Omne siquidem verum bonum est finis vel medium. Medium autem essentialiter dicit ordinem ad finem, quia natura sua respectum ad finem importat. Unde et dicitur bonum *utile;* quia totum quantum est, propter finem et ad finem est: sive illud sit mere utile, sive ulterius intestinam quamdam bonitatem habeat.

47. Finis vero semper in se bonitatem habet, atque ideo semper est per se appetibilis, diversimode tamen pro modo quo rationem finis sortitur. Alius est enim finis ultimus simpliciter, alius finis intermedius, alius proximus et immediatus. Rursus alius est finis obiectivus —*res,* quae est finis, quaeque finis *cuius gratia* sive finis *qui* appellari solet—, alius finis subiectivus, idest adeptio finis obiectivi et quies in eius possesione, qui et finis *quo* nominari consuevit. Quies autem, quae consecutionem finis obiectivi naturaliter comitatur, *delectationem* quandam importat, cum tamen finis obiectivus sit bonum *honestum.*

Porro evidens est rationem finis per prius convenire *rei* quae est finis sive fini *cuius gratia,* et nonnisi per posterius fini *quo*. Unde et a S. Thoma appellatur *finis sub fine* (5). Bonum nempe honestum per prius habet rationem boni et finis quam bonum delectabile, quasi *bonum sub bono.*

48. Ulterius in propatulo est rationem finis *qui* et *quo* per prius competere fini ultimo simpliciter quam finibus intermediis et proximis, quibus nonnisi per posterius convenit. Haec enim est differentia inter finem ultimum simpliciter et alios fines, quod finis ultimus simpliciter per se et propter se amatur et non propter alium finem ulteriorem, ceteri vero fines per se quidem amantur utpote per se bona, sed non propter se sed propter ulteriorem finem, videlicet propter finem ultimum simpliciter. Quo fit, ut fines proximi et intermedii simul induant rationem finis et medii sub diverso respectu. Relate enim ad pura media rationem habent finis, relate vero ad finem ultimum rationem induunt medii.

49. Et quidem fines proximi et immediati hanc medii rationem habent duplici veluti passu, scilicet primo ad fines intermedios, ac dein ad finem ultimum simpliciter. At vero finis intermedius —si unus tantummodo sit— uno solo titulo rationem medii induit, nempe respectu solius finis ultimi simpliciter. Ac vicissim, finis intermedius rationem habet finis duplici titulo, videlicet respectu finis proximi et respectu mediorum simpliciter; finis vero proximus uno tantum titulo, nempe respectu mediorum solummodo.

---

(5) *In II Sent,* d. 38, 2c, in fine.

50. Itaque finis ultimus simpliciter est purus finis, quia ita finit cetera ut a nullo alio finiatur: media vero, quae simul non sunt fines, sunt pura media, quia ita finiuntur a ceteris finibus ut nullum aliud bonum finiant: fines autem proximi et intermedii non sunt puri fines neque pura media, sed partim fines et partim media sub diverso respectu, nempe fines respectu mediorum simpliciter et media respectu finis simpliciter. Non tamen ex aequo, sed secundum prius et posterius. Quia finis intermedius plus habet de ratione finis quam de ratione medii, quia finitur solum a fine ultimo simpliciter, sed finit pura media et finem proximum. Hic autem, e converso, plus habet de ratione medii quam de ratione finis, quia tantum finit pura media, sed finitur a fine intermedio et a fine ultimo.

51. A primo ergo ad ultimum, habetur talis ordo bonorum secundum analogiam attributionis ad unum *finem,* idest ad finem simpliciter ultimum obiectivum ut ad supremum et maximum analogans:

I. Finis ultimus simpliciter:
   1. obiectivus *(qui)* = beatitudo obiectiva;
   2. subiectivus *(quo)* = beatitudo formalis.

II. Finis intermedius (ultimus secundum quid):
   3. obiectivus —*qui*—;
   4. subiectivus —*quo*—.

III. Finis proximus sive immediatus:
   5. obiectivus —*qui*—;
   6. subiectivus —*quo*—.

IV. Media sive utilia:
   7. cum quadam bonitate propria et intrinseca;
   8. sine ulla bonitate intrinseca, sed per puram denominationem extrinsecam = mere utilia.

52. Ordo *per se* bonorum, quia pura media sunt propter finem proximum, *qui* est propter finem intermedium, *qui* est propter finem ultimum simpliciter. Rursus media pure utilia sunt *sub* mediis interna bonitate gaudentibus, et finis *quo sub* fine *qui,* sive agatur de fine proximo, sive de intermedio, sive de ultimo simpliciter. Nimirum medium pure utile *sub*ordinatur medio in se et per se bono; itemque finis *quo sub*ordinatur fini *qui:* ac proinde ordinantur ad finem simpliciter ultimum *qui* una cum fine intermedio et fine proximo *qui,* et cum mediis intrinsece bonis.

"Sicut enim in aliis generibus causarum [per se ordinatarum] habitudo secundae causae dependet ex habitudine causae primae, primae vero causae habitudo non dependet ex aliquo alio; ita est in causis fina-

School of Divinity Library

libus [per se ordinatis], quia secundi fines participant habitudinem causae finalis ex ordine ad ultimum finem, ipse autem ultimus finis habet hanc habitudinem ex seipso" (6).

53. Et quidem secundum modum *analogiae attributionis*, quo bonum dicitur de bono utili et de bono delectabili per ordinem et respectum ad bonum honestum (7). Nam finis simpliciter ultimus *qui* est bonum maxime honestum, sicut et finis ultimus *quo* est bonum maxime delectabile: finis vero intermedius et finis proximus *qui* participant aliquid de bono honesto, sicut et correspondentes fines *quibus* participant de bono delectabili; simul tamen participant de bono utili per respectum ad finem ultimum simpliciter, ad quod se habent in ratione medii. Sed pura media sunt simpliciter bona utilia.

54. Quod si medium nullam habeat in se bonitatem, sed purum dicat respectum ad finem consequendum, ut potio amarissima vel sectio dolorosissima ad sanitatem procurandam, tunc analogia dicitur de ipso per attributionem sive denominationem mere extrinsecam ad bonitatem finis. De medio autem intrinsece bono ac de fine proximo et intermedio dicitur bonum per analogiam attributionis intrinsecae (8).

(6) *De Verit.*, 21, 1 ad 1.

(7) "Bonum non dividitur in ista tria sicut univocum aequaliter de his praedicatum; sed sicut *analogum*, quod praedicatur secundum prius et posterius. Per prius enim praedicatur de honesto, secundario de delectabili, et tertio de utili" *(Summa theol.*, I, 5, 6 ad 3). "Utile et honestum *non ex aequo* se habent" (I-II, 8, 2 ad 2). "Bonum *non univoce* dicitur de bonis" *(De Verit.*, 21, 4c).

(8) Cf. J. M. Ramírez, O. P. *En torno a un famoso texto de Santo Tomás sobre la analogia (In I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1), apud "Sapientia" 8 (1953), 166-192.

CAPUT II

SECUNDUM GENUS CAUSAE EFFICIENTIS

55. Et simile quid contingit in genere causalitatis *efficientis*. Alia enim est causa prima, quae est causa incausata sive causa per essentiam, et alia secunda, quae est causa causata sive per participationem. Quae quidem alia est causa per se et alia per accidens. Per se autem alia est causa principalis et alia instrumentalis. Principalis vero alia est causa propria et proxima, alia causa communis et remota. Rursus causa propria et immediata alia est adaequata sive totalis et alia inadaequata sive partialis. Tandem causa instrumentalis alia est perfectiva, alia dispositiva tantum. Perfectiva autem alia est causa instrumentalis coniuncta, alia causa instrumentalis separata.

56. Patet autem vel leviter rem consideranti inter has causas et modos causae ordinem quemdem vigere secundum analogiam attributionis ad uno primo et maximo, quod est causa prima et incausata, nempe Deus. Causa enim dicitur de causa per essentiam et de causa per participationem secundum prius et posterius, quia causa secunda tota quanta est dependent in causando a causa prima, a qua tamen deficit in amplitudine et in virtute causali, siquidem causa prima ad plura et vehementius se extendit quam causa secunda (1).

57. Pariter, intra ipsam causam secundam, per prius dicitur causa de causa per se et per posterius de causa per accidens: quia causa per se est illa, quae directe et per virtutem suam producit effectum, sicut aqua est causa infrigidandi; per accidens vero est illa, quae indirecte tantum et non per virtutem suam in effectum influit, puta removendo causam contrariam, sicut removens ignem de domo est causa infrigida-

(1) "Causa prima est causa secundae" *(Summa theol.*, II,-II, 9, 2c). "Causae secundae moventes non movent nisi secundum quod moventur a primo movente" (I-II, 1, 6c). "Causa secunda non agit nisi virtute primae causae" (I-II, 19, 4c). "Causa prima vehementius influit quam causa secunda" (I, 21, 4c); quia nimirum "ad plura se extendit et efficacius operatur" *(Summa contra Gentiles*, II, 98, 2).

tionis eius (2). Ideo S. Thomas: "causa per se prior est ea quae est per accidens" (3), sicut et universaliter id quod est per accidens est posterius eo quod est per se (4).

58. Eodemque iure, in serie causarum secundarum per se, prior ac potior est causa principalis quam causa instrumentalis: quia principalis causat per virtutem propriam, dum instrumentalis causat per virtutem emendicatam atque participatam a causa principali.

59. Et in ipsa serie causarum instrumentalium potior est ac prior causa instrumentalis coniuncta supposito causae principalis, puta manus, quam causa instrumentalis separata, v. g. pugio vel martellus. Unde et manus dicitur instrumentum instrumentorum, quia per ipsam instrumenta separata fabricantur et applicantur ad operandum (5). Qua etiam ratione humanitas Christi, quae instrumentum coniunctum est personae Verbi Dei, prior et potior est in causando gratiam quam Sacramenta Novae Legis ab eo instituta, quae sunt instrumenta separata (6).

60. Quod et de serie causae principalis totalis et partialis asserendum est, quia totalis se habet ad partialem sicut perfecta ad imperfectam. Perfecta autem dicitur causa per prius, imperfecta vero per posterius. Quapropter S. Thomas congruenter: "est autem aliquid alterius causa dupliciter. Uno quidem modo *perfecte*, necessitatem inducendo, et hoc contingit quando effectus *totaliter* subditur potestati causae. Alio modo *imperfecte*, solum disponendo, quando scilicet effectus *non* subditur potestati causas *totaliter*" (7).

61. Sic ergo ratio causae convenit omnibus istis modis causae efficientis secundum prius et posterius, idest analogice *analogia attributionis ab uno primo et maximo*, et non univoce sive ex aequo. Primo namque et maxime convenit causae primae incausatae, quae est pura causa; deinde vero et per posterius convenit ceteris modis causae secundae, quae non est pura causa, sed causa causata.

Et quidem per ordinem prioris et posterioris. Nam per prius convenit causae per se principali et totali; deinde, causae principali partiali sive incompletae; tertio, causae instrumentali coniunctae; quarto, causae

(2) *Responsio ad Joannem Vercellensem de articulis quadraginta duobus*, art. 25; Opuscula theologica, ed. R. VERARDO, O. P., t. I, n.° 798. Taurini-Romae, 1954.
(3) *Summa contra Gentiles*, III, 15, 7.
(4) ARISTOTELES, *Physica*, II, 6, 10; 198a 8-9.
(5) ARISTOTELES, *De Anima*, III, 8, 2; 432 a 1.
(6) Cf. S. THOMAM, *Summa theol.*, III, 62, 5c.
(7) *Op. cit.*, II-II, 83, 1c.

instrumentali separatae completivae sive perfectivae; quinto, causae instrumentali separatae mere dispositivae; sexto et ultimo, causae per accidens.

Ordo insuper *per se*. Quia causa secunda dependet per se, idest in causando, a causa prima. Similiter causa instrumentalis a causa principi, et causa instrumentalis separata a causa instrumentali coniuncta. Ita vg. "baculus movetur a manu, manus a lacertis et nervis, qui moventur ab anima", quae movetur a Deo (8).

62. Ut enim profunde scribit Aquinas, "operatio reducitur sicut in principium in duo: in ipsum agentem et in virtutem agentis, qua mediante exit operatio ab agente. Quanto autem agens est magis proximum et immediatum, tanto virtus eius est mediata, et primi agentis virtus est immediatissima.

Quod sic patet in terminis: sint A, B, C, tres causae ordinatae, ita quod C sit ultima quae exercet operationem. Constat tunc quod C exercet operationem per virtutem suam; et quod per virtutem suam hoc possit, hoc est per virtutem B, et ulterius per virtutem A. Unde si quaeritur quare C operatur, respondetur: per vitutem suam. Et quare per virtutem suam? Propter virtutem B. Et sic quousque reducatur in virtutem causae primae... Et ita patet quod, cum Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus. Sed quia ipsemet est sua virtus, ideo non tantum est immediatum principium operationis in omnibus, sed immediate in omnibus operans", immediatione scilicet non solum virtutis sed et suppositi (9).

63. Quae quidem analogia manifeste apparet ex effectibus propriis: quia "secundum ordinem effectuum oportet esse ordinem causarum, eo quod effectus causis suis proportionati sunt" (10).

Atqui effectus proprii causae primae et causae secundae non conveniunt univoce, sed analogice. Quia effectus proprius primae causae est creatio totius esse ex nihilo, dum effectus proprius causae secundae est productio ex aliquo subiecto praeexistente per eius transformationem. "Est enim —ut ait S. Thomas— duplex modus causandi: unus quidem quo aliquid fit *praesupposito altero*, et hoc modo dicitur fieri aliquid *per informationem*, quia illud quod posterius advenit se habet ad illud quod praesupponebatur per modum *formae;* alio modo causatur aliquid *nullo praesupposito*, et hoc modo dicitur aliquid fieri *per creationem* (11).

(8) *Quodlib*, 9, 1c.
(9) *In I Sent.*, d. 37, 1, 1 ad 4.
(10) *Summa contra Gentiles*, II. 15, 3.
(11) *In librum De causis*, prop. 18, p, 104, 4-9.

64. Et quidem merito, quia in creatione fit totum ex nihilo simpliciter, et ideo quod creatur est effectus per essentiam, utpote in quo nihil sit quod non efficiatur. Unde et iure est proprius effectus causae per essentiam, quae est causa incausata. At vero in simplici productione non fit totum ex nihilo simpliciter, quia non fit subiectum vel materia quae praesupponitur, sed forma tantum quae ex potentia materiae educitur et in eam inducitur per transformationem. Non est ergo effectus per essentiam, sed per participationem tantum, quia una pars tantum efficitur, alia praesupposita et non effecta; et ideo merito est proprius effectus causae per participationem, quae est causa causata.

65. Patet autem creationem et simplicem productionem sive transformationem non convenire univoce, sed analogice tantum, sicut universaliter nonnisi analogice conveniunt id quod est per essentiam et id quod est per participationem. Unde S. Thomas: "fieri et facere *aequivoce* dicuntur in universali rerum productione et in aliis productionibus" (12). Non quidem per puram aequivocationem, sed per aequivocationem a consilio, idest per analogiam. "*Sicut* igitur generatio hominis est ex non-ente [hoc] quod est non-homo; *ita* creatio, quae est emanatio totius esse, est ex non-ente [simpliciter] quod est nihil" (13).

66. Quod et pulcherrime expendit ex analogia proportionalitatis continuae inter artem et naturam ex una parte, et inter naturam et Deum ex alia. "Sicut —inquit— opus artis praesupponit opus naturae, ita opus naturae praesupponit opus Dei creantis: nam materia artificialium est a natura, naturalium vero per creationem a Deo" (14). Videlicet "agens proximum, ut generans, non operatur in hac re generata nisi educendo de potentia materiae formam: sed operatio causae primae est etiam in creando ipsam materiam. Et ideo agens naturale proximum est tantum generans hanc rem, sed agens primum divinum est creans. Et ex hoc patet quod sicut operatio artis fundatur super operationem naturae, in quantum natura praeparat arti materiam; ita et operatio naturae fundatur super creationem, in quantum ministrat naturae materiam" (15). Non tamen eamdem neque univocam sed analogam sive proportionalem; quia natura praebet arti materiam secundam et accidentalem, dum Deus ministrat naturae materiam primam et substan-

(12) *In VIII Physic.*, lect. 2, n.° 4.
(13) *Summa theol.*, I, 45, 1c.
(14) *Summa contra Gentiles*, III, 65, 5.
(15) *In II Sent.*, d. 1, 1, 3 ad 5. Cf. *De Pot.*, 3, 7 ad 9; *in VIII Physic.*, lect. 2, n.° 4.

tialem, quae non est generabilis neque corruptibilis, sed tantummodo creabilis a solo Deo (16).

67. Nomen ergo causae dicitur analogice analogia attributionis intrinsecae de causis secundis per se tam principalibus quam instrumentalibus per ordinem ad causam primam, a qua per se dependent in causando, quia omnis causa per se est vere et proprie causa. Ordine tamen quodam, quia per prius dicitur de causis principalibus et nonnisi per posterius de causis instrumentalibus. De causis vero per accidens, maxime de causis mere occasionalibus, non dicitur nomen causae nisi per attributionem vel denominationem extrinsecam respectu causarum secundarum per se, quia pura occasio, idest accepta et non data, non est vere et proprie causa (17).

(16) "Materia [prima] est ingenita et incorruptibilis, non tamen sequitur quod semper fuerit: quia incoepit esse, non per generationem ex aliquo, sed omnino ex nihilo" (*In II Sent.*, d. 1, 1, 5 ad 1) per creationem (*Summa theol.*, I, 45, 2).
"*Ad materiam [primam] causalitas creaturae non se extendit*, quia actio creaturae super aliquid fundatur; materiae autem non est subiectum aliquod de quo per actionem aliquam educi posset, quia materiae non est materia. Unde non est generabilis nec corruptibilis: quia omne quod generatur, generatur ex materia; et quod corrumpitur, corrumpitur in materiam, quia ipsa est primum ex quo aliquid fit et ultimum in quod abiit quod corrumpitur, secundum Philosophum in I Physicorum, VIII, 192a 25-31. *Unde ipsa nonnisi ex nihilo educitur nec nisi in nihilum desinere potest.* Sicut autem ex nihilo non potest creatura aliquid educere ita nec ex substractione virtutis creaturae corrumpitur aliquid in nihil. Creatura igitur materiam creare non potest" (*De natura materiae*, cap. 1; ed. J. M. Wyss, O. P., p. 83, 2-13. Fribourg, 1953).
(17) Cf. *Quodlib.* 4 a. 23 ad 3.

CAPUT III

SECUNDUM GENUS CAUSAE MATERIALIS

68. Pari modo invenitur ordo et analogia attributionis secundum prius et posterius ad unum et in uno in genere causalitatis *materialis*.

I

Diversae acceptiones materiae

69. Materia enim dicitur tripliciter, scilicet materia *ex* qua, materia *in* qua et materia *circa* quam (1). Materia *ex* qua dicitur illa *ex qua* aliquid fit, sicut domus fit ex lignis, ferro et lapidibus, quae propterea dicuntur *materialia* aedifications. *In* qua vero dicitur *subiectum* inhaesionis vel *susceptivum* alicuius formae accidentalis, puta corpus coloris. *Circa* quam autem vocatur *obiectum* materiale vel terminativum in quod incidit et circa quod versatur actus potentiae vel habitus, ut visio circa album et nigrum, intellectio circa verum et falsum, volitio circa bonum et malum.

70. Quae quidem acceptiones ordinatae sunt. Primo enim dicitur de materia *ex* qua, dein de subiecto vel receptivo —materia *in* qua—, postremo de obiecto terminativo —materia *circa* quam—. Est enim proprium materiae esse ens potentiale potentia passiva, ideoque determinabile. Maxime autem determinabilis et in potentia passiva est materia *ex* qua, sicut cera vel aurum ad multiplices figuras; postea subiectum vel receptivum quodcumque, licet non transformetur neque alteretur, ut paries vel mensa est plurium colorum susceptiva; tertio, obiectum terminativum diversimode attingibile, vg. tuba ut quanta et colorata a visu, ut quanta et frigida vel calida a tactu, ut sonora ab auditu.

(1) *Summa theol.*, I-II, 55, 1c; *in II Sent.*, d. 36, 5 ad 5.

II

Ordo secundum causam materialem "ex qua"

71. Sed et in unaquaque ex his tribus acceptionibus datur insuper duplex gradus. Nam materia *ex* qua geminatur in primam et secundam sive in substantialem et accidentalem. Similiter materia *in qua* sive subiectum dividitur in primum seu *quod*, nempe suppositum vel substantia, et secundum sive *quo*, scilicet aliud accidens prius, quo mediante forma accidentalis inhaeret subiecto primo, puta color corpori mediante superficie, et habitus operativus homini vel animae mediante potentia. Substantia enim subiicitur atque sustentat omnia accidentia, et ideo dicitur subiectum primum (2). Pari etiam modo obiectum materiale —materia *circa* quam— distinguitur in primarium et secundarium, quod est pure materiale et mere terminativum.

Porro nomen materiae *ex qua* dicitur per prius de materia prima et nonnisi per posterius de materia secunda, eo circiter modo quo ens dicitur per prius de substantia et per posterius de accidente.

III

Ordo secundum causam materialem "in qua"

72. Similiter materia *in qua* vel subiectum inhaesionis dicitur per prius de supposito sive de substantia quam de accidente: tum quia substantia est subiectum omnium accidentium, dum accidens, puta quantitas, est subiectum quorumdam accidentium tantum, cum saltem non sit subiectum suiipsius; tum etiam quia substantia est perfectius subiectum quam accidens respectu eorumdem accidentium utrique inhaerentium, puta coloris inhaerentis corpori et superficiei, quia superficies participat a substantia corporea cui inest vim recipiendi et sustentandi colorem (3). Iam vero propter quod unumquodque tale, et illud magis (4).

(2) Cf. *Summa theol.*, I-II, 56, 1 ad 3; *De Verit.*, 25, 5 ad 1; *De Virtutibus in communi*, 3c.

(3) "Unum accidens dicitur esse in alio sicut in subiecto: non quia accidens per seipsum possit sustentare aliud accidens, sed quia unum accidens inhaeret substantiae mediante alio accidente, ut color corpori mediante superficie. Unde superficies dicitur subiectum coloris. Et eo modo potentia animae dicitur esse subiectum virtutis" (*Summa theol.*, I-II, 56, 1 ad 3. Cf. I, 77, 7 ad 2).

(4) ARISTOTELES, *Analytica Posteriora*, I, 2, 72 a 29-30.

of Divinity Library

Substantia ergo est magis et per prius subiectum inhaesionis tum extensive cum intensive quam unum accidens respectu alius accidentis.

IV

Ordo secundum causam materialem "circa quam". Ordo obiectorum materialium.

73. Materia rursus *circa quam*, nempe obiectum materiale, dicitur quidem per prius de obiecto principali quam de secundario in ratione communi *obiecti* terminativi, sed in ratione propria obiecti *materialis qua materialis* dicitur per prius de obiecto secundario. Istud enim nihil participat de obiecto formali, sed est pure ac totaliter materiale: illud vero e contra participat aliquid de obiecto formali, cum sit formale respectu obiecti secundarii sive pure materialis. Unde et dicitur obiectum formale *quod*.

74. Sic ergo in genere causalitatis materialis illud est prius quod est magis potentiale potentia passiva sive receptiva, ideoque magis determinabile et imperfectum; posterius vero dicitur illud quod est minus potentiale minusque determinabile et imperfectum. Hinc S. Thomas: "secundum rationem causae materialis imperfectum est prius perfecto, et potentia actu" (5).

Atqui in hoc genere causae materia prima est maxime potentialis et passiva vel receptiva, ac proin maxime determinabilis et imperfecta. "Cum enim materia in quantum huiusmodi sit in potentia, oportet quod primum principium materiale sit maxime in potentia, et ita maxime imperfectum" (6). Atque ideo e regione se habet ad Deum, qui est actus purus maximeque perfectus. Quare S. Thomas iterum: "materia prima est potentia pura, sicut Deus est actus purus" (7). Nimirum est ipsa sua potentia passiva sive potentia passiva per essentiam, sicut Deus est ipsa sua potentia activa sive actus per essentiam (8). Cetera vero praeter Deum et materiam sunt composita ex potentia et actu, quasi

(5) *Quodlib.*, 5, a 19c. Cf. *Summa theol.*, II-II, 17, 8c.
(6) *Summa theol.*, I, 4, 1c.
(7) *Op. cit.*, I, 115, 1 ad 2. Cf. *Summa contra Gentiles*, I, 17, in fine.
(8) "Dico quod materia [prima] est ipsa sua potentia [pasiva]. Et hoc modo se habet materia prima, quae est primum recipiens, ad potentiam passivam, sicut se habet Deus, qui est primum agens, ad potentiam activam. Et ideo materia est sua potentia passiva, sicut et Deus sua potentia activa" (*In I Sent.*, d. 3, 4, 2 ad 4. Cf. *De Anima*, 12 ad 12).

media participantia aliquid de utroque extremo secundum magis et minus (9).

75. Materia ergo prima est primum atque supremum principium analogans in hoc genere causae, cetera vero, quae plus minusve participant de ratione passivitatis potentialis receptivae eius atque imperfectionis, dicuntur eius analogata secundaria, prout magis et minus sive secundum prius et posterius ordinantur sub materia prima, pro maiori vel minori accessu et propinquitate ad ipsam (10). Et sic post illam venit materia *secunda* ex qua; deinde quasi materia *in qua*, idest *subiectum quod* et *quo* receptivum accidentium; postea quasi materia *circa quam*, nempe *obiectum* pure materiale —secundarium— et non pure materiale, sed aliqualiter formale sive formale *quod* —principale—. Haec enim quasi materia non semper et necessario est corpus aut pars eius substantialis, ut materia prima; sed aliquam proprietatem materiae primae, nempe passivitatem receptivam sive passivam potentialitatem et imperfectionem eius modo suo participat, et hac de causa diminute atque imperfecte rationem materiae induit. Unde et ultimo loco disponitur in serie eorum quae materiae nomen sortiuntur.

76. Quod si partem tantum huiusce seriei totalis accipiamus, puta subiectum inhaesionis accidentium —quasi materiam *in* qua— vel obiectum materiale —quasi materiam *circa* quam—, ordo quidam et analogia attributionis intra propriam cuiusque sphaeram reperitur.

77. Ita accidentia substantiae corporeae dicuntur entia analogice, per ordinem, respectum vel attributionem secundum prius et posterius ad substantiam ut ad subiectum primum inhaesionis. Nam primo inhaeret substantiae quantitas, deinde qualitas, postea actio et passio, quarto relatio et inde cetera consequenter. Ut enim ad rem scribit S. Thomas, "inter accidentia quidam *ordo* considerandus est. Nam inter omnia accidentia *propinquius* inhaeret substantiae *quantitas* dimensiva. Deinde *qualitates* in substantia recipiuntur quantitate mediante, sicut color mediante superficie; unde ad divisionem quantitatis, per accidens dividuntur. Ulterius autem qualitates sunt *actionum et passionum principia;* et *relationum* quarumdam, ut sunt pater et filius, dominus et servus, et alia huismodi" (11).

(9) *Ibid.* "In rebus invenitur aliquid quod est potentia tantum, ut materia prima; aliquid quod est actus tantum, ut Deus; aliquid quod est actu et potentia, sicut res ceterae" (*Summa contra Gentiles*, I, 43, 3). "Omnia alia *subiecta* participant quodammodo *materiam primam*" (*In I De generatione et corruptione*, lect. 10, n.° 9).
(10) "*Substantia* corporalis *habet quod sit subiectum accidentium ex materia sua*, cui primo inest subiici alteri" (*In IV Sent.*, d. 12, 1, 1, qla. 3c, n.° 44; ed. M. F. Moos, O. P., Parisiis, 1947).
(11) *Summa contra Gentiles*, IV, 53. Cf. *op. cit.*, IV, 14, n.° 7c; *in I Ethic.*, lect. 7, n.° 95; *in IV Metaph.*, lect. 1, nis. 539-543.

...ool of Divinity Library

Et alibi congruenter: "non enim ex toto est eadem ratio qua substantia est ens et quantitas et alia [praedicamenta]; sed omnia dicuntur ens ex eo quod *attribuuntur* substantiae, quae quidem est *subiectum* aliorum.

Et ideo ens dicitur per prius de substantia et per posterius de aliis; et ideo ens non est genus substantiae et quantitatis, quia nullum genus praedicatur per prius et posterius de suis speciebus, sed praedicatur analogice" (12), analogia attributionis intrinsecae, quia quantitas et cetera praedicamenta sunt vere atque intrinsece entia realia, et non per meram denominationem extrinsecam.

78. Et similiter contingit in obiectis *materialibus* cuiuscumque potentiae vel habitus, quae sunt eius quasi materia *circa quam*. Omnis enim potentia et omnis habitus operativus ad multa obiecta materialia porriguntur. Requritur namque ad rationem habitus operativi quod potentia quam afficit et complet "possit *pluribus modis* determinari *et ad diversa*. Unde, si aliquid sit in potentia ad alterum, ita tamen quod non sit in potentia nisi ad ipsum [et uno tantum modo], ibi dispositio et habitus locum non habet, quia tale subiectum ex sua natura habet debitam habitudinem ad talem actum" (13).

79. Quae quidem materialia obiecta simul et complexive sumpta dicuntur obiectum materiale totale vel adaequatum, quantumcumque multa adque diversa sint, sicut obiectum totale intellectus est omne ens, et voluntatis omne bonum, et visus omne coloratum. Haec tamen multiplicitas non cadit sub una potentia vel uno habitu nisi ut aliquo modo ordinata et reducta ad unum. Plura enim ut plura dispersa et disparata sunt, et ideo non possunt aeque primo et principaliter obiici ac terminare impetum unius potentiae vel habitus: tum quia talia obiecta materialia seu terminativa se habent ad impetum potentiae vel habitus ut terminus motus ad motum; constat autem unum motum non posse aeque primo et principaliter simulque plures terminos habere: tum etiam quia illa obiecta essent pure aequivoca, utpote quae aeque primo et principaliter plura exhiberent absque ullo ordine vel respectu unius ad aliud vel multorum ad unum tertium, ac proin non essent qua talia vere attingibilia a potentia vel habitu, sed ansam praeberent continuae deceptioni et errori (14).

Quapropter S. Thomas iure ac nervose ait hoc esse prorsus impos-

(12) *De principiis naturae*, cap. 6. p. 103-104.
(13) *Summa theol.*, I-II, 49, 4c.
(14) *Summa theol.*, I, 58, 2c; 85, 4c; *De fallaciis*, cap. 5, n.° 9; *Summa contra Gentiles*, I, 33; *De Pot.*, 7, 7c.

sibile, quia "idem est ac si res una simul esset plura" sub eodem respectu (15), idest aeque primo et principaliter.

80. Oportet ergo ea distinguere et ordinare secundum prius et posterius quasi partes obiecti totalis sive partialia obiecta, ita quidem ut unum sit per se et aliud per accidens: per se autem, aliud principale et aliud secundarium. Verbi gratia, obiectum per se sensus proprii est sensibile per se, per accidens vero sensibile per accidens: et quidem primario sensibile proprium, ut visus color et auditus sonus; secundario autem sive per se secundo, sensibile commune, puta magnitudo, motus vel distantia: per accidens vero ea quae connexa vel unita sunt sensibili proprio vel communi, ita tamen ut a nullo sensu directe sentiatur, sed ad occursum rei sensatae attingatur sponte ab alia potentia eiusdem hominis sentientis, puta, substantia vel vita corporis sese moventis vel virescentis ad intellectu, et bonitas vel malitia moralis loquelae vel osculi a voluntate (16).

Et similiter obiectum per se medicinae est sanitas hominis. Primarium quidem ipsa sanitas, secundarium vero ea omnia quae per se dicunt ordinem ad talem sanitatem, ut medicina sana, cibus sanus, aer sanus, color sanus. Per accidens autem aegritudo eiusdem hominis eaque omnia quae ad ipsam quocumque modo referentur, ut cibus vel aer nocivus, labor nocivus et alia id genus (17).

81. Obiecta igitur materialia alicuius potentiae vel habitus ordinantur et analogantur secundum prius et posterius ad unum primum et maximum, quod est obiectum per se et principale, a quo unitatem quamdam sortiuntur, videlicet unitatem ordinis sive analogiae attributionis. Propter quod S. Thomas praeclare dixit: "sicut potentia cum sit una ad multa se extendit secundum quod conveniunt in uno aliquo, idest in generali quadam ratione obiecti; ita etiam habitus ad multa se extendit secundum quod habent ordinem ad aliquod unum, puta ad unam specialem rationem obiecti, vel unam naturam, vel unum principium... Non enim unus habitus se extendit ad multa nisi in ordine ad unum, ex quo habet unitatem" (18).

82. Et sic, loquendo de fide theologica, scribit: "si consideremus *materialiter* ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia; quae tamen sub assensu fidei non cadunt nisi secundum quod habent aliquem *ordinem* ad Deum, prout scilicet per aliquos divinitatis

(15) *Quodlib.*, 7, 2c.
(16) Cf. S. THOMAM, *in IV Sent.*, d. 49, 2, 2c; *in II De anima*, lect. 13 (ed. A. PIROTTA, O. P.), nis. 383-396; *Summa theol.*, I, 17, 2; 78, 3 ad 2; 85. 6c.
(17) *Summa theol.*, II-II, 1, 1c.
(18) *Op. cit.*, I-II, 54, 4c.

School of Divinity Library

effectus homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem. Et ideo etiam ex hac parte obiectum fidei est quodammodo Veritas Prima, in quantum *nihil cadit sub fide nisi in ordine ad Deum*" (19).

Hisque congruenter: "aliqua sunt credibilia de quibus est fides *secundum se;* aliqua vero sunt credibilia de quibus non est fides secundum se, sed *solum in ordine ad alia.* Sicut etiam in aliis scientiis aliqua proponuntur ut *per se intenta,* et quaedam *ad manifestationem aliorum.* Quia vero fides *principaliter* est de his quae videnda speramus in patria, secundum illud Heb. 11, 1, fides est substantia sperandarum rerum, ideo *per se* ad fidem pertinent illa quae *directe* nos ordinant ad vitam aeternam, sicut tres personae omnipotentis Dei, mysterium incarnationis Christi et alia huiusmodi; et secundum ista distinguuntur articuli fidei: quaedam vero proponuntur in Sacra Scriptura ut credenda, *non quasi principaliter intenta sed ad praedictorum manifestationem,* sicut quod Abraham habuit duos filios, quod ad tactum ossium Eliae suscitatus est mortuus, et alia huiusmodi, quae narrantur in Sacra Scriptura *in ordine ad manifestationem divinae maiestatis vel incarnationis Christi;* et secundum talia non oportet articulos distinguere" (20).

83. Et similiter de theologia Sacra, quae est scientia fidei, quaeque de Deo et creaturis pertractat, ait: "Sacra Doctrina *non* determinat de Deo et de creaturis *ex aequo;* sed de Deo *principaliter,* et de creaturis secundum quod *referuntur* ad Deum ut ad principium vel finem" (21). "Omnia enim, quae in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea quae ex Deo et ad Deum sunt *in quantun huiusmodi:* sicut etiam medicus considerat signa et causas et multa huiusmodi *in quantum sunt sana,* idest ad sanitatem aliquo modo *relata.* Unde quanto aliquid *magis accedit* ad veram rationem divinitatis, *principalius* consideratur in hac scientia" (22).

84. Ubi manifeste apparet analogia attributionis intrinsecae sive per realem participationem ab uno primo et maximo. Quia, ut alio loco explicat uberius, "Creator et creatura *reducuntur* in unum, non communitate univocationis sed *analogiae.* Talis autem communitas potest esse duplex: aut ex eo quod *aliqua participant* aliquid unum secundum prius et posterius, sicut potentia et actus rationem entis, et similiter substantia et accidens; aut ex eo quod *unum* esse et rationem ab altero *recipit,* et talis est analogia creaturae ad Creatorem. Creatura enim non habet esse nisi secundum quod a Primo ente descendit, nec nominator ens nisi in quantum ens Primum imitatur" (23).

(19) *Op. cit.,* II-II, 1, 1c. Cf. 17, 1 ad 2.
(20) *Ibid.,* 6 ad 1. Cf. 2, 5c.
(21) *Op. cit.,* I, 1, 3 ad 1.
(22) *In I Sent.,* prol., 4c.

85. Et hac de causa S. Doctor in sua Summa theologiae agit, primo, de Deo ipso secundum quod in se est, uno nempe in essentia et trino in personis; deinde, de processu creaturarum ab eo ut a Primo principio efficienti; postea, de motu creature rationalis in eumdem Deum ut in ultimum eius finem; tandem, de Christo qui, secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum (24). Primo ergo et principaliter consideratur ipse Deus prout est in se; deinde cetera, secundum quod egrediuntur a Deo, vel regrediuntur in Deum, vel ducunt ad Deum, iuxta illud: Ego sum via; nemo venit ad Patrem nisi per me (25).

(23) *Ibid.,* 2 ad 2.
(24) *Summa theol.,* I, 2, prol.
(25) JOAN, 14, 6.

...of Divinity Library

CAPUT IV

SECUNDUM GENUS CAUSAE FORMALIS INTRINSECAE

86. Idemque, servata proportione, accidit in genere causae formalis, sive intrinsecae et proprie dictae, sive extrinsecae et reductive nuncupatae quae exemplaris audit. Utraque enim, pro suo quaequae modo, ordinem atque analogiam attributionis importat.

Habitudo et analogia inter causam formalem intrinsecam et extrinsecam sive exemplarem

87. Quinimo ipsa causa exemplaris dicitur *formalis* per analogiam attributionis ad causam *formalem* presse dietam, cui primo et maxime convenit ratio per hoc nomen significata.

88. Et quidem, quod causa exemplaris reducatur ad causam formalem potius quam ad causam efficientem vel finalem, indubia res est.

Sane, negari non potest causam exemplarem aliquo modo influere efficienter atque finaliter. Non tamen immediate et ut *quae*, sed mediante voluntate et ut *qua* sive ut ratio causandi, eo circiter modo quo finis movet agentem. Movet enim *finaliter*, quatenus exemplar sive causa exemplaris est perfectior meliorque exemplato (1), et "naturaliter inferiora tendunt in similitudinem superiorum" (2). Hoc enim intendit artifex, exemplar imitari illudque exprimere meliori quo potest modo. Unde et "exemplar, si proprie accipiatur, importat causalitatem respectu exemplatorum, quia exemplar est *ad cuius* imitationem fit aliud" (3). Cum ergo τὸ "*ad* importet ordinem *ad finem*", cumque exemplar sit "*ad quod* formatur aliquid" sive "ad cuius similitudinem aliquid constituitur", evidens est causam exemplarem aliquid participare de causalitate finali. Et consequenter de causalitate *efficienti*, quae movetur a fine ut a *ratione movendi*.

---

(1) "Exemplar potius quam exemplatum" (*Summa theol.*, II-II, 26, 4, arg. sed contra).

(2) *In Heb.*, cap. 8, 5; lect. 1, n.° 389.

(3) *De Verit.*, 8, 8 ad 1.

Quam ob rem S. Doctor merito concludit: "forma exemplaris habet quodammodo rationnem *finis*, et ab ea accipit artifex formam *qua agat*" (4). Sic enim, posito et acceptato exemplari imitando veluti fine artificis, movetur iste ad producendum exemplatum ad instar exemplaris. Quo in sensu verificatur illud eiusdem Aquinatis: "exemplar *effectivum* non est sine exemplato, quia producit illud in esse" (5).

89. Praesertim tamen causa exemplaris influit *ut forma* ad quam aliquid *formatur* vel potius *conformatur*, quia "exemplata oportet *conformari* exemplari *secundum rationem formae*" (6). "Est enim *forma* quodammodo causa eius quod secundum ipsam *formatur*" (7); quia nimirum "forma, *in quantum huiusmodi*, est secundum quam aliquid formatur" (8).

90. Quod et verbis explicitis docuit S. Thomas: "alio modo, inquit, dicitur causa species et exemplum, idest exemplar; *et haec est causa formalis*, quae comparatur dupliciter ad rem. Uno modo sicut forma *intrinseca* rei, et haec dicitur *species*; alio modo sicut *extrinseca* a re, ad cuius tamen similitudinem res fieri dicitur, et secundum hoc *exemplar rei dicitur forma*" (9).

Et alibi: "haec praepositio *per* potest notare duplicem causam, scilicet *agentem* mediam... et *formalem* causam. Et hoc dupliciter: vel inhaerentem vel *exemplarem*. Si inhaerentem, sic adoptati sumus per Spiritum Sanctum, cui appropriatur *caritas*, secundum quam *formaliter* meremur", quaeque diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, atque *ipsis inhaeret* (10). "Si vero designat causam *exemplarem formalem*, sic sumus adoptati per Filium (Rom. 8, 29): quos praescivit *conformes* fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus" (11).

91. Quod autem haec causa exemplaris dicatur formalis *per analogiam attributionis ad causam formalem stricte dictam*, facile patet. Causa enim formalis presse dicta, sicut et causa materialis cui essentialiter correspondet, est in re et intra rem cuius est. Et ideo S. Thomas iterum: "de ratione formae est quod sit *in eo* cuius est forma" (12).

---

(4) Cfr. *De Verit.*, 3, 1c; 22, 12c.

(5) *De Carit.*, 3 ad 8. Cf. *De Verit.*, 3, 6 ad 3.

(6) *Summa theol.*, I, 18, 4 ad 2. Cf. III, 56, 1 ad 3.

(7) *De Verit.*, 3, 3c.

(8) *De Pot.*, 6, 6 obi. 5.

(9) *In V Metaph.*, lect. 2, n.° 764.

(10) *Conc. Trid.*, DENZ. n.° 800.

(11) *In III Sent.*, d. 10, 2, 1, qla. 3c, n.° 77; ed. M. F. MOOS, O. P., Parisiis, 1933.

(12) *Summa theol.*, I, 40, 1c.

of Divinity Library

At vero forma exemplaris est *extra* rem cuius est exemplar et forma. Licet ergo utraque forma formet rem cuius est, modus tamen eam formandi est essentialiter inaequalis: quia forma intrinseca format *in*-formando ipsam directe, dum forma extrinseca et exemplaris eamdem format *con*-formando ipsam ad aliquid extra rem; illa format per modum *inhaerentiae*, haec autem per modum *imitationis* (13). Et ideo forma intrinseca est *secundum quam* formatur illud cuius est forma, forma vero exemplaris est potius *ad quam* formatur id cuius est forma, quia formatur ad eius imitationem sive similitudinem (14). "Exemplar enim est *ad cuius imitationem* fit aliud" (15).

92. Per prius ergo dicitur causa formalis de forma intrinseca quam de forma extrinseca et exemplari, sicut et per prius dicitur formatio per modum informationis sive inhaerentiae quam per modum conformationis sive imitationis. Haec enim se habet ad illam ut imperfecta ad perfectam, quam aliqualiter participat. Unde et ad genus causae formalis reducitur, ut imperfectum et participatum ad id quod perfectum et plenum est. Neque eius formatio est vere atque perfecte intelligibilis nisi per analogiam ad formationem intrinsecam, cuius causalitatem utcumque participat.

Art. 1

ORDO ET ANALOGIA INTRA IPSUM GENUS CAUSAE FORMALIS INTRINSECAE. INTER FORMAM SUBSTANTIALEM ET ACCIDENTALEM.

93. Sed, redeuntes ad id unde digressi sumus, dicendum est in primis ordinem dari analogiae *attributionis* in genere causae formalis presse dictae. Est enim duplex forma intrinseca rei cuius est forma: alia prima sive substantialis, alia secunda sive accidentalis. Quae quidem se habent inter se sicut substantia et accidens, quia forma substantialis est in genere substantiae, dum forma accidentalis est in genere qualitatis. Accidens autem dicitur ens per ordinem et analogiam attributionis ad sustantiam.

94. Eademque proportione vel analogia se habent quantum ad proprium *subiectum* quod *in*-formant, et quantum ad *effectum formalem* quem ei praebent, et quantum ad *fieri vel corrumpi* earum.

(13) *De Verit.*, 3, 3c.
(14) *De Verit.*, 3, 1c.
(15) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 5, lect. 3, n.º 665; *Quodlib.* 8, a. 2c. "Forma enim accidentalis a substantiali differt, quia forma substantialis facit *hoc aliquid*, forma autem accidentalis advenit rei iam hoc aliquid exsistenti" (*De Spiritualibus creaturis*, 1c. Cf. *De Anima*, 9c).

95. *Subiectum* enim immediatum formae substantialis est materia prima, quae est pura potentia passiva vel receptiva; dum e contra subiectum proprium formae accidentalis est materia secunda, idest substantia completa ex materia prima et forma substantiali constituta, quae tamen adhuc est in potentia ad formas accidentales suscipiendas, et ideo non est pura potentia receptiva, sed potentia accidentalis cum actu substantiali.

96. Similiter *efectus formalis*, quem forma substantialis praebet materiae primae sese ei immediate communicando, est *esse simpliciter*, idest esse substantiale in actu; dum e contra effectus formalis, quem forma accidentalis dat materiae secundae sive substantiae actuali compositae ex materia prima et forma substantiali, est *esse secundum quid* seu mere accidentale.

97. Pariter forma substantialis *fit* per generationem substantialem, *et desinit esse* per corruptionem substantialem: at vero forma accidentalis *fit* per generationem accidentalem, et *corrumpitur* per corruptionem accidentalem, quae proprio nomine appellantur *alterationes*. Se habent ergo inter se sicut generatio simpliciter dicta et alteratio.

98. Ad rem S. Thomas: "forma substantialis in hoc a forma accidentali differt, quia forma *accidentalis* non dat esse simpliciter, sed esse tale; sicut calor facit suum subiectum, non simpliciter esse sed esse calidum. Et ideo, cum advenit forma accidentalis, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri *tale* aut aliquo modo se habens: et similiter, cum recedit forma accidentalis, non dicitur aliquid corrumpi simpliciter sed *secundum quid*.

Forma autem *substantialis* dat esse *simpliciter*. Et ideo per eius adventum dicitur aliquid simpliciter generari, et per eius recessum simpliciter corrumpi" (16).

99. Et quia analoga dicuntur quae partim sunt eadem et partim diversa (17), ideo scribit consequenter: "forma substantialis et accidentalis partim conveniunt et partim differunt.

100. *Conveniunt* quidem in hoc quod utraque est actus, et secundum utramque est aliquid quodammodo in actu.

101. *Differunt* autem in duobus. *Primo* quidem, quia forma *substantialis* facit *esse simpliciter*, et eius *subiectum* est *in potentia tantum:* forma autem *accidentalis* non facit esse simpliciter sed esse *tale* aut tantum aut aliquo modo se habens, *subiectum* enim eius est ens *in actu*.

(16) *Summa theol.*, I, 76, 4c.
(17) *In IV Metaph.*, lect. 1, n.º 535.

of Divinity Library

Unde patet quod actualitas *per prius* invenitur in forma substantiali quam in eius subiecto. Et quia primum est causa in quolibet genere, forma substantialis causat esse in actu in suo subiecto. Sed, e converso, actualitas *per prius* invenitur in subiecto formae accidentalis quam in forma accidentali: unde actualitas formae accidentalis causatur ab actualitate subiecti [sicut et forma accidentalis causatur a forma substantiali, nempe qualitas a forma substantiali (18)], ita quod subiectum in quantum est in potentia est susceptivum formae accidentalis, in quantum autem est in actu est eius productivum. Et hoc dico de proprio et per se accidente: nam respectu accidentis extranei, subiectum est susceptivum tantum, productivum vero talis accidentis est agens extrinsecum.

102. *Secundo* autem differunt substantialis forma et accidentalis, quia, *cum minus principale sit propter principalius, materia est propter formam substantialem*; sed e converso *forma accidentalis est propter completionem subiecti*" (19).

103. Huc accedit *tertia* differentia, quia "forma *accidentalis*, quae non est in genere substantiae, *non pertinet ad essentiam sive quidditatem subiecti*; non enim albedo est de essentia corporis albi. Sed forma *substantialis est de essentia sive de quidditate subiecti*. Sic igitur anima dicitur forma substantialis, quia est de essentia sive de quidditate corporis animati" (20).

Art. 2

INTER IPSAS FORMAS SUBSTANTIALES

104. Nec satis. Nam in ipsis formis *substantialibus* viget ordo prioris et posterioris sive perfectioris et imperfectioris, sicut et in speciebus per eas constitutis, a mineralibus usque ad hominem. Qua de re iterum S. Thomas: "in rebus naturalibus, inquit, *gradatim species ordinatae esse videntur*, sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantae corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus; et in singulis horum una species perfectior aliis invenitur" (1).

(18) "Prima accidentia consequentia substantiam sunt quantitas et qualitas. Et haec duo proportionantur duobus principiis essentialibus substantiae, scilicet formae et materiae; quia quantitas respondet materiae..., sed qualitas ex parte formae" (*In IV Sent.*, d. 12, 1, 1, qla. 3 ad 1, n°. 47). "Quantitas se tenet ex parte materiae et qualitas ex parte formae" (*ibid.*, a. 2, qla. 1c., n.° 71). "Qualitas autem sequitur formam" (*De Pot.*, 9, 7c).

(19) *Summa theol.*, I, 77, 6c.

(20) *In II De anima*, lect. 2, n.° 236; ed. A. Pirotta, O. P.

(1) *Summa theol.*, I, 47, 2c.

105. Cuius ratio est, quia formae substantiales et species differunt formaliter sive essentialiter, dum et contra individua unius speciei, utpote quae ex materia signata quantitate individuantur, non nisi materialiter differunt. "In his autem quae *materialiter* differunt nihil prohibet inveniri multa *ex aequo* se habere, nam in substantiis individua unius speciei *aequaliter* speciei rationem participant; in accidentalibus etiam possibile est diversa subiecta *aequaliter* participare albedinem.

106. Sed in his quae *formaliter* differunt, *semper quidam ordo invenitur*. Si quis enim diligenter consideret, in omnibus speciebus unius generis semper inveniet unam alia perfectiorem, sicut in coloribus albedinem et in animalibus hominem. Et hoc ideo quia quae formaliter differunt, secundum aliquam contrarietatem differunt; est enim contrarietas differentia secundum formam, ut Philosophus dicit in X Metaphysicae, 9, 1058b 1-25. In contrariis autem semper est unum nobilius et aliud vilius, ut dicitur in I Physicorum, 5, 189 a 3-4; et hoc ideo, quia prima contrarietas est privatio et habitus, ut dicitur in X Metaphysicae, 4, 1055a 33-38. Et propter hoc in III Metaphysicae Philosophus dicit quod species rerum sunt sicut numeri, qui specie diversificantur secundum additionem unius super alterum" (2).

107. Quo in ordine primum locum tenet anima rationalis, quae est altissima omnium formarum substantialium (3), sive perfectissima, ac proin finis omnium formarum naturalium (4), quasi ultima forma completissima (5): sicut "homo superior est ordine naturae ad minus omnibus inferioribus corporibus, quanto perfectiorem habet formam" (6), quasi terminus totius generationis naturalis. Nam in genere et ordine causae formalis tanto aliquid est prius quanto perfectius (7).

108. Id, quod S. Thomas limpidissime explicat ex ordine ascendenti effectuum formalium formarum substantialium, ab imperfectissima corporis simplicis inanimati usque ad perfectissimam corporis humani. "Quanto aliquis actus est posterior et magis perfectus, tanto principalius in ipsum appetitus materiae fertur. Unde oportet quod in ultimum et perfectissimum actum, quem materia consequi potest, tendat appetitus materiae quo appetit formam, sicut in ultimum finem generationis.

(2) *In librum De causis*, prop. 4, p. 31-32.

(3) *De Spiritualibus creaturis*, 2 ad 8. Cf. *Summa theol.*, I, 70, 3, obi. 2; 91, 1, obi. 2: nobilissima forma est anima rationalis.

(4) *De Spiritualibus creaturis*, 2c.

(5) *Ibid.*, 3 ad 13.

(6) *Summa contra Gentiles*, III, 120, 10.

(7) "Alius autem est ordo perfectionis et formae, secundum quem perfectum naturaliter prius est imperfecto" (*Summa theol.*, II-II, 17, 8c).

109. In actibus autem formarum *gradus* quidam inveniuntur. Nam materia prima est in potentia primo ad formam elementi. Sub forma vero elementi existens est in potentia ad formam mixti: propter quod elementa sunt materia mixti. Sub forma autem mixti considerata, est in potentia ad animam vegetabilis: nam talis corporis anima actus est. Itemque anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam. Sensitiva vero ad intellectivam.

110. Quod processus generationis ostendit. Primo enim in generatione est fetus vivens vita plantae, posmodum vero vita animalis, demum vero vita hominis.

Post hanc autem formam non invenitur in generabilibus et corruptibilibus posterior forma et dignior. Ultimus igitur finis generationis totius est anima humana, et in hanc tendit materia sicut in ultimam formam.

Sunt ergo elementa propter corpora mixta, haec vero propter viventia: in quibus plantae sunt propter animalia, animalia vero propter hominem. Homo igitur est finis totius generationis" (8), idest "creaturarum terminus, quasi omnes alias creaturas naturali generationis ordine praesupponens" (9). "Unde usque ad animam rationalem se extendit consideratio [Philosophiae] Naturalis, quae est de formis substantialibus (10).

111. Sed et in ipsis generibus mineralium, plantarum et animalium datur gradus et ordo per se (11), pro specierum diversitate. "Et hoc quidem facile patet, si quis ipsa genera materialium substantiarum consideret. Manifestum est enim quod corpora mixta perfectionis elementa, plantae autem corpora mineralia, et animalia plantas.

112. Et in singulis generibus, secundum *gradum* perfectionis naturalis, diversitas specierum invenitur. Nam in elementis terra est infimum, ignis vero nobilissimum. Similiter in mineralibus *gradatim* natura invenitur per diversas species proficere usque ad speciem auri. In plantis etiam usque ad speciem arborum perfectarum, et in animalibus usque ad speciem hominis: cum tamen quaedam animalia sint plantis propinquissima, ut immobilia, quae habent solum tactum; et similiter plantarum quaedam sunt inanimatis propinqua" (12).

(8) *Summa contra Gentiles*, III, 22.

(9) *Op. cit*, IV, 55. ad 4. Cf. *De anima*, 8c.

(10) *In II Physicorum*, lect. 4, n.° 10.

(11) "Perfectius autem participant ordinem ea in quibus est ordo per se quam ea in quibus est ordo per accidens tantum. Manifestum est autem quod in omnibus individuis unius speciei non est ordo nisi secundum accidens: conveniunt enim in natura speciei, et differunt secundum principia individuantia et diversa accidentia quae per accidens se habent ad naturam speciei. Quae autem specie differunt, ordinem habent per se et secundum essentialia principia" (*De Spiritualibus creaturis*, 8c).

(12) *De Anima*, 7. c. Cf. *Summa contra Gentiles*, III, 97.

113. Revera tamen homo quidem generatur, non autem eius anima, quae a Deo immediate creatur et corpori humano infunditur, quod et essentialiter informat ut vera eius forma substantialis. Hoc enim habet proprium anima humana, quod non est forma totaliter immersa, ob-ligata et comprehensa a materia in qua recipitur, ut aliae formae inferiores mineralium, plantarum et animalium irrationalium, sed forma emergens atque transcendens totum hominis corpus eiusque partes (13). Unde simul est anima et spiritus. Anima quidem, in quantum animat et vivificat corpus humanum ut forma eius substantialis: spiritus vero, in quantum non educitur de potentia materiae eius, neque traducitur a parentibus per generationem, sed a solo Deo procedit per creationem. Et hac de causa non corrumpitur corrupto corpore sed esse suum retinet ab eo separata, immortali vita gaudens (14).

114. Gradus ergo isti formarum substantialium et specierum sub genere substantiae corporeae, a speciebus supremis usque ad infimas vel atomas, debent esse potius ascendentes ab imperfectissima forma corporis simplicis mineralis usque ad perfectissimam formam corporis humani, prout exigit ordo causalitatis formalis, secundum ea quae hucusque dicta sunt.

115. Possunt tamen modo inverso disponi, quasi descendentes a suprema usque ad infimam: quo in casu primum seu principium radicale ordinis esset materia prima recipiens formam substantialem imperfectissimam. Et in hoc sensu ipse S. Thomas ait: "*ubicumque est diversitas graduum, oportet quod gradus considerentur per ordinem ad aliquod unum principium*. In substantiis igitur *materialibus* attenduntur diversi gradus speciem diversificantes in ordine ad *primum* principium, quod est *materia*. Et inde est quod primae species sunt imperfectiores, posteriores vero perfectiores et per additionem se habentes ad primas: sicut mixta corpora habent speciem perfectiorem quam sint species elemen-

materia totaliter comprehensa" (*De*
(13) "Anima humana non est forma a materia totaliter comprehensa" ...

(13) "Anima humana non est forma a materia totaliter comprehensa" (*De Anima*, 1 ad 5. Cf. *De Spiritualibus creaturis*, 1 ad 18). Est forma "cuius esse non est materiae obligatum sive immersum" (*De Spiritualibus creaturis*, 1c).

"Ex anima humana et corpore ita fit unum, quod tamen anima *superexcedit corporis proportionem*" (*ibid.*, ad 19); "superat omnem corporis proportionem" (*De Anima*, 2 ad 13; Cf. *De virtutibus in communi*, 4 ad 4).

(14) Anima humana, "in quantum *attingitur* a corpore, est *forma*; in quantum vero *superexcedit* corporis proportionem, dicitur *spiritus* vel spiritualis substantia" (*De Spiritualibus creaturis*, 2 ad 4).

"Anima humana licet sit forma unita corpori, tamen *excedit proportionem totius materiae corporalis, et ideo non potest educi in actum de potentia materiae* per aliquem motum vel mutationem *sicut aliae formae quae sunt immersae materiae*" (*De Anima*, 2 ad 12).

"Quanto aliqua forma est altior, tanto plus indiget a potentiori agente produci. Unde cum anima humana sit altissima omnium formarum, producitur a potentissimo agente, scilicet Deo", per creationem (*De Spiritualibus creaturis*, 2 ad 8).

... of Divinity Library

torum, utpote habentes in se quidquid habent elementa et adhuc amplius; unde similis est comparatio plantarum ad corpora mineralia, et animalium ad plantas" (15).

Quibus consonant haec alia verba: "*ordo in formis attenditur secundum habitudinem ad materiam primam;* prius enim et posterius dicitur per comparationem ad aliquod principium" (16). Nam "in materia considerantur diversi gradus perfectionis, sicut esse, vivere, sentire et intelligere. Semper autem secundum superveniens priori perfectius est. Forma ergo quae dat solum primum gradum perfectionis materiae, est imperfectissima; sed forma quae dat primum et secundum et tertium, et sic deinceps, est perfectissima" (17).

116. Utut sit, gradus formarum inter perfectissimam et imperfectissimam formam remanent realiter iidem. Ordo tamen ascendens ad formam humanam sive rationalem est magis proprius et formalis, quia forma perfectissima est principium eius, respectu cuius ceterae formae dicuntur tales secundum prius et posterius. Hoc enim ordine quod perfectius et dignius est, prius est.

117. Sic ergo patet quod "etiam in causis formalibus prius et posterius invenitur" (18), idest vera analogia. Et quidem duplex: alia secundum esse et non secundum intentionem, quae vulgo analogia inaequalitatis dici solet; alia secundum intentionem et secundum esse, quae revera est analogia attributionis intrinsecae (19).

I

Analogia inaequalitatis

118. Analogia sane *inaequalitatis* sive *realis*, et non mere logica vel intentionalis, quae viget inter species alicuius generis. Species namque se habent inter se sicut differentiae specificae quibus constituuntur; quae quidem essentialiter inaequales sunt, quia omne genus dividitur per opposita oppositione contrarietatis, et ideo participant de oppositione privationis et habitus (20). Privatio autem et habitus se habent sicut negatio et affirmatio in subiecto. Ac proin "omnes differentiae di-

(15) *De Anima*, 7c.
(16) *Summa theol.*, I, 76, 4 obl. 3.
(17) *Ibid.*, ad 3.
(18) *De Pot.*, 6, 6 ad 5.
(19) Cf. S THOMAM, *in I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 1; J. M. RAMÍREZ, *En torno a un famoso texto de Santo Tomás sobre la analogía*, "Sapientia", 8 (1953), 166-192.
(20) *In X Metaph.*, lect. 10, nis. 2120-2123.

videntes aliquod genus hoc modo se habent, quod una earum est *ut abundans* et alia *ut deficiens* respectu alterius" (21), una *ut perfecta* et alia *ut imperfecta* (22); quia id quod una ponit, alia removet vel non attingit, ut patet cum dividimus substantiam corpoream in animatam et inanimatam, animatam vero in sensitivam et insensitivam, sensitivam denique in rationalem et irrationalem. "Unde in formis differentia esse non potest nisi secundum quod una perfectior existit quam alia" (23).

119. Quae quidem differentiae eo sunt magis distantes et inaequales quo dividunt genus prius et universalius: sicut magis differunt animatum et inanimatum quam sensitivum et insensitivum, et a fortiori magis quam rationale et irrationale. In hac ergo inaequalitate datur magis et minus sive prius et posterius, a differentiis divisivis generis supremi usque ad differentias divisivas generis infimi et constitutivas specierum atomarum (24). Itaque genus supremum est quidem logice univocum, sed revera minimum quid habet de univocitate si comparetur cum univocatione generis subalterni ac praesertim generis infimi multoque magis cum univocatione speciei atomae, cui maxime convenit ratio univocitatis. Sub hac enim non dantur nisi individua, quae solum materialiter differunt et non essentialiter sive formaliter, ac proinde omnino aequaliter participant naturam speciei.

120. Hinc Aquinas congruenter: "*impossibile est autem naturam speciei communicari ab individuis per prius et posterius*, nec secundum esse, neque secundum intentionem, quamvis hoc sit possibile in natura generis" (25). Et rursus: "in his autem, quae *materialiter* differunt, nihil prohibet inveniri multa *ex aequo* se habere; nam in substantiis *individua unius speciei aequaliter speciei rationem participant*" (26).

II

Analogia attributionis intrinsecae

121. At insuper in causis formalibus invenitur analogia *attributionis intrinsecae*, quia forma nobilior, nempe anima humana, est totum

(21) *In V Physicorum*, lect. 3, n.° 5.
(22) *Summa theol.*, I, 75, 7c.
(23) *Summa contra Gentiles*, II, 97.
(24) "Si anima humana et anima iumentorum per se collocarentur in genere, sequeretur quod diversorum generum essent secundum *naturalem* [= physicam] considerationem; sic enim corruptibile et incorruptibile necesse est differre. Licet in aliqua *ratione* communi possent convenire; ex quo et in uno genere possunt esse secundum *logicam* considerationem" (*De Anima*, 14 ad 2).
(25) *In II Sent.*, d. 3, 1, 4c, in fine.
(26) *In librum De causis*, prop. 4, p. 31-18-21. "In his quae sunt unius speciei non est invenire prius et posterius" (*Summa theol.*, I, 50, 4, sed contra).

of Divinity Library

quoddam potentiale, quod eminenter et unite continet in se quidquid perfectionis reperitur dispersum in formis inferioribus, puta in anima sensitiva et vegetativa et in forma infima mineralium, multaque alia altiora.

122. Totum namque potentiale sive postestativum est analogum analogia attributionis intrinsecae, quia "*adest quidem secundum essentiam cuilibet parti*, sed secundum *completam* virtutem est in parte *suprema*, quia superior potentia habet in se completius ea quae sunt inferioris" (27), in qua nonnisi *diminute* invenitur (28). Totius enim potestativi "haec est natura, quod totum secundum *completam* rationem est *in uno, in aliis* autem est *aliqua participatio ipsius*". Et sic "tota plenitudo" sacramenti ordinis "est in uno ordine, scilicet in sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis" (29). Sicut et perfecta virtus obligativa voti invenitur in voto publico solemni, imperfecta vero et dimituta in voto privato et simplici (30). Votum siquidem dividitur in privatum et solemne "ut totum potestativum in partes suas"; quae quidem divisio est "*divisio analogi* quod praedicatur *per prius et posterius* de suis dividentibus, sicut ens de substantia et accidenti" (31). Partes ergo totius potestativi "*non ex aequo* distinguuntur ab invicem, sed *ordine* quodam" prioris et posterioris (32).

123. Et hoc accidit in forma substantiali corporis humani, quae est anima rationalis, respectu formarum substantialium corporum inferiorum, nempe animae sensitivae brutorum animalium, animae vegetativae plantarum et formae substantialis corporum inanimatorum. Ipsa enim sola continet unite et superiori modo ea omnia quae inferiores disperse habent, et alia plura. Et sic "*tota* virtus animae invenitur in rationali, sed in sensibili anima invenitur *diminute*, et adhuc magis diminute in vegetabili; quia anima sensibilis includit in se virtutem animae vegetabilis, et non e converso" (33). "*Rationalis* enim anima *tota anima* dicitur, eo quod in ipsa *omnes* animae potentiae *congregantur*: sensibilis vero in brutis et in plantis vegetabilis dicuntur *partes* animae, quia *aliquid* de potestate animae habent, sed *non totum*" (34). "Talium autem totorum ista est natura, quod *tota virtus totius consistit in una partium perfecte, in aliis autem partialiter:* sicut in anima virtus animae *perfecte* consistit in parte intellectiva, in aliis autem *partialiter*. Unde, cum in ani-

(27) *In II Sent.*, d. 9, 3 ad 1.
(28) *In IV Sent*, d. 15, 2. 2, qla. 2c, n.° 246.
(29) *Op. cit.*, d. 24, 2, 1, qla. 1 ad 2.
(30) *Op. cit.*, d. 38, 1, 2, qla. 2c.
(31) *Ibid.*, qla. 1c.
(32) *Summa theol.*, I-II, 57. 2 ad 2.
(33) *In IV Sent.*, d. 15, 2, 2, qla. 2 c, n.° 246.
(34) *In III Sent.*, d. 33, 3, 1, qla. 2c, n.° 268.

ma separata ramaneant vires intellectivae partis, integra remanebit, non diminuta, quamvis sensitivae potentiae actu non remaneant: sicut nec potentia regis remanet diminuta, mortuo praeposito qui eius potestatem participabat" (35).

124. Et hac de causa, anima rationalis est unica forma substantialis hominis, quia ipsa sola immediate confert humano corpori quidquid formae inferiores conferunt suis propriis materiis, et adhuc amplius.

Qua de re S. Thomas egregie: "in hoc homine, inquit, non est alia forma substantialis quam anima rationalis, et per eam homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens... Unde *perfectior forma facit per unum omnia quae inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius*. Puta, si forma corporis inanimati dat materiae esse, et esse corpus, forma plantae dabit ei et hoc, et insuper vivere; anima vero sensitiva, et hoc, et insuper sensibile esse; anima vero rationalis, et hoc, et insuper rationale esse" (36).

"Unde anima rationalis dat corpori humano quidquid dat anima sensibilis brutis, vegetabilis plantis, et aliquid ulterius; et propter hoc ipsa est in homine, et vegetabilis, et sensibilis, et rationalis" (37). Universaliter namque "talis est *ordo* rerum ad invicem, ut quaecumque inveniuntur in inferiori natura inveniantur *excellentius in superiori*" (38); non quidem divisim et per partes, sed unite et per totum (39). "Ita enim est in *omnibus*, quod perfectiones, quae attribuuntur inferiori per multa, superiori attribuuntur per unum: sicut imaginatio una est virtus omnium sensibilium cognoscitiva, quae tamen sensus percipit per diversas virtutes" (40).

125. Quod si causam formalem largius accipiamus pro forma vel actu substantiali, "prout *communiter* omnes substantias a materia separatas *formas* dicimus" (41), ordo essentialis et analogia invenitur in angelis per comparationem ad supremum eorum, qui unite et eminentiori modo continet omnes perfectiones inferiorum, et adhuc amplius; maximeque per comparationem ad Deum, qui actus purus est.

Omnes enim Angeli specie differunt inter se, et ideo sunt essentialiter inaequales. Et quamvis in genere substantiae incorporeae creatae univocentur secundum intentionem logicam, re tamen et metaphysice

(35) *In IV Sent.*, d. 44, 3, 3, qla. 1 ad 4.
(36) *De Spiritualibus creaturis*, 3c.
(37) *De Anima*, 11c. Cf. *Summa theol.*, I, 76, 3c; 4c.
(38) *De Anima*, 18c.
(39) *Ibid.*, arg. 9 sed contra.
(40) *In II De Coelo*, lect. 13. n.° 8. Cf. in *I Sent.*, d. 3, 2, 3 ad 1.
(41) *In II Sent.*, d. 3, 6, arg. 2 sed contra.

of Divinity Library

analogantur analogia inaequalitatis sicut omnes species cuiuscumque generis (42).

Immo et analogia attributionis intrinsecae, quia supremus angelus se habet ad inferiores ut totum potentiale sive analogum ad partes potentiales sive analogatas (43). Perfectiones enim spirituales, quae sunt de ratione formae creatae separatae et subsistentis, conveniunt quidem omnibus angelis, diversimode tamen: quia supremo perfecte et eminenter, ceteris vero secundum magis et minus, pro maiori vel minori accessu et propinquitate ad illum.

126. Qua de re optime S. Thomas: "in rebus *ordinatis* tripliciter aliquid esse contingit, scilicet per proprietatem, per excessum et per participationem. *Per proprietatem* autem dicitur esse aliquid in re aliqua quod adaequatur et proportionatur naturae ipsius. *Per excessum* autem quando illud quod attribuitur alicui est minus quam res cui attribuitur, sed tamen convenit illi rei per quemdam excessum, sicut dictum est de omnibus nominibus quae attribuuntur Deo (44). *Per participationem* autem quando illud quod attribuitur alicui non plenarie invenitur in eo, sed deficienter, sicut sancti homines participative dicuntur dii (45).

Si ergo aliquid nominari debeat nomine designante proprietatem ipsius, non debet nominari ab eo quod imperfecte participat, neque ab eo quod excedenter habet, sed ab eo quod est sibi quasi coaequatum. Sicut si quis velit proprie nominare *hominem*, dicit eum substantiam *rationalem;* non autem substantiam *intellectualem*, quod est proprium nomen *angeli*, quia simplex intelligentia convenit *angelo per proprietatem, homini vero per participationem;* neque substantiam *sensibilem*, quod est nomen *bruti* proprium, quia sensus est *minus* quam id quod est *proprium* homini, et *convenit homini excellenter prae aliis animalibus*.

Sic igitur considerandum est in *ordinibus* angelorum quod omnes spirituales perfectiones sunt omnibus angelis communes, et omnes *abundantius* existunt *in superioribus* quam in inferioribus. Sed, *cum in ipsis etiam perfectionibus sit quidam gradus, superior* perfectio attribuitur *superiori* ordini *per proprietatem, inferiori* vero *per participationem:* e converso autem *inferior* attribuitur *inferiori per proprietatem, superiori* autem *per excessum*. Et ita superior ordo a superiori perfectione nominatur" (46). "Nomen tamen commune remanet infimo ordini

(42) ARISTOTELES, *Physica*, VII, 4, 249 a 21-26.

(43) "Divisio hierarchiae in ordines est totius *potestativi* in partes potentiales" (*In II Sent.*, d. 9, 3 ad 1).

(44) *Summa theol.*, I, 13, 3.

(45) *Op. cit.*, I, 13, 10.

(46) *Op. cit.*, I, 108, 5c.

quasi proprium", cum sit quid genericum, in quo vel ipsi infimi conveniunt (47).

127. At praesertim perfectiones essentiales substantiarum sive formarum separatarum dicuntur secundum prius et posterius per ordinem vel analogiam attributionis intrinsecae ad formam supremam increatam sive divinam, quae est actus purus, cuiusque sunt participationes plus minusve perfectae.

Quo in sensu idem S. Doctor praeclare dixit: "in substantiis vero *immaterialibus ordo graduum diversarum specierum* attenditur, non quidem secundum comparationem ad materiam quam non habent, sed *secundum comparationem ad primum agens quod oportet esse perfectissimum.* Et ideo *prima* species in eis est *perfectior* secunda, utpote *similior primo agenti;* et *secunda diminuitur a perfectione primae; et sic deinceps usque ad ultimam earum.*

Summa autem perfectio primi agentis in hoc consistit, quod in uno simplici habet omnimodam bonitatem et perfectionem. Unde *quanto aliqua substantia immaterialis fuerit primo agenti propinquior, tanto in sua natura simplici perfectiorem habet bonitatem suam,* et minus indiget inhaerentibus formis ad sui completionem. *Et hoc* quidem *gradatim producitur usque ad animam humanam, quae in eis tenet ultimum gradum,* sicut materia prima in genere rerum sensibilium" (48).

"Invenitur igitur *in formis* diversitas *secundum quemdam ordinem perfectionis et imperfectionis.* Nam quae materiae est propinquior, imperfectior est et quasi in potentia respectu supervenientis formae. Sic igitur nihil prohibet *in spiritualibus substantiis* ponere multitudinem quamvis sint formae tantum, ex hoc quod una earum est alia imperfectior: ita quod *imperfectior est in potentia respectu perfectioris, usque ad Primam earum quae est actus tantum, quae est Deus*" (49).

Nam "divina natura dicitur *forma* (50), non quod sit actus alicuius naturae quia non habet partem sui naturam, nec aliquid potentialitatis in ipsa est" (51), sed quia est Actus Purus.

128. Omnesque formas substantiales tam coniunctas corporibus quam separatas simul iungens, synthetice concludit: "*omnis forma est aliqua similitudo primi principii, quod est Actus Purus.* Unde *quanto forma magis accedit ad similitudinem ipsius, plus participat de perfectionibus eius.* Inter *formas* autem *corporum* magis appropinquat ad similitudinem Dei *anima rationalis*, et ideo participat de nobilitatibus Dei,

(47) *Ibid.*, ad 1. Cf. II-II, 160, 1 ad 1.

(48) *De Anima*, 7c.

(49) *De Substantiis separatis*, cap. 6, n.° 39.

(50) *Philip.*, 2, 6: "qui [Filius] cum in *forma Dei* esset".

(51) *In III Sent.*, d. 5, exposit. textus, n.° 127. Cf. *Summam contra Gentiles*, IV, 7, 10; 8, n.° 3; 24, 3; 29, 1.

of Divinity Library

scilicet quod intelligit, et quod potest movere, et quod habet esse per se; et anima *sensibilis minus, et vegetabilis adhuc minus, et sic deinceps*" (52).

129. Inter formas vero separatas, quas angelos dicimus, maxime accedit ad Dei similitudinem supremus angelus, et sic inde ordinate descendendo usque ad infimum, qui tamen naturaliter plus participat de perfectione atque nobilitate Dei quam omnes homines, etiam maximo ingenio praediti. Quapropter S. Thomas apposite: "inferior angelus est superior supremo homine" (53). Et iterum: "intellectus angeli plus excedit intellectum humanum quam intellectus optimi philosophi intellectum rudissimi idiotae; quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit" (54).

Art. 3

Inter formas accidentales sive inter diversa genera vel modos qualitatis.

130. Quod si formas accidentales, quae sunt qualitates presse dictae, specialiter consideremus, similis ordo atque analogia apparet.

Equidem qualitates sensu primigenio sunt formae accidentales afficientes atque modificantes substantiam *corpoream*, et in hoc sensu accipiuntur ab Aristotele (1), qui eas in quatuor modos geminatos distribuit, in dispositionem scilicet et habitum, in physicam impotentiam et potentiam, in passionem et patibilem qualitatem, atque in formam et figuram.

131. Cum enim proprium sit qualitatis intendi et remitti, in ipsa specierum vel modorum enumeratione latitudinem graduum huiusmodi ob oculos posuit, indicando gradum remissum sive imperfectum et gradum intensum perfectumque singularum. Dispositio namque se habet ad habitum ut inchoatio ad consummationem sive ut imperfectum ad perfectum intra primam speciem qualitatis. Et similiter impotentia physica, quae potentia tantum inchoata est et nondum perfecte evoluta, ad physicam potentiam, quae est potentia robusta pleneque evoluta. Eademque proportione se habet simplex passio adhuc fluxa et vialis ad patibilem qualitatem, quae fixa et manens est. Sicut et mera forma, quae est simplex terminatio quantitatis, ad figuram, quae modulum perfectum praesefert.

(52) *In I Sent.*, d. 8, 5, 2 ad 5.
(53) *Summa theol.*, I, 108, 2 ad 3.
(54) *Summa contra Gentiles*, I, 3, 2.

(1) Aristoteles, *Categoriae*, 8, 8b 25-11 a 39.

132. Qui quidem modi vel species ordinate se habent secundum maiorem vel minorem propinquitatem ad substantiam quam afficiunt vel modificant. Haec enim substantia est natura corporea, cuius primum accidens est quantitas. Ipsa tamen ex se est principium motus vel operationis, ut nomine ipso patet (2). Et ideo significat essentiam vel substantiam corpoream viventem, "*secundum quod habet ordinem ad propriam operationem*" eius (3).

133. Qualitas ergo, quae naturaliter venit post quantitatem inter accidentia naturae corporeae, potest eam afficere vel modificare accidentaliter triplici modo: primo, *in seipsa, prout est essentia vel substantia quaedam*, et sic ipsam afficit dispositio et habitus, ut sanitas et pulchritudo —prima species—; secundo, *in seipsa, prout est radix vel principium propriarum operationum*, et tunc eam afficit naturalis potentia inchoata et perfecte evoluta —secunda species—; tertio, consequenter, *inducendo modificationem in altera substantia in quam agit*, alterando ipsam, idest inducendo in eam passionem et patibilem qualitatem, *vel recipiendo modificationem ab alia substantia a qua patitur* et alteratur, passionem nempe et patibilem qualitatem —tertia species—; quarto, substantiam afficiendo *mediante quantitate et secundum quantitatem*, et sic eam afficit forma et figura —quarta species—.

134. Ubi apparet naturalis ordo huiusmodi specierum vel modorum qualitatis. Nam prior est modus naturae in seipsa quam naturae mediante quantitate et secundum quantitatem. Atque inter modos vel qualitates afficientes substantiam in seipsa, prior est qualitas afficiens ipsam in ordine ad se quam in ordine ad aliam substantiam, ut est tertia species qualitatis. Quod si attendamus modos sive affectiones substantiae in seipsa, prior naturaliter est affectio absoluta, secundum quod est essentia quaedam, quam affectio quasi relativa, secundum quod, ut natura, dicit ordinem ad propriam operationem sive quatenus nominat principium motus; sicut prius est esse quam agere, iuxta effatum illud: "agere sequitur ad esse in actu" (4); "esse est prius natura quam agere" (5).

135. Quae quidem omnes, cum sint qualitates speciei, idest accidentia *propria* substantiae corporeae viventis, naturaliter praecedunt accidentia communia sive contingentia quae individua comitari solent ra-

(2) "Nomen *naturae a nascendo* est dictum. Unde primo est impositum hoc nomen ad significandum *generationem viventium*, quae *nativitas vel pullulatio* dicitur, ut dicatur *natura quasi nascitura*" (S. Thomas, *Summa theol.*, III, 3, 1c).
(3) *De ente et essentia*, cap. 1. Cf. *Summam theol.*, I, 29, 1 ad 4; 39, 2 ad 3.
(4) *Summa contra Gentiles*, III, 69, 8. Cf. II, 79, 2; III, 42, 1; 84, 5.
(5) *Summa theol.*, III, 34, 2 ad 1.

of Divinity Library

tione materiae, multoque magis priora sunt accidentibus supervenientibus ab extrinseco per vim vel per artem (6). Qua de causa, vel ipsa forma et figura naturalis, quae est quarta et ultima species qualitatis, ex principiis oritur speciei, cuius est proprium et manifestum signum, prout videre est in conformatione typica crystallorum secundum diversas eorum species, et in plantis atque in animalibus.

136. Etenim, ut ad rem scribit S. Thomas, "in omnibus quae sunt secundum naturam est certus terminus et determinata ratio magnitudinis et augmenti. Sicut enim cuilibet *speciei* debentur aliqua accidentia *propria*, ita et *propria quantitas*, licet *cum aliqua latitudine*, propter diversitatem materiae et alias causas individuales: non enim omnes homines sunt unius quantitatis. Sed tamen est aliqua quantitas tam magna, ultra quam species humana non porrigitur; et alia quantitas tam parva, ultra quam homo non invenitur" (7). Cum ergo forma et figura sint qualitates quantitatem terminatam consequentes (8), necesse est corpora naturalia, maxime viventia, *propria* gaudere forma et figura, sicut et *propriam* habent quantitatem (9).

Ideo merito concludit: "oportet corpus hominis et cuiusvis animalis habere *determinatam figuram* et in toto et in partibus" (10). "Signum autem *speciei* in rebus corporeis *maxime* videtur esse *figura*. Videmus enim quod diversorum animalium secundum *speciem* sunt diversae *figurae*" (11).

Et alio in loco: "*inter omnes qualitates, figurae maxime consequuntur et demonstrant speciem rerum.* Quod maxime in plantis et animalibus patet, in quibus nullo certiori iudicio diversitas specierum diiudicari potest quam diversitate figurarum. Et hoc ideo, quia sicut quantitas propinquissime se habet ad substantiam inter alia accidentia, ita figura, quae est qualitas circa quantitatem, propinquissime se habet ad formam substantiae" (12).

---

(6) "Tria sunt genera accidentium. Quaedam enim causantur ex principiis *speciei*, et dicuntur *propria*, sicut *risibile homini*. Quaedam vero causantur ex principiis *individui*: et hoc dicitur, quia vel habent causam *permanentem* in subiecto, et haec sunt accidentia *inseparabilia*, sicut masculinum et femininum et alia huiusmodi; quaedam vero habent causam *non permanentem* in subiecto, et haec sunt accidentia *separabilia*, ut sedere et ambulare" (*De Anima*, 12, ad 7. Cf. a. 18c; *De Spiritualibus creaturis*, 11c).

(7) *In II De Anima*, lect. 8, n.° 332.

(8) "Terminus quantitatis est sicut *forma* ipsius: cuius signum est quod *figura*, quae consistit in terminatione quantitatis, est quaedam *forma circa quantitatem*" (*Summa theol.*, I, 7, 1 ad 2).

(9) Quod enim S. Doctor dicit de corpore mathematico, id a fortiori asserendum est de corpore physico vel naturali (*Op. cit.*, I, 7, 3c, in fine).

(10) *Summa contra Gentiles*, IV, 84, 6.

(11) *Summa theol.*, I, 35, 1c.

(12) *In VII Physicorum*, lect. 5, n.° 5.

137. Apparet ergo sat magna diversitas inter sic dictas species qualitatis, quae procul dubio non sunt species atomae, sed potius genera quaedam sub se continentia plures species. Qua de causa Aristoteles potius genera vel modos (γένος, τρόπος) quam species appellat (13), et insuper ait nomen qualitatis dici multipliciter, πλεοναχῶς (14)—: quod certe non est univocorum, quae ex adverso μοναχῶς dicuntur (15), sed aequivocorum. Atqui non est nomen pure aequivocum, ut patet ex dictis (n.° 134), quia eius significata non sunt penitus diversa et omnino disparata, sed ordinata secundum prius et posterius ad unum primum, quod est habitus entitativus, idest qualitas perfecta primae speciei sive primi modi, quae maxime accedit ad qualitatem substantialem, nempe ad formam substantialem, ex qua sumitur differentia specifica —ἡ διαφορὰ τῆς οὐσίας—(16), quaeque ideo praedicatur in *quale quid*. Est igitur nomen analogum, non solum analogia inaequalitatis, verum etiam attributionis intrinsecae, praesertim si quatuor illis modis consequentibus et afficientibus naturam speciei superaddantur qualites afficientes individua, sive sint quodammodo naturales sive adventitiae et per industriam acquisitae vel fabricatae.

138. Ceterum figura, cum sit "forma quanti in quantum huiusmodi" (17), "abstrahit secundum suam rationem ab omni materia et forma sensibili", et ideo est "quoddam *mathematicum*" (18), idest geometricum, quia tota geometria est de figuris quantitatis dimensivae. Quae quidem figurae, puta plana, sphaerica, triangularis, lenticularis et aliae huiusmodi, specie geometrica differunt inter se, et ideo assimilantur et analogantur in hoc sensu formis substantialibus corporum physicorum. "Huiusmodi enim qualitates sunt *quasi quaedam differentiae substantiales mathematicorum*" (19).

Art. 4

Inter qualitates corporales et spirituales

139. Quidquid tamen de hoc sit, certum est ab his qualitatibus corporalibus toto caelo differre qualitates spirituales afficientes et modificantes substantias separabiles —animas humanas— vel separatas

---

(13) *Categoriae*, 8, 9a 14, 28; 10a 11; *Metaphysica*, IV, 14, 1020a 33.

(14) *Categoriae*, 8, 8b 26.

(15) *Physica*, II, 185b 31; *Metaphysica*, II, 1, 995b 15.

(16) *Metaphysica*, IV, 14, 1020a 33.

(17) *Summa theol.*, I, 7, 3, in fine.

(18) *Summa contra Gentiles*, III, 105, 4.

(19) *In V Metaph.*, lect. 16, n.° 997.

of Divinity Library

—angelos—. In his enim, cum incorporeae sint, locum habere non possunt tertia et quarta species qualitatis, quae circa corporalia essentialiter versantur (1), sed solum prima et secunda, depuratae tamen atque elevatae ad res spirituales significandas. Quia enim omnis cognitio nostra naturalis incipit a sensibilibus et corporalibus, et "unumquodque nominatur a nobis secundum quod ipsum cognoscimus" (2), nomina, quae rebus espiritualibus signandis imponimus, primo dicta sunt de corporalibus sensui obiectis, ac dein, a modo sensibili et quasi materiali vel quantitativo depurata, transferentur ad spiritualia sublimiori modo significanda.

140. Quod quidem vel in ipso nomine *spiritus* videre est. Hoc enim "*nomen spiritus a respiratione animalium sumptum videtur,* in qua aër cum quodam *motu* infertur et emittitur. *Unde* nomen spiritus ad omnem *impulsum et motum* vel cuiuscumque aërei corporis trahitur, secundum illud Psalmi 148,8: ignis, grando, nix, glacies, *spiritus procellarum*, quae faciunt verbum eius. Sic *etiam* vapor *tenuis* diffusus per membra ad eorum *motus, spiritus vocatur. Rursus,* quia aër *invisibilis* est, translatum est ulterius spiritus nomen ad omnes virtutes et substantias *invisibles et motivas.* Et propter hoc, et anima sensibilis, et *anima rationalis, et angeli, et Deus, spiritus dicuntur*" (3). Patet autem quod impulsus, et vis motiva, et subtilitas, et invisibilitas, non eodem modo dicuntur de respiratione animalium, de impetu procellae, de spiritibus animalibus, de vi animae vitali, de substantia animae rationalis, de angelorum substantia et de essentia —vel de tertia persona— Dei, sed sensu longe diverso.

141. Ita, ut de una *subtilitate* loquamur, quam verbum spiritus fundamentaliter significat (4), ait optime S. Doctor: "subtilitas spiritus

(1) Nomina enim propria corporalium rerum non dicuntur de spiritualibus nisi per translationem, idest per metaphoram, sicut lux —quae est in tertia specie qualitatis— et figura —quae est in quarta—. "Non enim Apostoli, ut scite notat S. Thomas, sunt in genere qualitatis quia eis dictum est, Matth. 5, 14: vos estis *lux mundi*" (*In IV Sent.*, d. 4, 1 c, n.° 26). Dicuntur ergo metaphorice tantum, propter similitudinem quamdam effectus, qui est res —et veritatem— manifestare et in perspicuo ponere. Quae quidem similitudo quamdam analogiam proportionalitatis involvit: "dicitur enim lux in spiritualibus illud quod ita se habet ad manifestationem intellectivam sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam" (*In II Sent.*, d. 13, 2c).

(2) *Summa theol.*, I, 13, prolog.

(3) *Summa contra Gentiles*, IV, 23, 1. Spiritus creatus "quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quaecumque substantia invisibilis" (*Summa theol.*, I, 41, 3 ad 4, in fine).

(4) "*Spiritus* est nomen positum ad significandum *subtilitatem* alicuius naturae. Unde dicitur tam de corporalibus quam de incorporeis. Aër enim dicitur spiritus propter subtilitatem; et *exinde* attractio aëris et expulsio dicitur inspiratio et respiratio; et *exinde* ventus etiam dicitur spiritus; et *exinde* etiam subtilissimi vapores, per quos diffunduntur virtutes animae in partes corporis,

excedit omnem subtilitatem corporis" (5). Subtile namque, ut nomine ipso patet, dictum est primo de filo tenuissimo atque delicatissimo, quod tramam penetrat undique, atque ideo *sub tela* transit. Indeque extensum est hoc nomen ad significandum corpus parvae densitatis et materiae, acutum tamen et durum, ut possit alia corpora penetrare. Cui opponitur corpus grossum et densum, idest non penetrativum. Postea vero ad vim penetrativam sensus et intellectus in propria obiecta funditus perscrutanda ampliatum est.

Qua de re dignus est qui audiatur iterum S. Thomas: "nomen subtilitatis *a virtute penetrandi* est assumptum... Quod autem aliquod corpus sit *penetrativum,* contingit ex duobus. *Primo, ex parvitate quantitatis,* praecipue secundum profunditatem et latitudinem, non autem secundum longitudinem, quia penetratio fit in profundum: unde longitudo penetrationi non obstat. *Secundo, ex parvitate materiae*: unde rara subtilia dicimus...

Et *quia res incorporeae quantitate carent et materia, nomen subtilitatis ad eas transfertur,* non solum ratione suae *substantiae,* sed etiam ratione suae *virtutis.* Sicut enim subtile dicitur penetrativum quia pertingit usque ad intima rei, ita etiam dicitur aliquis *intellectus subtilis* quia pertingit ad inspicienda intrinseca principia et proprietates naturales rei latentes. Et similiter dicitur aliquis habere *visum subtilem,* quia aliquid minimum potest visu pertingere. Et similiter est de aliis sensibus" (6).

142. Absit ergo ut habitum et dispositionem, itemque potentiam robustam et nondum perfecte evolutam, quae sunt qualitates primae et secundae speciei —vel potius generis—, eodem modo intelligamus quando dicuntur de rebus materialibus et de rebus immaterialibus. Turpiter siquidem erraret qui potentias spirituales angeli vel animae humanae intelligeret ad instar virium physicarum ferri vel petrolei, aut qui gratiam sanctificantem conciperet ad modum sanitatis vel pulchritudinis corporalis. Qui itaque vult qualitates substantiarum immaterialium recte intelligere, debet omnino corporalia et sensibilia transcendere. Hisce enim in rebus, ut monet opportune S. Thomas, "est imaginatio omnino reliquenda" (7).

dicuntur spiritus. Et similiter *incorporea* propter suam *subtilitatem*, dicuntur spiritus, sicut dicimus spiritum Deum, et angelos, et animam" rationalem (*In I Sent.*, d. 10, 4c).

(5) *In IV Sent.*, d. 44, 2. 2. qla. 1, arg. 1 sed contra.

(6) *Ibid.*, corp.

(7) *In librum Boëthii De Trinitate,* expositio cap. 2, n.° 6 (ed. B. DECKER, p. 160, 22-23. Leiden, 1955); q. 6. a. 2.

of Divinity Library

Art. 5

INTER QUALITATES NATURALES ET SUPERNATURALES

143. Quod ut rite et congruenter fiat, prae oculis habenda est distinctio inter qualitates naturales et supernaturales harum substantiarum.

PARS PRIOR. QUALITATES NATURALES

I

Potentiae naturales

1. *Potentiae organicae*

144. *Naturales* quod attinet, tam anima rationalis quam angelus qualitates habent secundae speciei, idest naturales potentias sive facultates, quae sunt veluti accidentia eorum *propria*, utpote naturaliter atque sponte ex ipsorum essentia resultantes. Differenter tamen. Quia angelus non habet nisi facultates duas, easque omnino anorganicas et spirituales, intellectum nempe et voluntatem. Homo autem, praeter intellectum et voluntatem, quae remanent etiam actu in anima separata, habet quoque facultates organicas, vegetativas scilicet —nutritivam, augmentativam et generativam— et sensitivas, tam exteriores —visum, auditum, odoratum, gustum et tactum— quam interiores —sensum communem, memoriam, imaginationem et cogitativam—; itemque duas appetitivas, concupiscibilem nempe et irascibilem: quae quidem, licet sint ipsius animae sicut principii et radicis, non sunt tamen eius solius sicut subiecti, sed totius compositi ex animae et corpore; et ideo non manent actu in anima separata, sed in radice tantum (1). Neque homini conveniunt qua homo vel rationalis est, sed qua animal et qua vivens, dum e contra facultates anorganicae ei conveniunt reduplicative ut homo. Quo fit, ut intellectus et voluntas sint potentiae sive qualitates *maxime propriae* animae qua humana vel rationalis est, quia videlicet sunt accidentia *propria solius* animae, non compositi ex anima et corpore, dum facultates organicae sunt potius accidentia *propria* totius compositi, et non animae solius (2).

(1) Cf. *Summa theol.*, I, 77, 8; 78, per totum.
(2) Potentiae organicae "non sunt *proprietates* solius animae, sed *coniuncti*" (*Summa theol.*, I, 77, 8 ad 2).

2. *Potentiae anorganicae*

145. Sed et in ipsis potentiis *inorganicis* adest magna differentia inter angelum et animam humanam. Angelus enim cum sit forma penitus separata et omnino independens a corpore, non accipit obiecta intelligibilia a rebus corporalibus ope sensuum, neque indiget ea reddere immaterialia per abstractionem quamdam, sed proprium obiectum intellectus eius est immateriale et per se intelligibile, puta propria cuiusque substantia et ceterorum angelorum. Qua de causa unum tantum et simplicem intellectum habent. At vero anima humana, quia est forma naturaliter et substantialiter unita corpori, debet obiecta intelligibilia a corporalibus accipere, in quibus, utpote materialibus, non sunt actu intelligibilia, sed in potentia tantum. Ut ergo ea valeat actu intelligere, debet geminas operationes exercere: unam activam, in ipsas res materiales a sensibus et ab imaginatione exhibitas, qua nempe eas facit immateriales sive intelligibiles actu, denudando ipsas a materialitate ceterisque conditionibus materiam necessario comitantibus; aliam quasi passivam, ad recipiendum scilicet species intelligibiles rerum sensibilium per priorem operationem elaboratas, quae ob id dicuntur species *impressae*, quia intellectus debet eis *informari* et moveri obiective, ut res per ipsas repraesentatas possit actu intelligere. Quae duae functiones sive operationes adeo diversae sunt, ut exigant duas facultates intellectivas distinctas: activam unam, quae ideo vocatur intellectus agens; et aliam passivam, quae ob id appellatur intellectus possibilis (3). Ille facit obiectum suum, nempe intelligibile in actu ex intelligibili in potentia exhibito a phantasmatibus imaginationis; hic vero non facit obiectum suum, sed illud recipit et ab eo obiective movetur, ut tandem eliciat actum secundum cognoscendi ipsum.

146. Intellectus ergo angelicus est alius indolis ac humanus intellectus, quia neque agit in intelligibile proprium, neque ab ipso proprie

(3) "Non enim distinguitur potentia activa a passiva ex hoc quod habet operationem. Quia cum cuiuslibet potentiae animae tam activae quam passivae sit operatio aliqua, quaelibet potentia animae esset activa. Cognoscitur autem eorum distinctio *per comparationem potentiae ad obiectum*. Si enim *obiectum* se habeat ad potentiam *ut patiens et trasmutatum*, sic erit potentia *activa;* si au-tem e converso se habet *ut agens et movens*, sic erit potentia *passiva*. Et inde est quod omnes potentiae vegetabilis animae sunt activae, quia alimentum trans-mutatur per potentiam animae tam in nutriendo quam in generando: sed poten-tiae sensitivae animae omnes sunt passivae, quia per sensibilia obiecta moventur et fiunt in actu.

Circa *intellectum* vero aliqua potentia est activa, aliqua passiva: eo quod *per intellectum intelligibile in potentia fit intelligibille in actu*, quod est intellectus *agentis*, et sic intellectus agens est potentia *activa*. Ipsum etiam *intelligibile in actu facit intellectum in potentia esse intellectum in actu*, et sic intellectus *possibilis* erit potentia *passiva*" (*De Verit.*, 16, 1 ad 13).

of Divinity Library

loquendo patitur, eo quod nunquam est in pura potentia intellectuali sicut tabula rasa in qua nihil est scriptum (4), sed est naturaliter plenus formis intelligibilibus, semperque actu aliquid intelligit (5). Ipse igitur unus atque unicus existens, eminenter atque unite continet quidquid perfectionis est in utroque intellectu humano, et adhuc amplius.

147. Porro inter has formas accidentales sive qualitates secundi generis viget ordo prioris et posterioris secundum maiorem vel minorem accessum ad maximum, sive secundum maiorem vel minorem perfectionem, quia ordo formarum est ordo perfectionis et dignitatis. Qua in re priores sunt potentiae angelorum quam potentiae animae humanae, sicut angeli sunt hominibus perfectiores. In quibus potentiae anorganicae priores sunt organicis, atque inter ipsas organicas sunt priores sensitivae quam vegetativae. Tandem, sive anorganicas sive organicas consideremus, priores sunt cognoscitivae quam appetitivae, puta cogitativa quam appetitus sensitivus, et intellectus quam voluntas non solum in nobis sed et in angelis.

148. Ex quibus facile est ordinem texere omnium huismodi qualitatum sive potentiarum. Suprema namque et prima, respectu cuius ceterae ordinantur, est intellectus supremi angeli, sub quo immediate venit eius voluntas: et sic inde gradatim descendo per intellectus et voluntates singulorum angelorum usque ad infimum. Qui quidem gradus non sunt mere individuales et numerici, sed specifici atque essentiales. Sicut enim singuli angeli differunt specie inter se, ita intellectus ac voluntates singulorum.

149. Sub angelis autem longe inferius locantur homines. Plus namque naturaliter distat homo ab infimo angelo quam minimus angelus a supremo. Eademque proportione naturales potentiae animae humanae, non solum organicae sed et ipsae anorganicae, multo inferiorem tenent locum respectu potentiarum angelorum. Ideo S. Thomas: "vis intellectiva est *multo altior* in angelo quam in homine" (6), et comparatur ad vim intellectivam huius "*sicut perfectum ad imperfectum*" (7).

---

(4) ARISTOTELES, *De Anima, III*, 4 (430 a 1); V, 1 (430 a 14).

(5) PROCLUS, *Institutio theologica*, prop. 177; ed. F. DÜBNER, p. CVII, 41, Parisiis, 1855. Quae et in libro *De causis* iteratur, prop. 10. S. THOMAS saepissime eam refert sub verbis: Intelligentia est plena formis. (Cf. C. PERA, O. P., in sua editione libri *De causis*, p. 71a). Suamque facit sine citatione auctoris: "potentia intellectiva in substantiis spiritualibus superioribus, idest in angelis, *naturaliter completa est per species intelligibiles*, in quantum habent species intelligibiles connaturales ad omnia intelligenda quae naturaliter cognoscere possunt" (*Summa* theol., I, 55, 2c).

(6) *Summa theol.*, II-II, 180, 6 ad 2.

(7) *Op. cit.*, I 79, 8 ad 3.

150. Unde et homines dicuntur potius rationales sive discursivi quam intellectuales sive intuitivi, dum e contra angeli sunt proprie loquendo intellectuales, non rationales. Quod autem intellectuales nonnunquam dicantur homines, non est nisi per modicam quamdam et imperfectam intelligentiae participationem, quam plene possident angeli.

151. Qua de causa S. Thomas iterum: "si quis, ait, velit *proprie* nominare *hominem*, dicit eum substantiam *rationalem*, non autem substantiam *intellectualem*, quod est *proprium* nomen *angeli*; quia *simplex intelligentia convenit angelo per proprietatem, homini vero per participationem*" (8). Et hac participatione se habet intellectus humanus ad angelicum ut umbra ad corpus lucidum, et ut scintilla ad ignem, nempe ut modicum quid et valde imperfectum ad plenum atque perfectum: "quia illud quod est superioris naturae non potest esse in inferiori natura perfecte, sed per quamdam *tenuem* participationem" (9).

152. Sed placet audire rursus S. Doctorem dilucide ac profunde explicantem analogias umbrae et scintillae cum corpore lucido et igne ex una parte, et humani intellectus cum angelica intelligentia ex alia. "Ratiocinatur *homo* discurrendo et inquirendo lumine intellectuali per continuum et tempus *obumbrato*, ex hoc quod cognitionem a sensu et imaginatione accipit; quia secundum Isaac in libro De definitionibus, *ratio oritur in umbra intelligentiae.* Sed *angelus* lumen intellectuale *purum et impermixtum* participat: unde etiam sine inquisitione *deiformiter* intelligit" (10).

153. Et alio in loco: "in ordine creatorum oportet quod consequens praecedenti similetur, nec hoc potest esse nisi secundum quod *aliquid participat* de perfectione eius: quod quidem *inferiori modo est in secundo* ordine creaturarum *quam in primo.* Unde hoc quod inferior creatura de similitudine superioris participat, est supremum in inferiori et ultimum in superiori, quia est *deficientius receptum* quam in superiori sit.

Inter creaturas autem talis est ordo, ut primo sit angelus et secundo sit rationalis anima. Et quia *rationalis anima* corpori coniuncta est, ideo cognitio debita sibi secundum suum proprium ordinem est cognitio quae a sensibilibus in intelligibilia procedit, et non pervenit in cognitionem veritatis nisi inquisitione praecedente: et ideo cognitio sua *rationalis* dicitur.

Quia vero *angelus* simpliciter incorporeus est, nec corpori unitur, cognitio naturae suae debita est ut simpliciter sine inquisitione veritatem apprehendat: propter quod *intellectualis* natura nominatur.

---

(8) *Op. cit.*, I, 108, 5c.

(9) *De Verit.*, 15, 1c.

(10) *In II Sent.*, d. 3, 1, 2c.

... of Divinity Library

Oportet ergo quod *in anima rationali*, quae angelo in ordine creaturarum configuratur, *sit aliqua participatio intellectualis virtutis*, secundum quam *aliquam* veritatem sine inquisitione apprehendat, sicut apprehenduntur prima principia naturaliter cognita tam in speculativis quam etiam in operativis. Unde et talis virtus *intellectus* vocatur secundum quod est in speculativis; quae etiam, secundum quod in operativis est, *synderesis* dicitur. Et haec virtus *scintilla* convenienter dicitur, eo quod sicut scintilla est *modicum* ex igne evolans, ita haec virtus est quaedam *modica participatio* intellectualitatis respectu eius quod de intellectualitate in angelo est. Et propter hoc etiam *superior pars* rationis *scintilla* dicitur, quia in natura rationali supremum est" (11).

154. Si ergo id quod primum et supremum in ratione est, modica participatio est intellectus infimi angeli, multo tenuior atque imperfectior erit participatio in eo quod posterius et inferius est in ratione, nempe in discursu vel ratiocinatione, praesertim si comparetur cum intellectualitate supremi angeli. Et idem valet, proportione servata, de voluntate animae rationalis relate ad voluntatem angelorum.

155. Atque inter ipsam angeli voluntatem eiusque intellectum naturalis ordo invenitur prioris et posterioris, quia voluntas naturaliter sequitur intellectum, iuxta illud: nihil volitum quin praecognitum. Intellectus ergo angeli immediate oritur atque naturaliter resultat ex eius essentia, voluntas autem mediante intellectu. Quo in sensu Angelicus Doctor universaliter ait: "Voluntas *proprie* in intellectu est" (12).

156. Quod autem animae rationalis potentias attinet, eas quidem omnes ab essentia eius oriri et fluere, constanter asserit Thomas, ordine tamen quodam. *Suprema* namque atque *propriissima* eius procedit ab ipsa substantia animae immediate, ceterae vero consequenter una ex alia pro ordine quo accedunt ad illam primam, ita tamen ut prima radix sit semper anima ipsa.

157. Ut enim scite ait S. Doctor, "omnis numerositas, quae descendit *naturaliter* ab aliquo uno, oportet quod descendat secundum ordinem, quia ab uno non exit nisi unum. Et ideo, cum multae potentiae egrediantur ab essentia animae, dicimus quod in potentiis animae est *ordo naturalis:* et cum omnes fluant ab essentia, *una fluit mediante alia*. Et inde est quod posterior potentia *supponit* in definitione sui priorem, et actus posterioris *dependent* a priori" (13).

(11) *In II Sent.*, d. 39, 3, 1c.
(12) *Summa contra Gentiles* I, 72, 2.
(13) *In I Sent.*, d. 3, 4, 3c. Cf. *in II Sent.*, d. 24, 1, 2c; *Summa theol.*, I, 77, 4, 7.

158. Cum ergo suprema potentia animae rationalis maximeque ei propria sit intellectus, iste immediate ac primo ab anima difluit, deinde voluntas mediante intellectu *possibili*. Quo ideo dico, quia ipse intellectus possibilis procedit sive emanat ab anima mediante intellectu agente, qui eo prior et superior est, ut activum passivo (14). Postea fluunt, mediante intellectu ipso possibili, sensus interiores et appetitus sensitivus per ordinem. Nam ab intellectu fluit cogitativa, quae suprema facultas sensitiva est, ob idque appellatur *ratio particularis* (15); dein, voluntate quoque cooperante, fluit appetitus irascibilis, indeque concupiscibilis —qui inferior est irascibili (16)—, utpote cogitativam consequentes, et aliquid vis appetitivae voluntatis participantes; cogitativa vero mediante, oritur memoria sensitiva, quam immediate sequitur imaginatio, quam denique consequitur sensus communis.

159. Atque mediante sensu communi fluunt per ordinem sensus externi, visus nempe, auditus, olfactus, gustus et tactus. Hunc autem ordinate consequuntur potentiae vegetativae, scilicet generativa, augmentativa et nutritiva (17).

Et quia "semper prius salvatur in posteriori" (18), ideo aliqua participatio rationis invenitur in voluntate et in facultatibus sensitivis apprehensivis, atque utriusque in appetitu sensitivo. Quod in actibus earum videre est. "Actus enim unius potentiae necessario actum alterius praesupponit, sicut actus appetitivae actum apprehensivae. Et inde est quod sicut virtus essentiae animae in potentia relinquitur, ita et virtus unius potentiae praecedentis relinquitur in subsequenti: et inde est quod aliqua potentia virtutes plurium potentiarum in se colligit.

160. Et sic est in libero arbitrio, quod ex eius actu patet. Eligere enim, quod actus eius ponitur, importat discretionem et desiderium: unde eligere est alterum alteri praeoptare. Haec autem duo sine virtute vo-

(14) Intellectus agens "est potentia *altior* quam intellectus possibilis" (*In II Sent.*, d. 20, 2, 2 ad 2). "Intellectus agens *nobilior* est possibili, sicut virtus activa nobilior est passiva; *et magis separatus*, secundum quod magis a similitudine materiae recedit, non tamen ita quod sit substantia separata" (*De Anima*, 5 ad 10).
(15) *Summa contra Gentiles*, II, 60, 1; *Summa theol.*, I, 78, 4c; 81, 3c.
(16) "Irascibilis est *propinquior* rationi et voluntati quam concupiscibilis..., et est *superior et dignior* ea, sicut aestimativa [= cogitativa] inter ceteras apprehensivas virtutes sensitivae partis" (*De Verit.*, 25, 1c); et sicut intellectus agens est superior possibili, cum se habeat ad ipsum ut activum ad passivum; nam irascibilis appetitus est per modum actionis sive aggressionis, et ideo est ordinatus ad agendum, dum concupiscibilis e contra est per modum receptionis, quasi ordinatus ad recipiendum obiectum concupitum (*ibid*).
(17) Amplior expositio videri potest apud EM. BARBADO, O. P., *Estudios de Psicologia experimental*, t. I, p. 666-797, Madrid, 1946.
(18) *Summa theol.*, I, 60, 1c.

School of Divinity Library

luntatis et rationis perfici non possunt (19). Unde patet quod liberum arbitrium virtutem voluntatis et rationis colligit: propter quod facultas utriusque dicitur" (20).

Qua de causa "*sensus etiam est quaedam deficiens participatio intellectus:* unde secundum naturalem originem quodammodo est ab intellectu, sicut imperfectum a perfecto" (21), per modum cuiusdam *refluentiae* (22).

161. Et hoc quidem in homine ipso potissime contingit. Sensu tamen latiori ipsae facultates sensitivae superiores brutorum animalium dici etiam possunt quaedam rationis participatio, licet gradus inferioris. Et ideo Thomas iterum: "natura sensitiva non est ratio, sed *aliqua participatio rationis,* in quantum bruta animalia habent quamdam *prudentiam* naturalem" (23), quae instinctus et sagacitas appellari consuevit. Participatio quidem valde exigua et imperfecta, ad modum cuiusdem debilis resonantiae. "Infimum enim cuiuslibet processionis *resonantia* nominatur, ad similitudinem eius quod non potest sentiri de sono propter distantiam. Sicut enim infimum vitae est in plantis, ita infimum cognitionis est in sensu" (24).

162. Haec autem tam ampla tamque diversa potentiarum multitudo ordinata non solum importat inaequalitatem specierum sub secundo genere qualitatis, ac si hoc esset totum quoddam universale cuius illae species essent partes subiectivae —tunc enim una tantum daretur analogia inaequalitatis—, sed potius modus ille qualitatis concipiendus est veluti totum potentiale sive analogum attributionis presse dictum, cuius suprema pars eminenter et unite continet posteriores omnes, et unaquaque harum subsequentes, atque ita descendo usque ad paenultimam, quae respectu infimae totalitatem quamdam virtutis adhuc retinet.

163. Et sic videmus quod intellectus angeli continet unite et indivise quidquid intellectus humanus agens et possibilis praeseferunt, multoque magis quidquid cognitionis habent omnes sensus interiores et exteriores, aliaque multa et sublimiora ad quae neque sensus neque intellectus humanus porriguntur. Hinc S. Thomas: "intellectus, qui non dividitur per multas potentias, est efficacior in cognoscendo quam sensus, qui per multas potentiae diversificatur. Et eadem ratione virtus

(19) Discretio enim rationi debetur, desiderium autem voluntati.
(20) *In II Sent.*, d. 24, 1, 2c. "Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis" (PETRUS LOMBARDUS, *Sententiae*, II, d. 24, cap. 3, ex auctore *Summae Sententiarum*, tract. 3, cap. 7; ML. 176, 99).
(21) *Summa theol.*, I, 77, 12c.
(22) *Op. cit.*, I, 78, 4 ad 5.
(23) *De Verit.*, 15, 1c.
(24) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 7, lect. 2, n.° 714.

cognoscitiva Intelligentiae [=Angeli], quae non dividitur per sensitivam et intellectivam, est fortior quam virtus cognoscitiva humana tam circa sensibilia singularia quam circa intelligibilia cognoscenda" (25).

164. Et idem proportionaliter valet de angelorum voluntate, cuius vis appetitiva, una existens, ad plura et perfectius se extendit quam humana voluntas et appetitus sensitivus simul.

165. Quod et de intellectu humano possibili eodem iure dicendum est relate ad omnes sensus tam internos quam externos simul sumptos. Plus namque et melius sublimiusque cognoscit unus intellectus quam omnes sensus simul sumpti. Quam ob rem Doctor Communis iterum: "illud quod potest virtus inferior, potest *superior,* non tamen semper eodem modo, sed quandoque alio *altiori modo;* et sic *intellectus cognoscere potest ea quae cognoscit sensus, altiori tamen modo quam sensus.* Sensus enim cognoscit ea quantum ad dispositiones materiales et accidentia exteriora, sed intellectus penetrat ad intimam naturam speciei quae est in individuis" (26).

Et postea subiungit congruenter: "circa idem virtus superior et inferior operantur, *non similiter, sed superior sublimius.* Unde et per formam quae a rebus accipitur *sensus non ita efficaciter rem cognoscit sicut intellectus:* sed *sensus* per eam manuducitur in cognitionem *exteriorum accidentium, intellectus* vero pervenit ad *nudam quidditatem* rei, secernendo eam ab omnibus materialibus conditionibus" (27).

166. Et similiter de humana voluntate quae, una atque indivisa manens, porrigitur ad multa alia, eaque altiora, ad quae non se extendunt appetitus concupiscibilis et irascibilis simul: quinimo et ea ipsa, quae uterque appetitus inferior attingit, voluntas melius ac profundius appetit.

167. Eo ergo ipso quod potentia inferior imperfecte et divisim participat virtutem unitam atque perfectam superioris potentiae, sufficienter ostenditur hic non agi de toto universali vel univoco aequaliter participato a partibus suis subiectivis, sed de toto potestativo vel analogo inaequaliter participato secundum prius et posterius ab eius partibus potentialibus. Unde ipse S. Thomas ait: animae "potentiae partes eius dicuntur, *prout alicuius potentis multa partes dici possunt potestates ad singula*" (28). Partes nempe potentiales. Dicitur enim primo totum potestativum de humana potestate in civilibus, quatenus rex

(25) *In librum De causis*, prop. 17, p. 99, 11-16.
(26) *De Verit.*, 10, 5 ad 5.
(27) *De Verit.*, 10, 6 ad 2.
(28) *In II de Anima*, lect. 5, n.° 279.

... of Divinity Library

sive suprema auctoritas habet plenitudinem potentiae, ceterae autem potestates subalternae, puta ministratus, praefecti provinciarum, oppidorum custodes et alii similes, nonnisi partem eius maiorem vel minorem, pro gradu quem in regendo occupant. Et inde ad potentias animae transfertur. Quod et S. Doctor aperte innuit: prout, inquit, partes alicuius multa potentis dici possunt potestates ad singula tantum vel ad pauca.

168. Cui consonat S. Albertus Magnus dicens animam non se habere ad potentias eius ut genus, idest ut totum univocum ad partes eius subiectivas, sed ut totum potestativum ad partes eius potentiales (29): "sic enim constat ex potentia sapiendi quae est rationalis potentia, et ex potentia sentiendi, et ex potentia vegetandi; et *totum* animae, secundum quod est principium vitae et motus, consistit ex his potestatibus. Tale etiam totum est regnum, quod consistit ex potestatibus suis, quae sunt ducatus, praefectura, praesidatus et huismodi"; qui aliquid de potestate totius et non totum participant (30).

II

Habitus operativi naturales

169. Quod et de qualitatibus primi generis vel modi, idest de dispositionibus et habitibus *operativis* potentiarum angelorum et animae rationalis asserendum est. Non enim propria eorum substantia est immediate susceptiva habitus et dispositionis. Non quidem habitus entitativi sive ad essendum, quia tam angelus quam anima rationalis sunt essentialiter formae substantiales, atque ideo actus in hoc ordine. Subiectum autem habitus entitativi debet esse ens in potentia huiusce ordinis (31). Neque habitus operativi, quia eorum essentia non est immediate operativa, sicut nec ulla substantia creata: subiectum autem immediatum habitus operativi debet esse immediate operativum (32).

170. Loquendo igitur de habitibus *naturalibus*, hi non possunt immediate afficere nisi potentias operativas angelorum et animae humanae, in quibus potentiis immediate subiectantur ut in subiecto *quo*. Neque tamen in omnibus potentiis, quia non in potentiis activis et uno modo naturaliter operantibus, ut sunt potentiae vegetativae et intellectus

(29) *In librum Boethii de divisione*, tract. 4, cap. 2, p. 78, 35; ed. P. DE LOE O. P., Bonnae, 1913.
(30) *Ibid.*, cap. 1, p. 75, 13-19, 23.
(31) *Summa theol.*, I-II, 50, 2, 6.
(32) *Op. cit.*, I, 54, 3; I-II, 49, 3; 50, 2 ad 2 et 3.

agens (33); sed tantum in potentiis *passivis* quae ad multa et diversa se habent in potentia, et quidem diversimode ad unumquodque (34). Propter quod non omnes potentiae passivae sunt habitus susceptivae, sed illae tantum quae *tres* conditiones memoratas *simul atque cumulative* habent. Unde non sunt habitus operativi in sensibus neque in appetitu brutorum animalium, quia operantur ex instinctu naturae et sunt determinata ad unum uno modo producendum. Quod vel ex eo patet, quia omnes aves eiusdem speciei eodem modo garriunt vel canunt, eodemque modo nidos suos faciunt. Possunt tamen nonnulla bruta quodammodo domesticari et assuefieri ad aliquas operationes industria humana, utendo cibis et verberibus, quibus alliciuntur ad quaedam opera sic vel aliter exercenda vel omittenda, quin tamen habitus presse dictos contrahant, "quia non habent dominium utendi vel non utendi, quod videtur ad rationem habitus pertinere" (35).

1. *Facultatum organicarum*

171. Sed neque in *sensibus exterioribus* hominis, quia ad unum et uno modo naturaliter feruntur, idest ad proprium obiectum attingendum. Possunt nihilominus educationem quamdam sive formationem suscipere eorum organa ope artis, qua melius et expeditius exerceant operationes suas, quin tamen rationem habitus induant, sed merae dispositionis sive habilitatis cuiusdam: sicut et accidit in membris corporis ad currendum vel saliendum (36).

(33) "Omnes potentiae vegetabilis animae sunt *activae* (*De Verit.*, 16, 1 ad 13). "Potentiae naturales [= vegetativae] quia sunt *ex seipsis determinatae ad unum*, habitibus non indigent" (*In III Sent.*, d. 23, 1, 1c, n.° 22; ad 1, n.° 27). "Vires nutritivae partis *non sunt natae obedire imperio rationis*, et ideo non sunt in eis aliqui habitus" (*Summa theol.*, I-II, 50, 3 ad 1).
"Intellectus agens est potentia *activa*" (*De Verit.*, 16, 1 ad 13). "Similiter etiam nec intellectus agens, qui habet *determinatam* actionem, scilicet facere intelligibilia in actu, sicut lux facere visibilia in actu", est subiectum alicuius habitus operativi (*In III Sent.*, d. 23, 1, 1c, n.° 22), et ideo "non operatur aliquo habitu mediante" (*In III Sent.*, d. 14, 1 ad 2, n.° 44). "Quod enim intellectus agens habitu non indigeat ad sui operationem ex hoc contingit, quod intellectus agens *nihil recipit ab intelligibilibus*, sed magis formam suam eis tribuit, faciendo ea intelligibilia actu" (*De Verit.*, 20, 2 ad 5).
(34) "Ad hoc autem quod aliquid indigeat disponi ad alterum *tria* requiruntur. *Primo* quidem ut id quod disponitur sit alterum ab eo ad quod disponitur, ut sic se habeat ad ipsum *ut potentia ad actum*... *Secundo* requiritur ut id quod est in potentia ad alterum *possit pluribus modis determinari, et ad diversa*. Unde si aliquid sit in potentia ad alterum, ita tamen quod non sit in potentia nisi ad ipsum, ibi dispositio et habitus locum non habet, quia tale subiectum ex sua natura habet debitam habitudinem ad talem actuum... *Tertio* requiritur quod *plura* concurrant ad disponendum subiectum *ad unum eorum ad quae est in potentia quae diversis modis commensurari possunt*, ut sic disponatur bene vel male ad formam vel ad operationem" (*Summa theol.*, I-II, 49, 4c).
(35) *Op. cit.*, I-II, 50, 3 ad 2.
(36) Cf. *ibid*, ad 3.

of Divinity Library

172. Sensus vero *interiores* quod attinet, excepto sensu communi qui semper eodem modo naturaliter operatur, ceteri omnes pro suo quique modo nati sunt educationem quamdam suscipere atque industriam, et quidem multo perfectiorem ea qua organa sensuum externorum membrorumque corporis ditari possunt. Memoria siquidem valde invatur atque perficitur arte mnemonica, quam appellant (37); et similiter imaginatio et cogitativa disciplinae cuidam subiiciuntur, ut melius et facilius intellectui subserviant, appropriata phantasmata et similitudines ei ministrando atque experimenta congruenter exercendo (38).

173. Verumtamen a ratione habitus presse dicti declinare videntur: tum quia causas obiectivas necessarias ideoque difficile mobiles non habent, sed potius contingentes et facile mobiles, ut sunt singularia sensibilia et materialia circa quae versantur; tum etiam quia non valent perficere neque consummare opus cognitionis vere humanae, quod est cognitio veritatis *formalis*, sed hoc est unius intellectus. Se habent ergo ad cognitionem humanam perfectam et consummatam ut praeambula et dispositiones potius quam ut habitus. Hinc Thomas: "virtutes sensitivae cognitivae sunt *naturaliter praeviae* rationi" (39). "Cognitio autem veri non consummatur in viribus apprehensivis sensitivis, sed huiusmodi vires sunt *quasi praeparatoriae* ad cognitionem intellectivam" (40).

(37) "Memoria non solum a natura perficitur, sed etiam *habet plurimum artis et industriae.* Et sunt *quatuor* per quae homo proficit in *bene* memorando.

Quorum *primum* est ut eorum quae vult memorari *quasdam similitudines* assumat *convenientes: nec tamen omnino consuetas*, quia ea quae sunt *inconsueta* magis miramur, et sic in eis *animus magis et vehementius detinetur;* ex quo fit quod eorum, quae in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideo autem necessaria est huiusmodi similitudinum vel imaginum adinventio, quia intentiones simplices et spirituales facilius ex animo elabuntur, nisi quibusdam similitudinibus corporalibus quasi alligentur, quia humana cognitio potentior est circa sensibilia: unde et memorativa ponitur in parte sensitiva.

Secundo oportet *ut homo ea, quae memoriter vult tenere, sua consideratione ordinate disponat*, ut ex uno memorato facile ad aliud procedat...

Tertio oportet ut homo *sollicitudinem apponat et affectum adhibeat ad ea quae vult rememorari:* quia, quo aliquid magis fuerit impressum animo, eo minus elabitur...

Quarto oportet quod ea *frequenter meditemur quae volumus memorari*... Unde quae multoties intelligimus, cito reminiscimur, quasi naturali quodam ordine ab uno ad aliud procedentes" *(Op. cit.*, II-II, 49, 1 ad 2).

(38) "Experientia *proprie* ad *sensum* pertinet" *(De Malo*, 16, 1 ad 2). "Est enim in nobis experientia *dum singularia per sensum cognoscimus (Summa theol.*, I, 54, 5 ad 2). Ex pluribus autem experientiis inter se collatis fit experimentum. "*Experimentum enim est ex collatione plurium singularium in memoria receptorum. Huiusmodi autem collatio* est homini propria, et *pertinet ad vim cogitativam*, quae ratio particularis dicitur: quae est collativa intentionum individualium, sicut ratio universalis intentionum universalium" *(In I Metaph.*, lect. 1, n.º 15).

"In ipsis interioribus viribus sensitivis apprehensivis possunt poni aliqui habitus, secundum quos homo sit *bene* memorativus, vel cogitativus, vel imaginativus" *(Summa theol.*, I-II, 50, 3 ad 3).

(39) *De Virtutibus in communi*, 4 ad 6.

(40) *Summa theol.*, I-II, 56, 5 c. Cf. *in III Sent.*, d. 39, 2, 4 qla. 2 ad 6, n.º 231.

174. Concedi tamen potest hos sensus interiores esse quasi subiecta secundaria vel adnexa habituum intellectualium, qui primo et principaliter sunt in ipso intellectu possibili, atque ideo eorum habilitates vel dispositones esse "aliquid *adnexum* habitibus intellectivae partis" (41).

Unde "habitus intellectivus *secundario* potest esse in istis viribus, principaliter autem est in intellectu possibili" (42). Et in hoc sensu prudentia est in cogitativa sicut in subiecto secundario et adnexo, cum tamen primo et principaliter sit in ratione practica (43).

175. Quod si nonnunquam firmiter inahereant subiecto suo et difficulter moveantur vel amittantur, hoc non est ratione propriae speciei quae ex eorum obiecto ut ex propria causa vel motivo formali desumitur, sed ex sola conditione subiecti per longum exercitium assuefacti, vi cuius tales dispositiones sive habilitates *statum* quemdam habitualem induunt, quasi secundam naturam. Unde et Thomas magna cum verborum proprietate eas appellat habitudines *consuetudinales* potius quam habitus presse dictos (44): "quantum ad interiores vires apprehensivas [vim cogitativam cum memorativa et imaginativa, ut paulo antea dicit], *necessarium est eosdem actus pluries reiterari*, ut aliquid *firmiter* memoriae imprimatur" (45).

176. Quantum vero ad *appetitum sensitivum* concupiscibilem et irascibilem, fere est eadem ratio; quia eorum habilitates vel dispositiones operativae non habent immobilitatem neque firmitatem per se, sed per accidens tantum, idest quoad statum ex consuetudine contractum: nam obiecta propria circa quae versantur, idest bona sensibilia et particularia, sunt essentialiter mobilia; itemque proprium subiectum *quo* est essentialiter corruptibile, cum sit potentia organica.

177. Dixi tamen *fere*, quia non est prorsus conditio eadem. Nam appetitus sensitivus non se habet ad voluntatem eodem modo ac sensus relate ad intellectum. Vires enim sensitivae interiores sunt naturaliter praeviae rationi, cui materiam intelligendi ministrant: at vero inferiores appetitivae vires sunt naturaliter posteriores et pedissequae voluntatis, a qua moveri natae sunt (46), et hac de causa, prout a voluntate motae, *opus bonum consummare ac perficere valent.* Unde et earum dispositiones sive habilitates assiduo exercitio et consuetudine firmatae, veram induunt

(41) *Ibid.*

(42) *Op. cit.*, I-II, 50, 4 ad 3, Cf. *ibid.*, 53, 1 c.

(43) *Op cit.*, II-II, 47, 3 ad 5.

(44) "In homine tamen *id quod ex consuetudine acquiritur in memoria et in aliis viribus sensitivis apprehensivis non est habitus per se*, sed aliquid adnexum habitibus intellectivae partis" (I-II, 56, 5 c.)

(45) I-II, 51, 3 c.

(46) *De Virtutibus in communi*, 4 ad 6.

rationem habitus (47). Qui quidem "nihil aliud est quam quaedam *habitualis conformitas* istarum potentiarum ad rationem" practicam prudentialem, quae rectam finis voluntatem praesupponit (48). Sunt ergo huiusmodi vires susceptivae habitus operativi moralis, quoad *statum* tamen potius quam quoad nudam essentiam; et hoc quidem cum necessaria atque essentiali dependentia a ratione et voluntate recte dispositis per synderesim et prudentiam et per consequentem appetitionem finis. Quo modo fortitudo est in appetitu irascibili, et temperantia in concupiscibili (49).

2. *Facultatum anorganicarum*

178. Quod si modo ascendamus ad *potentias anorganicas passivas,* nempe ad intellectum possibilem et ad voluntatem, dicendum est eas esse susceptivas veri habitus operativi, licet diversimode.

A. *Voluntatis*

179. *Voluntas* enim non eget aliquo superaddito per modum habitus vel dispositionis ad omnia obiecta recte appetenda: tum quia voluntas non operatur mediantibus et cooperantibus speciebus obiecta sua repraesentatibus, sed ipsamet immediate in ea fertur; tum etiam quia ad propria et connaturalia obiecta sua naturaliter et determinate fertur, ut sunt bonum sive beatitudo in communi et proprium bonum appetentis, verbi gratia proprium esse et proprium vivere, quae in ipso naturali appetitu beatitudinis includuntur. Ipsa nempe naturalis potentia voluntatis "naturaliter tendit in bonum sibi connaturale sicut in proprium obiectum. Unde ad hoc quod velit bonum [in communi] non requiritur nisi quod ostendatur sibi per vim cognitivam. Et ideo philosophi in voluntate [ut voluntas sive ut natura] non posuerunt aliquem habitum, nec naturalem, nec acquisitum" (50).

180. Ad ea vero rite appetenda et amanda, quae bonum proprium et individuale appetentis transcedunt, ut sunt bona aliorum hominum, voluntas indiget habitu acquisito superaddito, qui est virtus *iustitiae* (51). Quae tamen virtus est essentialiter *consuetudinalis*, quia non uno actu sed pluribus iteratis causatur, sicut et ceterae virtutes *morales* "*Consuetudo* enim importat *frequentiam* quamdam circa ea quae facere vel non facere *in nobis est. Naturalia* enim et quae *semel* fiunt, *consueta*

(47) *Summa theol.*, I-II, 56, 5c; 50 3 ad 3.
(48) *Op. cit.*, I-II, 56, 4c.
(49) *Ibid.*, a. 3, arg.sed contra; *De Virtutibus in communi*, 4 c.
(50) *De Virtutibus in communi*, 4 ad 9; *Summa theol.*, I-II, 50, 5c; 56, 6c.
(51) *Summa theol.*, I-II, 56, 6c.

non dicuntur" (52). Hac autem frequentia vel iteratione actuum causatur in voluntate habitualis quaedam inclinatio ad eadem similiter appetenda, ac si novam quamdam indueret naturam; "*quia consuetudo quodammodo vertitur in naturam*, et facit inclinationem *similem* naturali" (53).

181.Subiectum enim *quo* immediatum iustitiae est voluntas ut ratio sive *ut libera*, non voluntas ut natura (54), et ideo non est ad unum determinata, sed indifferenter se habet ad multa, et multis modis ad unumquodque (55). Cum igitur se habeat ad utrumlibet, idque sit maxime contingens et varium iuxta diversas circumstantias, impossibile est ut eius indifferentia vincatur uno solo actu, "ut feratur in idem ut in pluribus per modum naturae" (56), sed necesse est actus eius circa eadem vel similia obiecta multoties iterare, ut inclinationem ad ipsa consequatur ad modum naturae (57).

182. Quare Thomas apposite: "*in agilibus, quia operationes animae non sunt efficaces* sicut in demonstrationibus, *propter hoc quod agibilia sunt contingentia et probabilia, ideo unus actus non sufficit ad causandum virtutem, sed requiruntur plures.* Et licet illi plures non sint simul, tamen habitum virtutis causare possunt, quia *primus* actus causat *aliquam dispositionem;* et *secundus* actus, inveniens materiam dispositam, adhuc eam *magis disponit;* et *tertius adhuc amplius;* et sic *ultimus* actus, agens in virtute omnium praecedentium, complet generationem virtutis, sicut accidit de multis guttis cavantibus lapidem" (58).

B. *Intellectus*

183. Sed *intellectus possibilis* indiget omnino aliquo superaddito per modum habitus ad omnia intelligenda in statu praesenti unionis animae ad corpus. Se habet enim naturaliter in ordine intellectivo sicut pura potentia passiva vel receptiva, idest sicut materia prima in ordine substantiae corporeae, ac proin sicut tabula rasa in qua nihil est scriptum, cum tamen in ea possint omnia scribi (59). Et ideo non potest in

(52) *In III Sent.*, d.23, 1, 4, qla. 2c, n.° 86.
(53) *Summa theol.*, I-II, 58, 1c. Cf. *in II Ethic.*, lect. 1, n.° 247.
(54) *Summa theol.*, I, 83, 4; III, 18, 4.
(55) "Se habet *diversimode et ad multa*". *(Op. cit.*, I-II, 51, 3c).
(56) *Ibid.*
(57) *In II Ethic.*, lect. 1, n.° 249.
(58) *De Virtutibus in communi*, 9 ad 11. Cf. *Summa theol.*, II-II, 24, 6 ad 2; *in II Ethic.*, lect. 1, n.° 249. "Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu" (OVIDIUS, *Pont.* 4. 10, 5; Opera, ed M. NISARD, p. 819, Parisiis, 1881.
(59) ARISTOTELES, *De Anima*, III, 4, 430a 1. "Sicut materia prima secundum sui essentiam considerata nullam formam habet, ita intellectus humanus in sui principio est sicut tabula in qua nihil est scriptum; sed postmodum in eo scientia per sensus acquiritur virtute intellectus agentis" (S. THOMAS, *De Verit.*, 18, 7c.)

... of Divinity Library

operationem intellectivam prorumpere, neque quidquam actu intelligere, nisi prius compleatur et fecundetur per species intelligibiles impressas, quia nihil agit nisi secundum quod est in actu.

184. Unde Aquinas iterum: "intellectus substantiam aliquam intelligere non potest nisi fiat actu secundum aliquam speciem *informantem ipsum*, quae sit similitudo rei intellectae" (60).

Et rursus: "intellectus noster possibilis se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine rerum naturalium, eo quod est in potentia ad intelligibilia sicut materia prima ad naturalia. Unde *intellectus noster possibilis non potest habere intelligibilem operationem nisi in quantum perficitur per speciem intelligibilem alicuius*" (61). Quia nimirum est naturaliter in pura potentia "respectu *omnium* intelligibilium, sicut materia prima respectu *omnium* formarum sensibilium.

Et ideo [iure meritoque concludit]: ad *omnia* intelligenda *indiget aliquo habitu*" operativo (62). quo reapse intellectus possibilis fiat potens et habilis ad actu intelligendum sicut forma *qua* operatur (63). Et haec est species intelligibilis impressa, eodem Aquinate dicente: "species, *qua* intellectus *informatur* ut intelligat actu, est primum *quo* intelligitur" (64). Et in eo recipitur non per modum passionis vel dispositionis transeuntis, sed per modum formae quiescentis et permanentis. Unde et in ipso conservantur et retinentur species huiusmodi post actum intelligendi. Qua de causa intellectus possibilis dicitur *locus* specierum intelligibilium quarumcumque (65). Et ideo recipiuntur *immobiliter*, secundum modum recipientis (66).

Si ergo nomine habitus intellectualis accipiantur *species intelligibiles* superadditae potentiae, indubia res est intellectum nostrum indigere habitu ad omnem cognitionem *naturalem* (67).

"Intellectus autem humanus se habet in genere rerum intellibigilium ut ens *in potentia tantum*, sicut et materia prima se habet in genere rerum sensibilium" (*Summa theol.*, I, 87, 1c. Cf. *ibid.*, 79, 2c.)

(60) *Summa contra Gentiles*, III, 51.

(61) *Summa theol.*, I, 14, 2 ad 3.

(62) *Op. cit.*, I-II, 50, 6c. "Posibilis intellectus non intelligit perfecte nisi per habitum perficiatur" (*In III Sent.*, d. 14, 1, qla. 2, arg. 1 sed contra, n.° 16).

(63) *Op. cit.*, I, 55, 1c. "Nulla potentia passiva potest in actum exire nisi completa per formam sui activi per quam fit in actu, quia nihil operatur nisi secundum quod est in actu" (*In III Sent.*, d. 14, 1, qla. 2 c, n.° 32).

(64) *De Verit.*, 3, 2c.

(65) ARISTOTELES, *De Anima*, II, 6, 8b 29.

(66) *Summa theol.*, I-II, 67, 2c; I, 89, 5; *De Verit.*, 10 2c, in fine.

(67) Quod ideo dico, quia in visione Dei beatifica nulla intercedit species intelligibilis creata.

1. Natura habitus intellectualis. An sit idem ac species intelligibiles impressae

185. Quod an verum sit et germanam Thomae doctrinam exprimat, operosam vestigationem postulat. Saepissime docet hos habitus esse species intelligibiles: "Scientia, quae est habitus, nihil aliud videtur esse quam *generatio specierum intelligibilium*" (68). "Species intelligibiles in intellectu possibili remanet post actualem considerationem, et *harum ordinatio est habitus scientiae*" (69). "*Habitus* in intellectu non videntur aliud esse quam *species intelligibilium in ipso*" (70).

Habitus intellectualis "est *collectio specierum ordinatarum ad cognoscendum*" (71). Intellectus "intelligere aliquid non potest nisi assimiletur ei per speciem intelligibilem. Unde oportet species intelligibiles superaddi, quibus in actum exeat intellectus; *specierum autem aliqualis ordinatio habitum efficit*" (72). Habitus intellectus "est *ordinata aggregatio ipsarum specierum existentium in intellectu*, non secundum completum actum, sed medio modo inter potentiam et actum", idest in habitu (73).

"Cum intellectus sit locus specierum intelligibilium, oportet dicere *quod scientia*, quae *importat ordinationem specierum* intelligibilium, seu facultatem et habilitatem quamdam ipsius intellectus ad utendum huiusmodi speciebus, remanet post mortem, sicut et intellectus qui est huiusmodi specierum subiectum" (74).

"Sic ergo *remanet scientia in anima post corporis mortem quantum ad species intelligibiles*, non autem quantum ad inspectionem phantasmatum quibus anima separata non indigebit, habens esse et operationem absque corporis communione" (75).

Et in ipsa Summa theologiae: "*habitus* qui in intellectu est, *sunt species intelligibiles*" (76). Atque differentiam intellectus in potentia, in actu et in habitu, sumit ex speciebus intelligibilibus, prout sunt in intellectu in pura potentia vel in actu perfecto vel medio quodam modo, idest in habitu. "Species intelligibiles quandoque sunt in intellectu possibili in potentia tantum, et tunc homo est intelligens in potentia, et indiget aliquo reducente in actum per doctrinam vel per inventionem.

---

(68) *In III Sent.*, d. 23, 1, 1 obi, 5, quam ex hac parte concedit.

(69) *De Verit.*, 10, 2c, in fine.

(70) *De Verit.*, 20, 2, arg. 1 sed contra.

(71) *Ibid.*, corp., in fine.

(72) *De Verit.*, 24, 4 ad 9.

(73) *Summa contra Gentiles*, I, 56, 5.

(74) *De Pot.*, 4, 2 ad 20.

(75) *In I Cor.*, 13, 8, lect. 3, n.° 791.

(76) I-II, 50, 5, obi. 1, quam concedit ex hac parte.

Quandoque autem sunt in eo in actu perfecto, et tunc intelligit actu. Quandoque autem sunt in eo medio modo inter potentiam et actum, scilicet *in habitu, et tunc potest intelligere quando voluerit*. Et per hunc modum species intelligibiles acquisitae sunt in intellectu possibili quando actu non intelligit" (77).

186. Proculdubio huiusmodi textuum series, quae continuam et immutatam eius opinionem vertentibus annis exhibet, hoc unum saltem probat, species intelligibiles *impressas* esse de ratione omnis habitus intellectualis humani ordinis naturalis.

187. Et dico *impressas*, quae sunt effectus abstractionis intellectus agentis et *principium* formale *quo* intellectus possibilis fecundatur ut in actum intelligendi prorumpat, verbumque mentis sive speciem expressam parturiat veluti *terminum* operationis intellectivae. Habitus enim operativus est aliquid potentiae superadditum per modum permanentis seu difficulter mobilis, quo perficitur ad suam operationem (78). Ac proin habitus intellectualis "in quantum huiusmodi, non est causa cognitionis ut *quod* est cognitum, sed ut *quo* aliquid est cognitum" (79).

188. Porro verbum mentis est *terminus* cognitionis et primum *quod* cognoscitur (80). Ex adverso, species impressa est intelligendi principium et causa: non tamen principium *quod* intelligit, quia hoc est proprium potentiae sive facultatis intellectivae, scilicet intellectus possibilis, sed principum *quo* (81). Atque una cum potentia, quam complet et fecundat, est plenum operationis principium.

189. Quapropter S. Thomas apposite: "aliquid potest dici esse habitus dupliciter. Uno modo *proprie et essentialiter*". Et sic species impressa est habitus, cum ipsa et "habitus sit *quo* quis agit"... Alio modo potest dici habitus id *quod* habitu tenetur, sicut fides dicitur id *quod* fide tenetur" (82). Quo in sensu verbum mentis, quod est terminus intellectionis "per huismodi actum constitutus" (83), in quantum memoriter *retinetur* transacta operatione, dici potest habitus improprie et figurative, idest per metonymiam, quia videlicet in memoria *permanet* ad modum habitus.

(77) *De Anima*, 15 ad 17. Cf. *Summa theol.*, I, 79, 6c et ad 3; In III *De Anima*, lect. 8, n.° 701, 703; *in de Memoria et Reminiscentia*, lect. 2, ns. 315-316, ed A. PIROTTA, O. P.

(78) *De Verit.*, 20, 1 c.

(79) *De Verit.* 10, 9 ad 3. Cf. ad 9.

(80) "Hoc ergo est *primo et per se intellectum*, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta, sive illud sit definitio, sive aliqua enuntiatio, secundum quod ponuntur duae operationes intellectus... Hoc autem sic ab intellectu conceptum dicitur *verbum interius*" (*De Pot.*, 9, 5 c.)

(81) Cf. *De Pot.*, 8, 1c.

(82) *Summa theol.*, I-II, 94, 1 c.

(83) *Op. cit.*, I-II, 90, 1 ad 2.

190. Hoc autem semel dato, videndum superest *an huiusmodi species impressae sint tota ratio vel esentia habitus nostri intellectualis naturalis ordinis vel pars eius tantum.*

191. Qua in re opus est distinguere inter habitus discursivos sive illativos, puta scientiam et sapientiam, et habitus non discursivos sed mere et immediate iudicativos, nempe habitum intellectus atque synderesim, qui iudicia omnino immediata et per se nota proferunt.

192. Ut mittam quaestionem *de simplici apprehensione*, ubi una tantum intercedit species impressa, quin proprie pertingat ad veritatem vel falsitatem proferendam. Qua de causa non plene atque perfecte induit rationem habitus sive virtutis intellectualis, quia non est completa cognitio sed inchoata tantum. Habet tamen aliquid de ratione habitus, scilicet speciem illam superadditam intellectui possibili, qua fit capax in praedictum actum prorumpendi. At ex parte ipsius potentiae intellectus possibilis nulla amplius requiritur habilitas, quia nulla datur indeterminatio tollenda neque difficultas superanda, sed nuda facultas illico actum apprehensionis elicit.

193. Cuius aliquid simile invenitur *in angelis*, in quibus dantur species impressae congenitae et ab eorum intelligentia distinctae ad cognoscenda cetera preter seipsos —noscunt enim seipsos absque ulla specie impressa—, sed absque ulla compositione vel divisione et sine ullo discursu, per purum simplicemque intuitum et absque ulla difficultate superanda. Tales autem species habent in eis *totam rationem habitus*, quia eorum potentia intellectiva nullo eget complemento vel habilitate ex parte sui ut actum perfectum cognitionis eliciat. Naturaliter enim et sine ullo errore et absque ulla titubatione veritatem cognoscunt, maxima cum facilitate atque dexteritate.

a. *Habitus immediate iudicativi, scilicet intellectus principiorum et synderesis, consistunt in solis speciebus intelligibilibus.*

194. Sed redeuntes ad habitus nostros intellectualles *iudicativos* immediate vel mediate, certum est eos exigere atque includere plures species intelligibiles impresas, saltem duas vel tres. Duas nempe, scilicet subiecti et praedicati, pro primis et immediatis iudiciis speculativis vel practicis quorum est intellectus principiorum et synderesis: tres autem, nimirum termini maioris, minoris et medii, pro iudiciis mediatis speculativis vel practicis quorum est sapientia et scientia. Quod si demonstrationes atque syllogismi ulterius decurrant et protrahantur, species ipsae proportionaliter multiplicantur.

195. Neque sufficit numerus specierum utcumque collectus, sed omnino necesse est ut comparentur et ordinentur, ut possint componi vel

of Divinity Library

dividi inter se vel cum alia tertia in iudicio immediato vel mediato sive discursivo. Quam ob rem iure meritoque dicebat S. Thomas in locis paulo supra citatis (n.° 185) habitum nostrum intellectualem involvere non solum collectionem vel aggregationem plurium specierum impressarum, verum etiam ipsarum *ordinationem*.

196. Iam vero species intelligibiles terminorum primorum iudiciorum vel principiorum tam speculativorum quam practicorum, eorumque simplex apprehensio, nullo negotio habentur sed quasi naturaliter nobis adveniunt. Sunt enim illa quae primo cadunt in intellectu, ut ens et non-ens, quae sunt termini principii contradictionis; unum et non-unum, quae sunt termini principii identitatis; bonum et non-bonum sive malum, quae sunt termini primi principii practici sive syndereseos (84). Innotescunt autem statim ac homo usum rationis adipiscitur, quia ad occursum rei sensatae, puta coloris vel soni vel magnitudinis, intellectus agens abstrahit speciem intelligibilem entis in eis latentis, atque intellectus possibilis apprehendit ens per eam repraesentatum, absque ulla dubitatione et discursu. Ens igitur et non-ens est sensibile per accidens et intelligibile per se, et similiter unum et non-unum ac bonum et non-bonum, quae cum ente convertuntur et nonnisi ratione ab eo differunt.

197. Sic autem apprehensis terminis subiecti et praedicati, eorum compositio vel divisio per affirmationem vel negationem eadem promptitudine atque facilitate perficitur ab intellectu possibili; et quidem nativa sua vi, quin egeat ulteriori complemento ex parte potentiae per modum alicuius habitus vel partis eius.

198. Ita, ut de principio contradictionis, quod est omnium primum, loquamur, eius species subiecti et praedicati, scilicet entis et non-entis, mutuo ac necessario repelluntur tum in re —ontologice— tum in ipso intellectu possibili —psychologice—, quin possibile sit eas simul componere vel identificare per affirmationem. Ideo sic effertur: impossibile est idem secundum idem simul esse et non esse. Vel etiam: ens non est non-ens, et vicissim non-ens non est ens.

199. Quapropter S. Thomas, post Aristotelem (85), docet huiusmodi principium non solum esse necessario verum in se —obiective—, sed etiam in intellectu nostro —subiective—, quia videlicet non solum neccese est ipsum per se et in se verum esse, sed etiam necesse est

(84) "Termini eius [principii contradictionis] sunt ens et non-ens, qui primo in consideratione intellectus cadunt" (*In XI Metaph.*, lect. 5, n.° 2211). "Illud autem quod primo concipit intellectus quasi notissimum, et in quo omnes conceptiones resolvit, est ens" (*De Verit.*, 1, 1c.) "Primo autem in conceptione intellectus cadit ens" (*Summa theol.*, I, 5 3c.) "Sicut autem ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicae rationis quae ordinatur ad opus" (*Op. cit.*, I-II, 94, 2 c.)

(85) *III Metaph.*, 3, 1005b 26-27.

videri intellectui nostro quod per se sit verum. Nullus enim potest interius in mente opinari contrarium, quia non potest cadere sub apprehensione intellectus, licet fortasse ore dicat (86).

Atque ex propriis loquens, ait: "hoc quod est simul esse et non esse, est *in se* impossibile, quia quod est ens et non-ens, neque est-ens neque non-ens" (87).

Et iterum: "hoc autem quod est affirmationem et negationem esse simul, rationem entis habere non potest, nec etiam non-entis; quia esse tollit non-esse, et non-esse tollit esse" (88).

200. Neque solum est impossibile obiective, sed etiam subiective: "hoc autem quod est affirmationem et negationem esse simul veram, *non potest mente concipi*" (89). "*Corde concipi non potest*" (90). "Aliqua veritas est adeo evidens quod *non potest cogitari non esse*, sicut veritas propositionis huius, quod affirmatio et negatio non sunt simul vera' (91)."*Non potest contrarium aestimari secundum interiorem rationem*" (92).

201. Et idem dic de principio identitatis: ens est ens, non-ens est non-ens. Compositio horum terminorum eorumque specierum per affirmationem imponitur naturaliter et necessario intellectui possibili, ita ut divisionem facere nequeat per negationem. Non enim minus immediatum minusque evidens est principium identitatis quam principium contradictionis.

202. Quod et valet similiter de primo principio intellectus practici, scilicet bonum est appetendum et malum fugiendum, sive bonum est faciendum et malum vitandum. Bonum namque est quod omnia appetunt, malum vero quod omnia fugiunt vel abominantur (93).

203. Licet enim haec tria prima principia ordinem quemdam logicum habeant pro ordine terminorum quibus constat, nempe entis, unius et boni; quia prius secundum rationem est ens, deinde unum et postremo bonum, atque ideo prius ratione est principium contradictionis quod fundatur super ens, postea principium identitatis quod fundatur super unum, et ultimo principium syndereseos quod fundatur super bonum (94), revera

(86) *In IV Metaph.*, lect. 5, n.° 601; *in I Post.*, lect. 19, nis. 2-3; lect. 27, n.° 3.

(87) *In I Sent.*, d. 42, 1, 2c.

(88) *De Pot.*, 1, 3c.

(89) *De Pot.*, 1, 3 ad 1 sed contra.

(90) *In I Sent.*, d. 42, 2, 2 ad 6.

(91) *De Verit.*, 10, 12, obi. 6. Cf. ibid., obi. 10; in capite quaestionis, titulus art. 10.

(92) *De Verit.*, 10, 12, arg. 2 sed contra.

(93) *Summa theol.*, I-II, 94, 2c.

(94) "Istorum nominum transcendentium talis est ordo si secundum se considerentur, quod post ens est unum; deinde verum; deinde post verum, bonum"

... of Divinity Library

tamen omnia sunt aeque immediata et per se nota omnibus hominibus ratione utentibus. Hinc Thomas apposite: "quantum ad communia principia rationis sive speculativae sive practicae, est *eadem veritas* seu rectitudo *apud omnes et aequaliter nota*" (95).

204. Hoc est ergo proprium horum iudiciorum sive principiorum, quod naturaliter, necessario et infallibiliter proferuntur.

205. *Naturaliter* quidem, quia sunt intellectus ut intellectus sive *ut natura*, et non intellectus ut ratio, sicut et simplex apprehensio terminorum quibus constituuntur. "Unde ens est proprium obiectum intellectus, et sic est primum intelligibile" (96). "Ad proprium autem obiectum unaquaeque potentia per se ordinatur secundum quod ipsa" (97, scilicet relatione transcendentali, quae est propria eius natura, absque ullo additamento supervenienti.

Nec nimus naturaliter fertur intellectus possibilis in ens et in ista prima principia quam voluntas in bonum. Si ergo haec non indiget habitu ex parte sui ut feratur in bonum, sed sufficit nuda eius potentia. ut supra videbamus (n.° 179), eodem iure intellectus possibilis non eget aliquo superaddito ex parte sui praeter species intelligibiles subiecti et praedicati ut feratur in huiusmodi iudicia prima, sed nuda et pura eius naturalis potentia satis est.

206. *Necessario*, quia non potest illa negare, neque illis contradicere sincera atque interiori mente, puta contraria iudicia proferendo, ut constat ex dictis paulo supra (ns. 198-200). Est ergo intellectus determinatus ad ipsa, et quidem uno et uniformi modo, quin ab eis declinare possit. Ordo nempe specierum intelligibilium istorum terminorum est naturaliter et necessario determinatus atque impositus intellectui possibili, quin iste valeat eum immutare, alium ordinem inducendo.

207. *Infallibiter*, quia circa illa non potest errare, cum nec possit ea ignorare, sed naturaliter sunt omnibus evidentia, et necessario ap-

---

(*De Verit.*, 21, 3c. Cf. 1, 1c; *Summa theol.*, I. 5 3c.; 11, 1). "In his autem, quae in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit sub apprehensione est ens, cuius intellectus includitur in omnibus quaecumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile, est quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur super rationem entis et nonentis" (*Summa theol.*, I-II, 94, 2c.)

"Quod quidem ea ratione primum est, quia termini eius sunt ens et non-ens, qui primo in consideratione intellectus cadunt" (*In XI Metaph.*, lect. 5, n.° 2211).

(95) *Summa theol.*, I-II, 94, 2c.

(96) *Op. cit.*, I, 5, 3c.

(97) *Op. cit.*, I, 85, 6c. "Intellectus enim noster aliqua *naturaliter* cognoscit, sicut prima intelligibilium principia, quorum intelligibiles conceptiones, quae verba interiora dicuntur, *naturaliter* in ipso existunt et ex eo procedunt" (*Summa contra Gentiles*, IV, 11).

parent atque videntur omnibus vera (98). Unde neque extingui neque obscurari valent manente usu rationis expedito. Ut enim ad rem scribit S. Thomas, "ad proprium obiectum unaquaeque potentia per se ordinatur secundum quod ipsa. Quae autem sunt huiusmodi, semper eodem modo se habent. Unde manente potentia non deficit eius iudicium circa proprium obiectum" (99).

Intellectus igitur primorum principiorum tam speculativorum quam practicorum non habet rationem habitus superadditi intellectui possibili nisi propter species intelligibiles impressas subiecti et praedicati abstractas atque illuminatas ab intellectu agente et receptas in intellectu possibili. His enim formatur et fecundatur, atque in actu primo proximo ponitur, ut eis mediantibus in actum intelligendi et iudicandi prorumpat propria atque nativa sua vi.

208. De hoc namque intellectu principiorum speculativorum et de synderesi intelligenda sunt ea quae frequenter docet S. Thomas, habitum nempe intellectivae partis confici ex lumine intellectus agentis et ex speciebus intelligibilibus terminorum ab eo abstractis et in intellectu possibili receptis (100). Quod quidem lumen non est intelligendum fontaliter et active prout est in ipso intellectu agente —cum sit potius ipse intellectus agens, qui est incapax habitus—, sed passive et receptive prout involvitur in speciebus ab eo abstractis et diffunditur in intellectu possibili qui eas recipit.

Ideo scribit de habitu intellectus principiorum speculativorum: "ex ipso lumine naturae intellectus agentis prima principia fiunt cognita, nec acquiruntur per ratiocinationem, sed solum per hoc eorum termini innotescunt" (101).

209. Atque de synderesi congruenter: "quantum ad ipsum lumen habituale impossibile est quod synderesis extinguatur, sicut impossibile est quod anima hominis privetur lumine intellectus agentis per quod principia prima in speculativis et operativis nobis innotescunt. Hoc enim lumen est de natura ipsius animae, cum per hoc sit intellectualis" (102).

210. De natura scilicet *consecutive*, ut *proprium* eius, cum sit naturalis potentia ipsius animae, non compositi ex anima et corpore sicut potentiae organicae. Quo in sensu dicit alibi S. Doctor: "intellectus principiorum *consequitur ipsam naturam humanam*, quae aequaliter in om-

---

(98) "Circa quae error esse non potest" (*De Verit.*, 16, 2c.) "Circa hoc non potest aliquis errare" (*In IV Metaph.*, lect. 6, n.° 597).

(99) *Summa theol.*, I, 85, 6c.

(100) *In III Sent.*, d. 14, 1, 1, qla. 2c. n.° 37; qla. 3c, n.° 48, et ad 2, n.° 52.

(101) *In IV Metaph.*, lect. 6, n.° 599.

(102) *De Verit.*, 16, 3c.

... of Divinity Library

nibus invenitur" (103), quia nimirum lumen intellectus agentis, quod est propria causa specierum intelligibilium subiecti et praedicati, est naturalis eius potentia, sicut et nativa vis apprehensiva et iudicativa intellectus possibilis eis informati ac fecundati.

Et ideo "accipitur hic intellectus pro habitu quodam quo homo, *ex virtute luminis intellectus agentis, naturaliter* cognoscit prima principia indemonstrabilia. Et satis congruit nomen. Huiusmodi enim principia *statim cognoscuntur cognitis terminis*" (104).

Nam "cognitio quae fit per aliquid *naturaliter* nobis inditum, est nobis *naturalis,* sicut principia indemonstrabilia, quae cognoscuntur per lumen intellectus agentis" (105). "Nec tamen intelligendum est quod intellectus agens sit habitus per modum quo habitus est in prima specie qualitatis, secundum quod quidam dixerunt intellectum agentem esse habitum principiorum. Quia habitus ille principiorum est acceptus a sensibilibus, ut probat Aristoteles in II Posteriorum, 15, 996; et sic oportet quod *sit effectus intellectus agentis,* cuius est phantasmata, quae sunt intellecta in potentia, facere intellecta in actu", idest abstrahendo ab eis et producendo species intelligibiles subiecti et praedicati quibus intellectus possibilis apprehendit ea, statimque componit aut dividit (106).

211. Huc accedit quod intellectus noster ut intellectus sive ut natura contingit suo modo naturalem indolem intellectus angelici, quia intellectus, prout a ratione contradistinguitur, est id quod supremum est in facultate nostra cognoscitiva intellectus possibilis, atque ideo attingit infimum supremi, scilicet angelici intellectus, iuxta effatum illud quo exprimitur lex continuitatis: supremum infimi attingit infimum supremi. Porro angeli naturaliter cognoscunt alia a se per species intelligibiles innatas simplici intuitu, absque ulla compositione et divisione, et sine ulla inquisitione et discursu, et quidem necessario et infallibiliter. Quo fit, ut habitus intellectualis eorum sit innatus atque omnino immediatus et infallibilis, quia in solis speciebus intelligibilibus eorum consistit, quin potentia ipsorum intellectiva egeat ulterius adiunvari et habilitari ad cognoscendum. Ergo et aliquid simile dari debet in supremo intellectus humani, scilicet in simplici apprehensione primorum terminorum, puta entis et non-entis, boni et non-boni, et in primis iudiciis ex tali apprehensione immediate consequentibus, nempe contradictionis, identitatis et syndereseos.

---

(103) *Summa theol.*, II-II, 5, 4 ad 3.
(104) *In VI Ethic.*, lect. 5, n.° 1179; ed A. PIROTTA, O. P.
(105) *Summa contra Gentiles*, III, 46, 3.
(106) *Op. cit.*, II, 78, 3. Textus leoninus habet: in *secunda* specie qualitatis. Quae tamen lectio erronea videtur.

212. Non quidem quod eadem perfectione et simplicitate inveniantur in homine sicut in angelis, sed tamen accedunt ad ipsos et in quibusdam conveniunt. Intellectus enim angeli non est naturaliter in pura potentia sicut intellectus noster possibilis, sed una cum creatione accepit a Deo species intelligibiles ad cognoscenda alia a se: qua de causa eorum intellectus dicitur naturaliter plenus formis. Neque ad omnia omnino intelligenda indigent speciebus intelligibilius sicut nos, quia non ad cognoscendos seipsos. Neque eas acquirunt sicut nos, sed innatas vel congenitas habent. Neque ipsas componunt vel dividunt ut nos, sed simplici intuitu per eas cognoscunt res perfectissime. Neque duas habent operationes distinctas sicut nos, aliam ad terminorum apprehensionem et aliam ad eorum compositionem vel divisionem per iudicium affirmativum vel negativum, sed unam tantum eminenter continentem quidquid perfectionis est in duabus nostris, et adhuc amplius. Neque tandem habitus intellectuales angelorum sunt acquisiti per lumen et abstractionem intellectus agentis ex sensibilibus sicut noster habitus intellectus principiorum et syndereseos, sed omnino innati.

213. Conveniunt tamen in hoc, quod in solis speciebus intelligibilibus consistunt. Quia sicut naturalis potentia intellectiva angelorum nativa sua vi et absque aliquo adiutorio vel complemento superaddito sufficit ad perfectam cognitionem mediantibus speciebus illis; ita etiam intellectus noster possibilis informatus et fecundatus atque in actum primum proximum reductus per species illas primas entis et non-entis bonique et non-boni, nativa sua virtute atque ex se solo, absque ullo adiutorio superveniente, potens atque habilis est non solum ad terminos primos per tales species perfecte apprehendendos, verum etiam ad componendos vel dividendos per iudicia immediata et per se nota, idest ad proferenda interius in mente, et quidem naturaliter maximaque cum facilitate et omnimoda infallibilitate principia illa prima intellectus speculativi ac syndereseos (107).

---

(107) S. THOMAS ipse rationem istam adhibuit hisce verbis praeclarissimis: "sicut dicit Dionysius VIII capite *De divinis nominibus,* divina sapientia *coniungit fines primorum principiis secundorum.* Naturae enim ordinatae ad invicem sic se habent sicut corpora contiguata, quorum inferius in sui supremo tangit superius in sui infimo. Unde et inferior natura attingit in sui supremo ad aliquid quod est propium superioris naturae, *imperfecte illud participans.*

Natura autem animae humanae est infra angelicam, si consideremus naturalem modum cognoscendi utriusque. Naturalis enim modus cognoscendi et prorius naturae angelicae est ut veritatem cognoscat sine inquisitione et discursu; humanae vero proprium est ut ad veritatem cognoscendam perveniat inquirendo et ab uno in aliud discurrendo.

Unde *anima humana, quantum ad id quod in ipsa supremum est, aliquid attingit de eo quod proprium est naturae angelicae, ut scilicet aliquorum cognitionem*

... of Divinity Library

214. Itaque exploratum est intellectum nostrum principiorum speculativorum et practicorum sive synderesim esse habitus intellectuales, re atque essentia differentes ab intellectu agente atque possibili; ac insuper in solis speciebus intelligibilibus terminorum e quibus formantur, consistere. Ipsa namque vis nativa intellectus possibilis necessario determinata ad talia principia naturaliter, facillime atque infallibiliter proferenda, maioris est perfectionis et efficacitatis quam quaecumque habilitas acquisita.

b. *Habitus illativi sive mediate iudicativi, nempe sapientia et scientia, essentialiter coalescunt ex speciebus intelligibilibus et ex habilitate eas inveniendi, colligendi, ordinandi, ipsisque recto modo utendi.*

215. Quantum vero ad habitus discursivos sive conclusionum, ut sunt sapientia et scientia, aliter dicendum est. Horum enim iudicia propria non sunt immediata neque per se nota ut iudicia intellectus principiorum et syndereseos, sed mediata et per aliud nota, scilicet per medium demonstrationis. Qua de causa egent saltem triplici specie impressa ac triplici termino correspondenti, nempe maiori, minori et medio.

216. Quod si agatur de secunda conclusione, oportet addere novam speciem novumque terminum medium, et sic deinceps aliam et aliam pro tertia et subsequentibus conclusionibus, quarum unaquaeque propriam habet demonstrationem. Qua in operatione, quae sat complexa atque difficilis esse solet, ratio decipi potest et in errorem incidere. Et ideo, praeter species illas collectas plus minusve numerosas, eget arte sive *habilitate* ex parte ipsius naturalis potentiae rationalis ut valeat eas

---

subito et sine inquisitione habeat. Quamvis quantum ad hoc inveniatur angelo inferior, quod in his veritatem cognoscere non potest nisi a sensu accipendo.

Invenitur autem in natura angelica duplex cognitio: speculativa, qua ipsam rerum veritatem simpliciter et absolute intuetur; et practica...

Unde in natura humana, in quantum attingit angelicam, oportet esse cognitionem veritatis sine inquisitione, et in speculativis, et in practicis. Et hanc quidem cognitionem oportet esse principium totius cognitionis sequentis sive speculativae sive practicae, cum principia oporteat esse stabiliora et certiora. *Unde et hanc cognitionem oportet homini naturaliter inesse,* cum hoc quidem cognoscat quasi quoddam seminarium totius cognitionis sequentis, sicut et in omnibus naturis sequentium operationum et effectuum quaedam naturalia semina praeexistunt. Oportet etiam hanc cognitionem *habitualem* esse, ut in promptu existat ea uti cum fuerit necesse.

Sicut autem animae humanae est quidam habitus *naturalis* quo principia speculativarum scientiarum cognoscit, quem vocamus intellectum principiorum; ita in ipsa est quidam habitus *naturalis* primorum principiorum operabilium, quae sunt naturalia principia iuris naturalis: qui quidem habitus ad synderesim pertinet" (*De Verit.*, 16, 1c).

prompte, faciliter et sine errore ordinare in propositionibus vel iudiciis ad invicem comparatis syllogismi demonstrativi vel inductionis, ipsisque recte uti ad concludendum.

217. De his enim habitibus oportet intelligere verba illa praeclara S. Thomae, quae iam supra (n.° 185) retulimus: "*scientia* importat *ordinationem* specierum intelligibilium, seu *facultatem et habilitatem* quamdam ipsius intellectus ad *utendum* huiusmodi speciebus" (108). *Ordinationem,* inquam, active sumptam et non mere passive vel obiective; et *facultatem,* idest *facilitatem* (109); et usum utique activum earumdem ad recte ratiocinandum et concludendum. Et idem de sapientia dici debet.

218. Huismodi ergo habitus illativi essentialiter coalescunt ex speciebus intelligibilibus et ex habilitate eas inveniendi, colligendi, ordinandi ipsisque utendi recto modo ad demonstrationes perficiendas et conclusiones inferendas. Tam enim scientia quam sapientia sunt habitus conclusionem per demonstrationem acquisiti.

2. Eorum causa

219. Et quidem quantum ad *essentiam* suam causantur uno solo actu demonstrationis presse dictae, quia omnis vera "demonstratio est ex neccessariis et de necessariis" quae non possunt aliter se habere (110). Propositiones enim syllogismi apodictici sunt principia et causae conclusionis, et ideo debent esse in materia necessaria (111), quia "necessaria non sunt propria principia contingentium, neque ex necessariis potest concludi contingens" (112): et vicissim, ex contingentibus nequit concludi necessarium. Et hoc ideo, quia propria causa et proprii effectus debent sibi mutuo proportionales esse. Unde "ex causa non necessaria non potest sequi effectus necessarius" (113). Qua etiam de causa, unius conclusionis non potest esse nisi una demonstratio *propter quid* (114).

220. Est ergo proprium demonstrationis perfectae ut plene convincat intellectum, eumque necessario determinet et trahat ad assentiendum

---

(108) *De Pot.*, 4, 2 ad 20.

(109) "*Facul* antiqui dicebant, et *faculter* pro *facile;* unde facultas et difficultas videntur" (FESTUS, *De verborum significatione*, p. 59, 18-19. Parisiis, 1584).

(110) *In I Post.*, lect. 14, n. 6. "Una demonstratio propter sui certitutudinem et firmitatem facit habitum scientiae" (*In I Sent.*, d. 17, 2, 3 ad 4).

(111) Cf. *in I Periherm.*, lect. 13, n. 3.

(112) *In I Post.*, lect. 44, n.° 5.

(113) *In V Metaph.*, lect. 5, n.° 838.

(114) "In speculativis *medium* demonstrationis, quod *perfecte demonstrat* conclusionem, est *unum tantum*" (*Summa theol.*, I, 47, 1 ad 3.

...of Divinity Library

conclusioni: positis namque et admissis praemissis, nequit intellectus recusare conclusionem. Et ideo, cum habitus operativi specificentur ex proprio actu per comparationem ad proprium obiectum (115), consequens est ut actus firmissimus et certissimus demonstrationis circa obiecta fixa et necessaria causet in intellectu possibili dispositionem per se stabilem atque difficile mobilem, quam habitum dicimus.

221. Eademque ratione, si quis errat circa medium primae conclusionis, quod est essentialis definitio proprii subiecti scibilis, ac proinde basis et fundamentum ceterarum demonstrationum et conclusionum, scientiam de tali subiecto statim amitteret illo uno actu, ut perspicaciter animadvertit Caietanus (116).

222. Sed quantum ad *adnexa* mere materialiter concurrentia, ut phantasmata e sensibus accepta, et ad subiectum *quo* secundarium horum habituum, qui sunt sensus interiores, nempe imaginatio, memoria et cogitativa, non sufficit unus actus, sed oportet actus iterare et multiplicare, usque dum recta dispositio atque habilitas ad subserviendum intellectui radices in ipsis agant et habitualem statum induant, quasi in secundam naturam conversae. Tunc enim prompte atque faciliter aptas imagines et exempla praebebunt intellectui agenti ad species intelligibiles congruas abstrahendas, et intellectui possibili ad eis utendum tum in propria inventione tum in doctrinam tradendo aliis hominibus iuxta modum ipsis magis accommodatum (117).

223. Quam ob rem S. Thomas merito scribit: "quia vires sensitivae interius *preparant* intellectui possibili proprium obiectum, ideo *ex bona dispositione harum virium*, ad quam cooperatur bona dispositio corporis, *redditur homo habilis ad intelligendum*. Et sic habitus intellectivus *secundario* potest esse in istis viribus, *principaliter* autem est in intellectu possibili" (118).

Et rursus: "quantum ad interiores vires apprehensivas, necessarium

---

(115) *Op. cit.*, I-II, 54, 2; II-II, 4, 1c.

(116) "Si erraret in prima conclusione, tunc deperderetur habitus, quia medium primae est medium simpliciter, super quod cetera fundantur" (*In Summan theol.*, II-II, 5, 3 n.° 3).

(117) "Per aegritudinem corrumpiter habitus scientiae quantum ad id quod est *materiale* in eo, scilicet quantum ad phantasmata, non autem quantum ad species intelligibiles quae sunt in intellectu possibili" (*Summa theol.*, I-II, 67, 2 ad 2).

"Quantum ad ipsa phastasmata, quae sunt *quasi materialia* in virtutibus intellectualibus virtutes intellectuales destruuntur destructo corpore, sed quantum ad species intelligibiles quae sunt in intellectu possibili, virtutes intellectuales manent. Species autem se habent in virtutibus sicut *formales*. Unde intellectuales virtutes manent post hanc vitam quantum ad id quod est *formale* in eis, non autem quantum ad id quod est *materiale*" (*Ibid.*, corp.).

(118) *Op. cit.*, I-II, 50, 4 ad 3.

est eosdem actus *pluries reiterari*, ut aliquid memoriae firmiter imprimatur" (119).

224. Nec solum quantum ad acquisitionem scientiae, verum etiam quantum ad usum scientiae iam acquisitae. "Ad hoc quod intellectus actu intelligat, non solum accipendo scientiam de novo, sed *etiam utendo scientia iam acquisita*, requiritur actus imaginationis et ceterarum virtutum. Videmus enim quod impedito actu virtutis imaginativae per laesionem organi ut in phreneticis, et similiter impedito actu memorativae virtutis ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam ea quorum scientiam praeaccepit".

225. Praeterea "hoc quilibet in seipso *experiri* potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum" (120).

Qua de causa bonus doctor debet "abundare exemplis et cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifestare causas" (121).

3. **Opinio**

226. Sed quantum ad *opinionem*, qua intellectus possibilis non necesario adhaeret conclusioni, sed libere et cum formidine oppositi, eo quod propositiones syllogismi dialectici —saltem minor— non sunt in materia necessaria sed contingenti tantum, ac proin mere probabiles, non sufficit unus actus, sed necessario requiruntur plures ut modum sive statum firmum atque difficile mobilem adispiscatur ex parte subiecti *quo* tam secundarii quam principalis.

227. Qua de re S. Thomas apposite: "quando unus actus non habet firmitatem, non sufficit unus [ad causandum habitum quantum ad eius essentiam neque quantum ad modum sive statum habitualem], sed oportet quod sint plures. Unde ex uno argumento dialectivo non generatur opinio, sed ex pluribus congregatis" (122). "Unde ex multis actibus rationis oportet causari habitum opinativum, *etiam ex parte intellectus possibilis*" (123).

---

(119) *Ibid.*, 51, 3c.

(120) *Op. cit.*, I, 84, 7c.

(121) *Op. cit.*, I-II, 111, 4c.

(122) *In I Sent.*, d. 17, 2, 3 ad 4.

(123) *Summa theol.*, I-II, 51, 3c.

School of Divinity Library

"Opino namque, *licet si minor scientia*, non causatur in nobis per unum syllogismum dialecticum, sed *requiruntur plures propter eorum debilitatem*" (124).

228. Ideo opinio non habet rationem essentialem habitus per comparationem ad proprium actum et proprium obiectum sicut scientia vel sapientia, sed accidentalem tantum vel modalem qua pedetentim transit a statu vel modo simplicis dispositionis facile mobilis ad statum vel modum difficile mobilem, qui est modus habitualis. Opinio ergo essentialiter est mera dispositio, non habitus presse dictus. Et quidem ex se non postulat nisi modum dispositionis infirmae et facile mobilis: per repetitionem tamen actuum potest induere modum habitus, quatenus connaturalizatur subiecto eique inhaeret quasi secunda quaedam natura. Unde et videmus homines aliquando adeo mordicus firmiterque adhaerere propiis opinamentis, ut nullatenus ea deponere velint.

4. Ars et prudentia

229. Et aliquid simile accidit in *arte* et in *prudentia* quae sunt in ratione practica, atque in virtutibus moralibus acquisitis. Huiusmodi enim omnia versantur circa contingentia (125), praesertim prudentia et virtutes morales appetitus, quarum propria materia *circa quam* sunt agibilia humana in concreto prout sunt hic et nunc, quae sunt maxime variabilia et contingentia, atque nostro libero arbitrio subiecta. Qua de causa Thomas recte dixit quod utraque, scilicet prudentia et ars, "est *in opinativa* parte animae et circa *contingentia* aliter se habere" (126).

Ideo ars presse dicta, quae est ars mechanica sive fabrilis (127), non acquiritur uno solo actu sed pluribus iteratis, ut experientia quotidiana

(124) *De Virtutibus in communi*, 9 ad 11.

(125) "Sapientia, scientia et intellectus sunt circa necessaria; ars autem et prudentia *circa contingentia*. Sed ars circa factibilia, quae scilicet in exteriori materia constituuntur, sicut domus, cultellus et huismodi; prudentia autem est circa agibilia, quae scilicet in ipso operante consistunt" (*Summa theol.*, II-II, 47, 5c.)

(126) *Op. cit.*, I-II, 57, 4 ad 2.

(127) Artes enim nonnunquam largius sumuntur prout includunt universas scientias philosophicas, nominatim logicam docentem. Unde et Facultas philosophica solebat appellari Facultas artium, et Cursus philosophicos nominabant Cursus artium.

Logica vero docens et Grammatica et Arithmetica et Geometria dicebantur artes quatenus quaedam *operata* producebant, puta "constructionem syllogismi, aut orationis congruae, aut opus numerandi et mensurandi" (*Op. cit.*, I-II, 57, 3 ad 3). Revera tamen sunt scientiae, quia "procedunt secundum certas et determinatas vias" sicut aliae scientiae (*Op. cit.*, II-II, 47, 2 ad 3).

constat, licet eius materia sit minus contingens et mutabilis quam materia prudentiae.

230. At vero prudentia et virtutes mere morales appetitus, nempe iustitia, fortitudo et temperantia, quae essentialiter connexae sunt, ac proin una simul acquiruntur et amittuntur, complures actus exigunt atque diuturnum exercitium ut firmiter inserantur in propriis potentiis, sicque prompte, faciliter, perseveranter et delectabiliter operentur secundum rectam rationem.

231. Quapropter S. Thomas: "in agilibus, inquit, quia operationes animae non sunt efficaces sicut in demonstrationibus, propter hoc quod agibilia sunt *contingentia et probabilia*, ideo unus actus non sufficit ad causandum virtutem, sed requiruntur plures. Et licet illi plures non sint simul, tamen habitum virtutis causare possunt: quia primus actus facit aliquam dispositionem; et secundus actus inveniens materiam dispositam, adhuc eam magis disponit; et tertius adhuc amplius; et sic ultimus actus agens in virtute omnium praecedentium complet generationem virtutis, sicut accidit in multis guttis cavantibus lapidem" (128).

232. Et similiter non amittuntur per unum actum contrarium, idest per actum peccati, etiam mortalis et gravissimi, sed requiruntur plures. Qua de re iterum Aquinas: "unus actus *etiam mortalis*, non tollit habitum virtutis acquisitae. Sed si multiplicentur actus in tantum quod generetur contrarius habitus [idest vitii], excluditur habitus virtutis acquisitae: qua exclusa, excluditur prudentia. Quia, cum homo agit contra quamcumque virtutem, agit contra prudentiam. Sine prudentia autem nulla virtus moralis esse potest... Et ideo per consequens excluduntur omnes virtutes morales *quantum ad perfectam et formale esse virtutis*, quod habent secundum quod participant prudentiam: remanent tamen *inclinationes* ad actum virtutum non habentes rationem virtutis" (129), quia pertinent ad ipsam naturalem potentiam vel sequuntur naturalem corporis complexionem (130).

233. Propter quod istae virtutes dicuntur *consuetudinales*, quia "consuetudo importat *frequentiam* quamdam circa quae facere vel non facere *in nobis est*. Naturalia enim et quae semel fiunt, consueta non

(128) *De Virtutibus in communi*, 9 ad 11. Cf. *Summa theol.*, II-II, 24 6 ad 2; I-II, 51, 3.

(129) *Summa theol.*, I-II, 73, 1 ad 2. Cf. *ibid.*, 63, 2 ad 2; 71, 4c.

(130) Cf. *in II Sent.*, d. 39, 2, 1 c et ad 2 et 5; *De Verit.*, 11, 1c.; *De Virtutibus in communi*, 8c et ad 10 et 19; *Summa theol.*, I-II, 51, 1c; 63, 1c et ad 3.

...of Divinity Library

dicuntur" (131). Quia naturalia, licet frequentissime fiant, non sunt in nostra potestate: et quae semel tantum aut iterum fiunt, quamvis in nos- tra sint potestate, non sunt consueta. Ideo ad consuetudinem presse dic- tam haec duo cumulative requiruntur, et quod actus vel operationes sint frequentes sive pluries iterati atque continuati, et quod sint liberi sive in potestate nostra, ita ut in nobis sit eos ponere vel omitere sic vel aliter.

234. Hac enim actuum repetitione causatur in potentia libere mota quaedam habilitas ad eadem vel similia operanda prompte, faciliter, uniformiter, perseveranter atque delectabiliter, ac si essent nobis con-naturalia; quia "consuetudo quodammodo vertitur in naturam et facit inclinationem similem naturali" (132). Et ideo "nihil est aliud habitus consuetudinalis quam *habitudo acquisita per consuetudinem, quae est in modum naturae*" (133).

235. Non ergo huiusmodi qualitas complens potentiam operativam induit rationem habitus nisi quando ita firmiter inhaeret potentiae ut sit quasi secunda eius natura. Tunc enim modum sive statum sortitur permanentem atque difficile mobilem, qui ad rationem habitus requiritur.

236. At vero ex parte proprii obiecti vel materiae et ex parte simplicis actus non habet illam firmitatem, sed est ex se tam instabilis et facile mobilis sicut ipsa, videlicet mera dispositio. Unde qualitas haec natura sua induit successive statum simplicis dispositionis et statum habitus, quia transit a facili ad difficilem mobilitatem sive ab infirma ad firmam inhaerentiam in proprio subiecto *quo*. Et ideo ratio habitus in illis se habet potius ex parte modi vel status, quo firmiter radicatur in subiecto, quam ex parte simplicis actus et obiecti. Et quidem tam in subiecto principali, quod est ratio practica, quam in subiecto adnexo et secundario, quod est cogitativa (134).

237. *Habent tamen perfectiorem rationem habitus quam simplex opinio*, quia haec potest esse veri et falsi, dum prudentia, utpote vera virtus, non est nisi veri, et virtutes mere morales appetitus non sunt nisi boni. Virtutibus namque recte vivitur et nemo male utitur (135). Prudentia enim non est mere cognoscitiva sicut virtutes intellectuales speculativae, sed directiva et regitiva appetitus superioris et inferioris, et ideo eius veritas est practica, quae non consistit proprie in adaequa-

---

(131) *In III Sent.*, d. 23, 1, 4, qla. 2c, n.º 86.
(132) *Summa theol.*, I-II, 58, 1c.
(133) *Ibid.*, 56, 5c.
(134) *Op. cit.*, I-II, 55, 4c.
(135) *Op. cit.*, II-II, 47, 3 ad 3.

tione rei et intellectus, sed in adaequatione sive conformitate rationis practicae cum appetitu recto finis.

5. Analogia habituum intellectualium naturalium inter se

238. Ex his omnibus aparet rationem habitus operativi non esse eamdem, sed valde diversam, secundum quod dicitur de habitu angelorum, de habitu primorum principiorum et synderesеos in nobis, de habitu sapientiae et scientiae, de habitu opinionis, de habitu artis, de habitu prudentiae et de habitu virtutum moralium acquisitarum. Alii enim consistunt in solis speciebus intelligibilibus impressis, ut habitus intellectuales angelorum et intellectus principiorum atque synderesis in nobis; alii in sola habilitate potentiae operativae erga actus et obiecta ei propria, absque speciebus intelligibilibus, ut accidit in habitibus moralibus appetitus superioris et inferioris; alii simul in speciebus intelligibilibus et in habilitate potentiae operativae ad eas inveniendas, colligendas et ordinandas, eisque utendis ad veritatem speculativam vel practicam rite et expedite capessendam, ut contingit in sapientia et scientia, prudentia et arte.

239. Quae quidem diversitas non videtur esse tantum specifica intra idem genus, quae analogiam inaequalitatis secum fert, sed multo maior, qualis est diversitas *analogorum attributionis ad unum vel ab uno*.

Equidem species intelligibiles angelorum et hominum non videntur esse univocae, sed analogae, quia sunt multo simpliciores et perfectiores quam nostrae. Non abstrahuntur a sensibilibus sicut nostrae, neque ideo proportionaliter multiplicantur ut species intellectus nostri, sed una specie intelligibili plura et profundius ac plenius cognoscunt quam nos per plures, immo et per omnes quas possidemus.

Quam ob rem S. Thomas: "formae, inquit, intellectus angelici neque sunt singulares sicut formae imaginationis vel sensus, cum sint penitus immateriales; neque sunt hoc modo universales sicut formae intellec- tus nostri quibus nonnisi natura universalis repraesentatur, sed in se immateriales existentes exprimunt et demonstrant universalem natu- ram et particulares conditiones" (136).

240. Neque eis utuntur sicut nos, quia non illas componunt aut dividunt ut nos, sed simplici intuitu eis mediantibus totam rei veritatem attingunt. Qui quidem simplex intuitus longe superat nostram sim- plicem apprehensionem et omnia nostra iudicia. Unus enim existens,

---

(136) *De Verit.*, 8, 11 ad 13.

of Divinity Library

eminenter atque unite continet quidquid perfectionis et vigoris habent tres nostrae operationes, et adhuc amplius.

241. Hoc ergo in ordine species intelligibiles supremi angeli, quae pauciores et maximae virtutis sunt, primum atque supremum occupant locum quasi analogum princeps; ceterorum vero angelorum hominumque species dicuntur per respectum ad illud primum quasi analogata inferiora, secundum quod magis vel minus accedunt ad illum, sive secundum quod plus minusve participant de eius perfectione.

242. Itaque habitus primorum principiorum speculativorum et practicorum similitudinem quidem et convenientiam habent cum habitibus intellectualibus angelorum, sed analogam tantum et non univocam. Videntur enim differe in ipsa ratione communi intellectus et speciei intelligibilis, quia intellectus angelicus, unus exsistens, superat differentias intellectus agentis et possibilis humani, quorum perfectiones eminenter continet et longe praetergreditur.

6. Analogia inter prudentiam et virtutes morales

243. Quod si comparemus habitus appetitivos sive morales voluntatis et appetitus sensitivi cum habitibus intellectualibus, etiam discursivis, puta scientia, sapientia et prudentia, eorum differentia videtur plus quam mere specifica; quia habitus appetitus solam habilitatem consuetudine contractam ex parte potentiae praeseferunt, absque ullis speciebus intelligibilibus, dum praedicti habitus intellectuales utroque elemento constant, scilicet speciebus intelligibilibus impressis et habilitate eas inveniendi, colligendi et ordinandi, eisque utendi in cognitione veritatis. Quin tamen praedicta habilitas sit eiusdem rationis; quia habilitas appetitus est ad recte eligendum, dum habilitas intellectus est ad recte iudicandum, ratiocinandum et concludendum.

Qua de causa S. Thomas iure meritoque scribit: "perfectiones proportionantur suis perfectibilibus, quia proprius actus est in propria potentia, ut dicitur in II De Anima, 2, 414, a 25. Et ideo *non oportet quod habitus cognitivae et affectivae partis sint unius modi,* sicut nec ipsae potentiae quae eis perficiuntur" (137).

244. Immo et expresse docet quatuor virtutes cardinales, scilicet prudentiam, iustitiam, fortitudinem et temperantiam, quae veri sunt habitus operativi, non convenire univoce, sed analogice tantum analogia

(137) *In III Sent.*, d. 23, 1, 1 ad 5, n.° 31.

attributionis intrinsecae ad unum et ab uno ad quod ordinantur et a quo dependant secundum prius et posterius. Quod quidem est prudentia quae, una exsistens, simul est intellectualis et moralis, scilicet formaliter intellectualis et materialiter moralis (138), seseque extendit ad omnem materiam aliarum trium virtutem cardinalium cum omnibus suis partibus, et adhuc amplius, quia in proprios actus revertitur ad eos dirigendos: ac insuper materiam illarum virtutum altius atque profundius attingit eisque formam praebet. Et ideo ipsa sola eminenter atque unite continet omnem perfectionem ceterarum, eamque longe superat.

245. Sed placet audire S. Thomam egregie disserentem: "Quando, inquit, genus univocum dividitur in suas species, tunc partes divisionis ex aequo se habent secundum rationem generis, licet secundum naturam rei una species sit principalior et perfectior alia, sicut homo aliis animalibus. Sed quando est divisio alicuius *analogi* quod dicitur de pluribus secundum prius et posterius, tunc nihil prohibet unum esse principalius altero, etiam secundum communem rationem, sicut substantia principalius dicitur ens quam accidens. *Et talis est divisio virtutum in diversa genera virtutum,* eo quod bonum rationis non secundum eumdem ordinem invenitur in omnibus" (139).

Ubi, ut apparet ex toto contextu, agitur de divisione virtutis cardinalis in quatuor genera, scilicet prudentiam, iustitiam, fortitudinem et temperantiam. Quod si divisio est analoga, proculdubio ipsum divisum debet quoque analogum esse.

246. Ac revera ipsis conveniunt omnes conditiones analogiae attributionis intrinsecae, quarum *prima* est ut *una earum sit maxima et principalis,* et haec convenit *prudentiae.* Unde Thomas: "prudentia est *simpliciter principalior omnibus*" (140).

Cuius ratio est, quia ita se habet prudentia, quae est in ratione, ad iustitiam, fortitudinem et temperantiam, quae sunt in appetitu, sicut se habet ipsa ratio ad appetium: nam virtutes cum sint perfectiones potentiarum in quibus immediate resident, proportionantur praedictis poten-

(138) "Prudentia *media* est inter morales et intellectuales virtutes. Est enim essentialiter intellectualis, cum sit habitus cognitivus et rationem perficiens; sed est moralis quantum ad *materiam;* in quantum est directiva moralium virtutum, cum sit recta ratio agibilium" (*In III Sent.*, 23, 1, 4, qla. 2 ad 3, n.° 93. Cf. *De Virtutibus in communi*, 12 ad 14; *De Virtutibus cardinalibus*, 1 ad 3; *Summa theol.*, I-II, 58, 3 ad 1; II-II, 181, 2 ad 3).

(139) *Summa theol.*, I-II, 61, 1 ad 1. Cf. *in III Sent.*, d. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, nis. 139-140.

(140) *Summa theol.*, I-II, 61, 2 ad 1.

of Divinity Library

tiis sicut perfectio perfectibili et actus potentiae (141). Constat autem rationem esse appetitu superiorem, cum sit maxima et principalis potentia animae (142). Ergo et prudentia est maxima et principalis inter ceteres virtutes cardinales.

247. Quam demonstrationem ita perspicue proponit S. Doctor: "habitus proportionatur potentiis in quibus sunt. Sed ratio, in qua est prudentia, est superior aliis viribus in quibus sunt aliae virtutes. Ergo prudentia est nobilior aliis virtutibus" (143).

Et alio in loco: "principalis pars hominis est pars rationalis. Sed rationale est duplex, scilicet per essentiam et per participationem: et sicut ipsa ratio est principalior quam vires participantes rationem, ita etiam prudentia est principalior quam aliae virtutes" (144).

248. *Altera* conditio est quod illa maxima et principalis sit *principium et causa ceterarum virtutum cardinalium*. Et haec convenit etiam prudentiae.

Qua de re iterum S. Thomas: "prudentia inter alias virtutes cardinales *principalior* est, et *ad ipsam reducuntur omnes aliae quasi ad causam*. Unde Antonius dicit in Vitis Patrum, lib. 4, cap. 42 (ML. 73, 841), et in Collationibus Patrum, col. 2, cap. 2 (ML. 49, 526), quod discretio quae ad prudentiam pertinet est *genitrix* et custos et moderatrix virtutum" (145).

Ab ipsa namque "est rectitudo et complementum bonitatis in omnibus aliis virtutibus: unde Philosophus dicit in II Ethic., cap. 2, quod medium in virtute morali determinatur secundum rectam rationem. Et quia ex hac rectitudine et bonitatis complemento omnes habitus appetitivi virtutis rationem habent, inde est quod *prudentia est causa omnium virtutum appetitivae partis*" (146).

249. Unde et dicitur virtus generalis *in causando*, quia non solum determinat medium aliarum virtutum cardinalium per modum ostendentis, sed etiam per modum dirigentis et imperantis (147), et ideo illud imponit appetitui ut secundum illud eligat et operetur. "Et hoc modo, ait Aquinas, prudentia dicitur *generalis*, quia ex ea omnes aliae

---

(141) "Perfectiones proportionantur suis perfectibilibus, quia proprius actus est in propria potentia" (*In III Sent.*, d. 23, 1, 1 ad 5, n.° 31).
(142) *Summa theol.*, I, 82, 3.
(143) *In III Sent.*, d. 33, 2, 5, arg. 2 sed contra, n.° 250.
(144) *De Virtutibus cardinalibus*, 1 ad 11.
(145) *In III Sent.*, d. 33, 2, 5c, n.° 252.
(146) *De Virtutibus in communi*, 6c.
(147) "*Medium* determinatur per virtutem intellectualem, scilicet prudentiam, et moralem, sed diversimode; quia *prudentia* determinat *per modum dirigentis et ostendentis*, sed virtus *moralis per modum exequentis et inclinantis in medium*" (*In III Sent.*, d. 23, 1, 4, qla. 2 ad 4, n.° 94. Cf. *Summa theol.*, II-II, 60, 1 ad 1).

virtutes morales rectitudinem electionis *participant*, et sic eius actus immiscetur actibus omnium aliarum virtutum" (148).

250. *Tertia* conditio est ut ratio propria illiusmet virtutis principalis participetur a ceteris quae sub ipsa sunt *secundum prius et posterius* pro suo quaeque modo, hoc est, secundum quod magis vel minus accedunt ad illam primam, quia participatum est in participante secundum modum participantis (149). Et sic per prius participatur a iustitia, deinde a fortitudine et postremo a temperantia: quia sicut voluntas in qua est iustitia plus accedit ad rationem et magis de ea participat quam appetitus sensitivus in quo sunt fortitudo et temperantia, et quidem plus appetitus irascibilis in quo est fortitudo quam concupiscibilis in quo est temperantia; ita plus participat de ratione prudentiae iustitia quam fortitudo, et haec plus quam temperantia.

Hinc Thomas iterum: "prudentia *participatur* quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum" (150).

251. Gradusque vel modos huiusce participationis explicat consequenter, dicens: "causa et radix humani boni est ratio. Et ideo prudentia, quae perficit rationem, *praefertur* in bonitate aliis virtutibus moralibus perficientibus vim appetitivam *in quantum participant rationem*. Et in his etiam tanto est una altera melior quanto magis ad rationem accedit. Unde et iustitia, quae est in voluntate, *praefertur* aliis virtutibus moralibus; et fortitudo, quae est in irascibili, *praefertur* temperantiae quae est in concupiscibili, quae minus participat rationem" (151).

252. Et alio in loco, imitans exemplum classicum analogiae attributionis, quo scilicet sanum dicitur formaliter sive essentialiter de animali, effective de medicina et conservative de diaeta (152), scribit: "bonum rationis est hominis bonum, secundum Dionysium, IV capite De divinis nominibus, § 32 (MG 3, 733). Hoc autem bonum *essentialiter* quidem habet *prudentia*, quae est perfectio rationis. *Iustitia* autem est huius

---

(148) *In III Sent.*, d. 9, 1, 1, qla, 2c, n.° 25.
(149) *In librum De causis*, proposit. 5, p. 39-18-20. "Inferiora participant perfectionem superiorum secundum modum suum, et ideo participationes determinantur in participantibus ex capacitate et natura participantium" (*In III Sent.*, 27, 2, 4, qla. 3 ad 5, n.° 184).
(150) *Summa theol.*, II-II, 53,2c.
(151) *Op. cit.*, I-II, 66, 1c. Cf. *ibid.* 4c; II-II, 59, 12c.
(152) "Ratio sani secundum quod dicitur de diaeta consistit in conservando sanitatem; secundum vero quod dicitur de medicina, in faciendo sanitatem...; secundum vero quod dicitur de animali, ratio eius est quoniam est receptivum vel susceptivum sanitatis" (*In IV Metaph.*, lect. 1 n.° 537), "in quo primo perfecta ratio sanitatis invenitur" (*De Verit.*, 1, 2c).

School of Divinity Library

boni *factiva*, in quantum scilicet ad ipsam pertinet ordinem rationis ponere in omnibus rebus humanis. *Aliae* autem virtutes sunt *conservativae* huius boni, in quantum scilicet moderantur passiones ne abducant hominem a bono rationis. Et *in harum ordine fortitudo* tenet locum *praecipuum*, quia timor periculorum mortis maxime est efficax ad hoc quod hominem faciat recedere a bono rationis. *Post quam ordinatur temperantia*, quia etiam delectationes tactus maxime inter cetera impediunt bonum rationis.

Id autem, quod *essentialiter* dicitur, *potius* est eo quod dicitur *effective; et hoc etiam potius* est eo quod dicitur *conservative* secundum remotionem impedimenti. Unde inter virtutes *cardinales est potior prudentia; secunda, iustitia; tertia, fortitudo; quarta, temperantia*" (153).

253. At haec analogia attributionis non est mere extrinseca et pure denominativa sicut in exemplo de sanitate, sed vere realis et intrinseca, quia tam iustitia quam fortitudo et temperantia realiter atque intrinsece participant directionem et imperium prudentiae, cuius actus, ut egregie ait S. Thomas, "*immiscetur* actibus omnium aliarum virtutum" (154). Prudentiae ergo convenit ars recte vivendi sive recta ratio agibilium essentialiter, participative autem aliis virtutibus prout secundum prudentiam diriguntur (155). "Unde si recte consideretur, virtus appetitivae partis nihil est aliud quam quaedam dispositio sive *forma sigillata et impressa in vi appetitiva a ratione*. Et propter hoc, quantumcumque sit fortis dispositio in vi appetitiva ad aliquid, non potest habere rationem virtutis nisi sit ibi id quod est rationis" (156).

254. Et inde sequitur *quarta* conditio, scilicet quod eadem virtus suprema det *formam sive modum* virtuosum ceteris virtutibus sub ea positis, in quantum ipsa *active* invenit et imponit illis rectum medium in propria materia singularum, ex cuius attingentia et electione resultat modus virtuosus in opere vel executione. Ut enim ad rem scribit Aquinas, haec est lex "in actibus animae, quod actus, qui est *essentialiter* unius potentiae vel habitus, *recipit formam et speciem a superiori potentia vel habitu, secundum quod ordinatur inferius a superiori*" (157); "quia virtus prioris actus remanet in actu sequenti" (158).

255. Quam ob rem *prudentia est forma aliarum virtutum cardinalium*. in quantum assignat et imponit eis rectum medium modumque

(153) *Summa theol.*, II-II, 123, 12c.
(154) *In III Sent.*, d. 9, 1, 1, qla. 2c, n.° 25.
(155) *Summa theol.*, I-II. 58, 2 ad 1.
(156) *De Virtutibus in communi*, 9c. Cf. *Summa theol.*, I-II, 56, 4c.
(157) *Summa theol.*, I-II, 13, 1c.
(158) *Op cit.*, I-II, 17, 1c.

rationis, ex quibus naturam virtutis nanciscuntur. Semper enim in quod superioris est, quoque inferius perficitur atque completur, se habet ad ipsum ut formale.

Id, quod ita profunde exponitur ab Angelico: "inferiores vires non perficiuntur perfectione virtutis nisi per participationem perfectionis a superioribus. Cum autem superiora sint *formalia* respectu inferiorum quasi perfectiora, quod participatur a superioribus in inferioribus *formale* est... Sicut ratio superior est quam concupiscibilis, quasi ordinans ipsam. Et ideo *prudentia, quae est perfectio rationis, est forma temperantiae, quae est virtus concupiscibilis*" (159). "Et hoc modo *prudentia est forma aliarum virtutum moralium, in quantum sigillatus ordo quidam prudentiae in inferioribus viribus dat habitibus qui ibi sunt rationem virtutis*" (160).

256. Non quod aliae tres virtutes cardinales non habeant propriam essentiam et formam specificam per ordinem ad proprium obiectum vel materiam, sed quia ulterius recipiunt quamdam formam communem virtutis *cardinalis*, eo proportionali modo quo caritas est forma quaedam communis omnium virtutum meritoriarum vitae aeternae (161). Quod et conceptis verbis docuit S. Thomas: "unaquaeque virtus, quae est in inferiori potentia, habet quamdam formam qua est *virtus* ex participatione perfectionis superioris potentiae; sed formam qua est *haec* virtus habet ex natura propriae potentiae per determinationem ad proprium obiectum. Et hanc formam et modum ponit unaquaeque virtus circa suum actum, et iterum illam formam vel modum quem habet ex superiori. Sic temperantia in actu suo ponit *modum proprium et prudentiae*" (162).

257. Et alibi congruenter explicat unitatem prudentiae una cum pluralitate virtutum moralium appetitus; sicut analogum princeps est unum, dum analogata secundaria sunt plura. ."In omnibus, ait, moralibus invenitur *una ratio veri*, quod est verum contingens in hominis actione consistens, et ideo ad unum habitum cognoscitivum pertinent. Invenitur autem in eis *ratio boni diversa*, secundum quod in diversis diversimode ordo rationis constituitur. Et ideo ex parte appetitivae oportet quod sint diversi habitus, qui dicuntur virtutes morales" (163).

(159) *In III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 3 ad 1, n.° 178. "Ratio *imponit modum omnibus viribus quae sunt sub ipsa*" (*ibid.*, ad 3, n.° 182).
(160) *Ibid.*, ad 1, n.° 177.
(161) "A proprio fine et a proprio obiecto quaelibet virtus habet formam specialem per quam est haec virtus, sed a caritate habet quamdam formam communem secundum quam est meritoria vitae aeternae" (*De Caritate*, 3 ad 9).
(162) *In III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 3 ad 5, n.° 184.
(163) *In III Sent.*, d 33, 1, 1, qla. 1 ad 3 n.° 26. Cf. *De Virtutibus in communi*, 12 ad 21.

School of Divinity Library

258. Indeque consequenter profluit *quinta* et ultima conditio, quod nempe illamet virtus prima atque praecipua *ponatur in definitione ceterarum* quae sub ipsa sunt et ab ea essentialiter dependent, quia semper forma debet poni in definitione rei per eam formatae.

Qua de re S. Thomas explicite: "quando, inquit, aliqua condividuntur aequaliter recipientia communis praedicationem, tunc unum non ponitur in definitione alterius; sed quando commune praedicatur de eis per prius et posterius, tunc primum ponitur in definitione aliorum, sicut substantia in definitione accidentium. Et *propter hoc prudentia ponitur in definitione aliarum virtutum, in qua per prius bonum rationis et per consequens ratio virtutis invenitur, quia prius est quod est per essentiam quam quod est per participationem*" (164).

259. Quod et alibi explicat uberius, dicens eam non poni in definitione praedicta ut partem essentialem aliarum virtutum, ad modum quo genus proximum et differentia ultima ponuntur in definitione essentiali, sed ad modum quo virtus superior movet, dirigit ac perficit virtutem inferiorem, *motione scilicet causalitatis finalis* et *efficientis;* quia prudentia, cum sit optima virtutum cardinalium, est earum finis, et consequenter movet eas efficienter ut executive et in re talem finem attingant. Ex qua motione attractiva et impulsiva efficacissima resultat in viribus appetitivis motis sigillata quaedam impressio firma ac permanens ordinis rationis prudentialis, qua habitualiter ei submittuntur et conformantur.

"Quia enim bona dispositio potentiae moventis motae attenditur secundum con-*formitatem* ad potentiam moventem, ideo virtus, quae est in irascibili et concupiscibili [eodemque iure in voluntate], nihil aliud est quam quaedam *habitualis* con-*formitas* istarum potentiarum ad rationem" (165).

Sicut ergo "caritas dicitur esse forma aliarum virtutum, non quidem exemplariter aut essentialiter sed magis *effective* [et finaliter], in quantum scilicet omnibus formam [et modum suum] *imponit*" (166); ita et prudentia dicitur forma ceterarum virtutum cardinalium eodem genere causae.

260. Unde et resolutorie concludit: "ratio recta prudentiae non ponitur in definitione virtutis moralis quasi aliquid de essentia eius existens, sed *sicut causa quodammodo effectiva ipsius, vel per partici-*

(164) *Ibid.*, qla. 2 ad 1, nis 29-30.

(165) *Summa theol.*, I-II, 56, 4c. Cf. ibid., 58, 2c. in fine.

(166) *Op. cit.*, II-II, 23, 8 ad 1. Finis namque est ratio et forma agentis qua talis, quia est causa *ut qua* ipsius causalitatis causae efficientis. Cf. *ibid.*, corpus articuli.

pationem. Nam virtus moralis nihil aliud est quam participatio quaedam *rationis rectae in parte appetitiva*" (167).

7. Analogia inter prudentiam et ceteras virtutes intellectuales

261. Quod si virtutes morales appetitus non conveniunt univoce cum prudentia in ratione communi virtutis cardinalis, sed analogice tantum analogia attributionis per participationem intrinsecam, id a fortiori dicendum est si comparentur cum ceteris virtutibus intellectualibus, quia plus distant ab eis quam a prudentia.

262. Eo vel magis quod ita se habent virtutes inter se sicut earum propria obiecta e quibus specificantur. Porro obiecta propria habitus intellectus principiorum et synderesеos, itemque sapientiae et scientiae, sunt *necesaria;* dum obiecta propria prudentiae et ceterarum virtutum cardinalium sunt *contingentia.* Necessarium autem et contingens, cum sint e primis differentiis entis ut sic, non conveniunt univoce, sed analogice tantum. Virtutes igitur cardinales nonnisi analogice conveniunt cum praedictis virtutibus intellectualibus.

263. Et quamvis ars versetur etiam circa contingentia, talis contingentia alius omnino rationis est ac contingentia virtutum cardinalium; quia illius est *factibilium,* harum vero *agibilium.* Ac plus differunt virtutes cardinales appetitus ab arte quam a prudentia. Unde et ab arte separari possunt manentibus ipsis, non autem a prudentia, in qua essentialiter ac necessario connectuntur (168).

264. *Eademque analogia viget inter ipsos habitus intellectuales versantes circa necessaria,* nempe inter habitum principiorum, sapientiam et scientiam. Sapientia enim supremus atque unus habitus est, dum scientiae sunt plures, itemque habitus principiorum, qui distinguuntur in speculativum —intellectum principiorum— et practicum —synderesim—: ac se habet ad scientias et habitus principiorum ut totum potentiale vel supremum analogans ad partes potentiales vel inferiora analogata. Continet enim ipsa omnes perfectiones inferiorum, pluresque alias.

265. Hinc S. Thomas: "si quis, inquit, recte consideret, istae tres virtutes *non ex aequo* distinguuntur ab invicem, *sed ordine quodam.*

(167) *De Virtutibus in communi,* 12 ad 16. Cf. *ibid.*, a. 9c. in fine. "Recta ratio quae est secundum prudentiam ponitur in definitione virtutis moralis, non tamquam pars essentiae eius, sed *sicut quiddam participatum in omnibus virtutibus moralibus, in quantum prudentia dirigit omnes virtutes morales*" (*Summa theol.*, I-II, 58, 2 ad 4).

(168) *Op. cit.*, I-II, 65, 1.

of Divinity Library

Sicut accidit in totis potentialibus, quorum una pars est perfectior altera: sicut anima rationalis est perfectior quam sensibilis; et sensibilis quam vegetabilis. *Hoc enim modo scientia dependet ab intellectu sicut a principaliori; et utrumque dependet a sapientia sicut a principalissimo, quae sub se continet et intellectum et scientiam, ut de conclusionibus scientiarum diiudicans et de principiis earumdem*" (169).

Nimirum "*sapientia comprehendit in se scientiam et intellectum.* Est enim quaedam scientia et caput scientiarum" (170). Et utrumque superat: nam "sapientia praefertur intellectui et intellectus scientiae, sicut prudentia synesi et synesis eubuliae" (171), quae sunt partes potentiales prudentiae (172).

266. Comprehendit quidem et superat intellectum primorum principiorum, quia sapientia explicat ea uberius et profundius dum eorum terminos, puta ens et non-ens, unum et non-unum, bonum et non-bonum, illustrat ex maiori penetratione eorum quae sub se continent: non tamen per modum totius universalis sive univoci, sed per modum totius potestativi sive analogici; et hoc pacto plenum reddunt sensum atque virtutem quam continent. Magna siquidem est differentia inter simplicem atque vulgarem apprehensionum horum terminorum quam omnes habent et cognitionem plene elaboratam atque philosophicam quam habent metaphysici, post longam et subtilem analysim diversorum generum et modorum entis et non-entis aliorumque terminorum cum eis convertibilium. Prima cognitio est superficialis et confusa; alia est profunda et distincta: illa sponte surgit a principio usus rationis; haec autem obtinetur tantum post multos labores et vestigationes, et quidem in fine usus sive exercitii rationis, hoc est, in termino philosophiae, quando quis ad culmen pervenit Metaphysicae.

267. Propter quod haec duo sunt simul vera, et quod huiusmodi termini sunt primo cogniti ab homine cognitione intellectuali confusa atque imperfecta per simplicem apprehensionem, et quod sunt ultimo ab eo cogniti cognitione intellectuali distincta et perfecta per viam iudicii reflexivi atque resolutionis. Illa cognitio est vulgaris et facillima; haec vero est sapientialis et difficillima. "Videmus enim, ait ad rem Caietanus, multos per plures annos exercitatos in studiis adhuc nescire distinguere rationem entis a substantia et accidente: quos non habere conceptum

(169) *Op. cit.*, I-II, 57, 2 ad 2.
(170) *In II Post.*, lect. 20, n.° 15.
(171) *Summa theol.*, I-II, 58, 7c.
(172) II-II, 48, a. unic.

actualem [atque vulgarem] entis, fatuum est dicere et contra sensum" (173).

Ac insuper principia sic explicata atque profundius penetrata (174) defendit contra negantes vel impugnantes, reducendo eos ad absurdum si aliquid concedant, vel solvendo eorum argumenta, aut saltem probando ipsa non esse cogentia.

268. Qua in re superat etiam ceteras scientias particulares: tum quia hae accipiunt sua principia a Metaphysica, cuius sunt propria prima omnino principia e quibus reliqua omnia magis particularia dependent; tum quia praedictae scientiae non probant neque defendunt efficaciter proxima atque pecularia sua principia, quod tamen facit Sapientia; tum denique quia illae scientiae nihil agere possunt contra negantes prima principia intellectus et Sapientiae, quae praesupponunt, cum tamen Metaphysica id faciat ex propriis, et quidem vera cum virtute et efficacitate (175).

269. Quinimo ex hoc ipso quod Sapientia exsuperat atque eminenter comprehendit intellectum principiorum, qui et ipse longe superat scientiam, plane consequitur unam Sapientiam eminenter comprehendere ac superare quidquid vigoris et perfectionis continet scientia. Quam ob rem dicitur "virtus quaedam omnium scientiarum, propter eminentiam quam habet inter alias scientias" (176) utpote "simpliciter principalis inter omnes (177).

270. Hinc praeclara verba S. Thomae: "veritas et cognitio principiorum indemostrabilium dependent ex ratione terminorum. Cognito enim quid est totum et quid est pars, statim cognoscitur quod omne totum est maius sua parte. Cognoscere autem rationem entis et non-entis, et totius

(173) *In Opusculum S. Thomae De ente et essentia*, cap. 1, n.° 4, p. 8; ed. H. LAURENT, O. P. Taurini, 1934.
(174) "Intellectus principiorum... aequaliter in omnibus invenitur... Et tamen *secundum maiorem capacitatem intellectus, unus magis cognoscit virtutem principiorum quam alius*" (*Summa theol.*, II-II, 5, 4 ad 3). Nec solum secundum maius ingenium naturale, verum etiam secundum maiorem habilitatem acquisitam per studium philosophiae ac praesertim metaphysicae.
(175) "Philosophus enim Primus debet disputare contra negantes principia singularum scientiarum, quia omnia principia firmantur super hoc principio, quod affirmatio et negatio non sunt simul vera, et quod nihil est medium inter ea. Illa autem sunt propriisima huius scientiae, cum sequantur rationem entis, quod est huius philosophiae primum subiectum" (*In IV Metaph.*, lect. 17, n.° 736). "Considerandum est in scientiis philosophicis quod inferiores scientiae nec probant sua principia nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiae. *Suprema* vero inter eas, scilicet Metaphysica, disputat contra negantem sua principia si adversarius aliquid concedit; si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius" (*Summa theol.*, I, 1, 8c.)
(176) *In VI Ethic.*, lect. 5, n.° 1183.
(177) *Ibid.*, lect. 7, n.° 1195.

of Divinity Library

et partis, et aliorum quae consequuntur ad ens, ex quibus sicut ex terminis constituuntur principia indemonstrabilia, pertinet ad Sapientiam; quia ens commune est proprius effectus causae altissimae, scilicet Dei. Et ideo *Sapientia non solum utitur principiis indemostrabilibus quorum est intellectus, concludendo ex eis sicut etiam aliae scientiae, sed etiam iudicando de eis et disputando contra negantes. Unde sequitur quod Sapientia sit maior quam intellectus*" *principiorum* (178).

271. Habitus autem intellectus principiorum est supra habitum scientiae sicut causa est supra effectum, quia principia quorum est intellectus sunt causae conclusionum quarum est scientia. "Principia enim se habent ad conclusiones in demonstrativis sicut *causae activae* in naturalibus ad suos effectus" (179). Et ideo demonstratio, quae est causa scientiae conclusionum, dicitur syllogismus *apodicticus*, idest *faciens scire*, siquidem procedit ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus *causisque* conclusionis (180). "Intellectus enim cognoscit principia naturaliter, *et ex hac cognitione causatur in homine scientia conclusionum*, quae non cognoscuntur naturaliter ab homine, sed per inventionem vel doctrinam" (181). Ob idque "in principiis scientiae virtualiter tota scientia continetur" (182).

272. Sapientia vero superat scientiam sicut ratio superior inferiorem (183). Sapientia enim ad multo plura atque profundius se extendit quam scientia; quia, una et unica existens, ad omnia porrigitur, dum scientiae singulae materiam habent limitatam et coarctatam unaquaeque suam; et insuper illa per ultimas et altissimas causas omnia considerat ac de omnibus iudicat, dum istae materiam suam particularem considerant tantum et iudicant per causas proximas et inferiores.

Ideo Aquinas: "Sapientia, quae considerat *altissimas* causas..., convenienter *iudicat et ordinat de omnibus*, quia iudicium perfectum et universale haberi non potest nisi per resolutionem ad primas causas. Ad id vero quod est ultimum *in hoc vel illo genere* cognoscibilium perficit intellectum scientia. Et ideo secundum diversa genera scibilium sunt *diversi habitus scientiarum*, cum tamen *Sapientia* non sit nisi *una*" (184).

Equidem "Sapientia est quaedam scientia, in quantum habet id quod est commune omnibus scientiis, ut scilicet ex principiis conclusiones de-

(178) *Summa theol.*, I-II, 66, 5 ad 4.
(179) *In I Post.*, lect. 3, n.º 1.
(180) *Ibid.*, lect. 4, nis.. 9, 15.
(181) *Summa theol.*, I, 60, 2c.
(182) *Op. cit.*, I-II, 3 6c.
(183) *In I Sent.*, 24, 2, 2c in fine; *Summa theol.*, I, 79, 9c in fine.
(184) *Summa theol.*, I-II, 57, 2c.

monstret. Sed *quia aliquid habet proprium supra alias scientias, in quantum scilicet de omnibus iudicat, et non solum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia, ideo habet rationem perfectioris virtutis quam scientia*" (185).

273. Et hac de causa Sapientia sive Philosophia Prima dicitur *caput et regina*, immo et *dea omnium scientiarum* (186), *earumque archetypus et finis sive coronamentum* (187), quas ideo regit et gubernat, principia atque directionem eis porrigendo (188), sibique ipsas submittendo eisque utendo quasi subservientibus ad proprium suum et superiorem finem (189).

274. Unde et *forma* illarum dici potest, utpote quae omnibus confert ultimum complementum. Quare Thomas apposite: "est in scientiis una scientia specialis ab aliis distincta, scilicet Philosophia Prima, quae *omnibus aliis scientiis perfectionem impartitur*, in quantum obiectum suum est commune secundum rationem obiectis omnium aliarum scientiarum... *Sicut* patet de *prudentia, quae perficit rationem virtutis in omnibus virtutibus moralibus*" (190).

275. Perfectio autem superioris habitus participata in inferiori habet rationem formae eius. Quia, "cum superiora sint *formalia* re-

(185) *Ibid.*, ad 1.
(186) "Est enim Sapientia, ut dicit Philosophus in VI Ethicorum, cap. 7 (1141a, 18-20), *caput omnium scientiarum*, regulans omnes alias in quantum de altissimis principiis est. Propter quod etiam *dea scientiarum dicitur* in principio Metaphysicae, IA, cap. 2., 983a 6" *(In librum Boëthii De Trinitate*, q. 2, a. 2 ad 1; ed. B. Decker, p. 89-90. Leiden, 1955).
(187) "Et quia per causam iudicatur de effectu, et per causam superiorem de causis inferioribus, inde est quod Sapientia habet iudicium de omnibus aliis virtutibus intellectualibus, et eius est ordinare omnes, et ipsa est quasi architectonica respectu omnium" *(Summa theol.*, I-II, 66, 5c).
"In omnibus autem scientiis et artibus ordinatis, ad illam videtur pertinere ultimus finis quae est praeceptiva et architectonica aliarum; sicut ars gubernatoria ad quam pertinet finis navis, qui est usus ipsius, est architectonica et praeceptiva respectu navisfactivae. Hoc autem modo se habet Philosophia Prima ad alias scientias speculativas, nam ab ipsa omnes aliae dependent, utpote ab ipsa accipientes sua principia et directionem contra negantes principia; ipsaque Prima Philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem sicut ad ultimum finem, unde et scientia divina nominatur, I Metaph., 2, 983a 6" *(Summa contra Gentiles*, III, 25, 6). "Et sic omnes aliae scientiae in eam ordinatur sicut in finem" (*In I Metaph.*, lect. 3, n.º 59).
(188) Ipsa est "aliarum omnium *rectrix*", "maxime aliarum *regulatrix*", et "aliarum *princeps sive domina*" *(In XII libros Metaphysic. prooem. S. Thomae)*.
"Sicut enim per sensus qui sunt in capite diriguntur motus et operationes omnium aliorum membrorum, ita Sapientia dirigit omnes alias scientias, dum ab ea omnes aliae sua principia supponunt" *(In VI Ethic.*, lect. 6, n.º 1184).
(189) "Prima Philosophia *utitur omnium scientiarum documentis ad suum propositum ostendendum*" *(Summa contra Gentiles*, II, 4).
(190) *In III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 2 ad 1, nis. 166-167.

8

of Divinity Library

spectu inferiorum quasi perfectiora, quod paticipatur a superioribus in inferioribus *formale* est" (191).

276. Haec tamen forma non est eiusdem rationis prout dicitur de Sapientia et de prudentia, neque prout dicitur receptive de virtutibus intellectualibus speculativis et de virtutibus moralibus appetitus: quia forma sapientialis est speculativa, dum forma prudentialis est practica: ac insuper forma illa, prout recepta in intellectu principiorum et in scientia, modum induit cognoscitivum; haec autem, quatenus recepta atque participata in iustitia, fortitudine et temperantia, induit modum electivum et operativum. Sicut et forma, quam caritas praebet omnibus virtutibus, alius rationis est, tam ex parte virtutis formantis quam ex parte virtutum formatarum, a duabus formis praedictis. Formae quidem aliqualiter similes, non tamen ex toto sicut univoca, sed ex parte tantum sicut analoga (192).

8. Series ordinata habituum operativorum naturalium

277. Itaque in serie habituum operativorum pure naturalium seu acquisitorum hominis, primum locum tenet habitus sapientiae quasi supremum analogans. Ipsa enim plenam atque perfectam rationem habitus habet: tum ex parte elementorum quibus constituitur, speciebus nempe intelligibilibus compluribus, et habilitate eas inveniendi, colligendi et ordinandi atque ipsis recte utendi; tum etiam ex parte firmitatis et immobilitatis, quam habet maximam secundum essentiam et speciem suam, quia versatur circa omnino necessaria et immobilia, quorum primum ac praecipuum est Deus ipse.

278. Alii vero habitus, ut scientia, ars et prudentia, licet simul quoque coalescant ex speciebus intelligibilibus et habilitate eas inveniendi, colligendi et ordinandi eisque recte utendi, recedunt tamen a firmitate sapientiae: tum quia versantur circa contingentia factibilia vel agibilia, sicut ars et prudentia, ideoque firmitatem vel immobilitatem modalem sive quoad statum habent potius quam presse specificam ex ordine ad propium obiectum; tum etiam quia, licet hoc ipsum habeant, ut scientia, quae de necessariis et ex necessariis quoque est, huiusmodi tamen necessitas obiectiva atque firmitas subiectiva ei correspondens, longe distant a necessitate ac firmitate sapientiae, quia derivatae sunt atque participatae, cum scientiae presse dictae, ut a Sapientia distinguuntur, versentur circa creata.

(191) *Ibid.*, qla. 3 ad 2, n.º 178.
(192) Cf. *Summa theol.*, I, 4, 3c.

279. Habitus vero primorum principiorum, firmissimus quidem, solis speciebus intelligibilibus constituitur, absque habilitate acquisita superaddita potentiae intellectus possibilis. Ac denique habitus virtutum mere moralium appetitus sola habilitate quoad modum vel statum firma constant, sine ullis speciebus intelligibilibus.

280. Quo fit, ut ratio habitus operativi dicatur analogice analogia attributionis intrinsecae de his omnibus secundum prius et posterius, idest secundum quod magis vel minus accedunt ad plenam perfectamque rationem habitus quam Sapientia possidet. Qua in re primo accedit habitus scientiae, deinde habitus artis, et postea habitus prudentiae. Quia licet isti tres habitus intellectuales coalescant e speciebus intelligibilibus et habilitate acquisita eas inveniendi, colligendi et ordinandi atque ipsis recte utendi, inaequaliter tamen sive secundum prius et posterius participant firmitatem et immobilitatem Sapientiae.

281. Scientia enim, quia versatur circa necessaria creata sicut et ratio inferior, minorem habet firmitatem essentialem sive specificam quam Sapientia, quae circa necessarium imparticipatum, scilicet Deum, occupatur, licet et ipsa sit essentialiter firma et non tantum quoad modum. Deficit ergo essentialiter a dignitate et firmitate Sapientiae.

282. Ars autem et prudentia amplius deficiunt, quia non versantur circa necessaria imparticipata vel participata, sed circa essentialiter contingentia. Quo fit, ut earum firmitas sive immobilitas sit potius quoad modum vel statum, quem habent in proprio subiecto *quo*, quam quoad substantiam vel speciem, quae eis convenit per relationem ad propria obiecta ex quibus specificantur.

283. Et quidem sub hoc respectu prudentia est minus firma quam ars, quia agibilia circa quae versatur sunt magis contingentia quam factibilia circa quae versatur ars. Quoad modum tamen sive statum habitualem in subiecto, prudentia ex se superat artem, quia eius exercitium, ex quo talis modus vel status causatur, est continuum absque interruptione et per totam vitam perseverat, sicut et vita moralis vel virtuosa, dum e contra usus atque exercitium artis non durat per totam vitam et plures admittit interruptiones. Ideo habitus artis amittitur otio et oblivione, non autem habitus prudentiae, sed potius actibus contrariis imprudentiae et vitiorum oppositorum virtutibus moralibus appetitus. Sicut enim habitus prudentiae ceterarumque virtutum cardinalium simul acquiruntur, iisdemque de causis; ita etiam simul amittuntur, iisdemque contrariis causis (193).

(193) Cf. *Op. cit.*, I-II, 53, 1c et ad 3; II-II, 47, 16c.

of Divinity Library

284. Intellectus vero principiorum et synderesis, licet firmiores et immobiliores habitus sint ex parte obiecti et subiecti sive quoad se et quoad nos quam habitus sapientiae, quia versantur circa immediate et per se nota quae nec possunt aliter esse neque videri, attamen deficiunt a pressa ratione habitus. Habitus namque operativus afficit immediate potentiam quam perficit et habiliorem reddit ad promptius, facilius, rectius et perseverantius operandum. Et ideo se habet potius ex parte potentiae quam ex parte obiecti. "Habitus enim, ait S. Thomas, non est dispositio obiecti ad potentiam, sed magis dispositio potentiae ad obiectum" (194). Species autem intelligibiles, cum sit quasi vicariae obiecti, se habent potius ex parte obiecti, licet species impressae habeant quoque rationem principii *quo* intelligendi: at vero habilitas eas inveniendi, colligendi et ordinandi, ipsisque utendi, tota se habet ex parte subiecti, idest potentiae quam perficit et complet ad melius, facilius et uberius operandum.

285. Cum ergo talis habilitas, ultra species intelligibiles, reperiatur in habitu sapientiae et non in habitu primorum principiorum, sed nuda sola potentia naturalis intellectus possibilis —quae tamen fortior et perfectior est quacumque habilitate acquisita, cum se habeat ad eam ut natura prima ad secundam—, planum est Sapientiam habere pleniorem atque strictiorem rationem habitus quam ipse intellectus principiorum atque synderesis.

286. Patet igitur habitum sapientiae esse primum atque supremum analogans totius seriei habituum operativorum ordinis *pure naturalis*. Quod ideo dico, quia ultra et supra Metaphysicam adest alia Sapientia *sui generis*, nempe Sacra Theologia, quae radicaliter quidem sive originative est supernaturalis, eo quod eius principia propria sunt articuli fidei, formaliter tamen et in seipsa est habitus naturalis et acquisitus humano labore ac studio, sive per simplicem explicationem principiorum eius, sive per veram demonstrationem (195). Unde non est habitus intellectualis discursivus mere naturalis sicut Sapientia philosophica, sed alius atque altioris rationis.

287. Haec enim Sapientia, quae est "velut quaedam impressio divinae scientiae quae est una et simplex omnium" (196), est longe dignior et altior sapientia philosophica aliisque scientiis; quia non solum est de

(194) *Op. cit.*, I-II, 50, 4 ad 1.

(195) *Op. cit.*, I, 1, 6 ad 3: haec doctrina "per studium habetur, licet eius principia ex revelatione habeantur". Cf. B. NAVARRETE, O. P., *in h. l.*, Controv. 8, fol. 32. Vallisoleti, 1605; JOANNES A S. THOMA, O. P., *ad loc.*, *Cursus theol.*, t. I, disp. 2, a. 8, ed. Solesm. p. 384-389. Parisiis, 1931.

(196) *Summa theol.*, I, 1, 3 ad 2.

altissimis, verum et ex altisssimis (197), unaque existens est simul speculativa et practica (198). Quo fit, ut sit "maxime sapientia inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter" (199). Et ideo ipsa dicenda est eminenter "caput et principalis et ordinatrix omnium scientiarum, et est magis dicenda sapientia quam metaphysica" (200). Unde et ei debent omnes famulatum praebere atque servire, una cum ipsa metaphysica, quae ipsius prima ministra est (201). Et hac ratione convenit theologiae sacrae esse primum atque supremum analogans omnium habituum operativorum naturalium, cum et ipsa simul constet speciebus intelligibilibus et habilitate eis utendi, una cum habilitatione ipsas inveniendi, colligendi atque ordinandi.

PARS ALTERA. QUALITATES SUPERNATURALES

288. Nomine qualitatum *supernaturalium* intelligimus supernaturales quoad essentiam vel substantiam, non autem quoad modum tantum: quia hae non differunt essentialiter a naturalibus, sed solum extrinsece et accidentaliter, idest quoad modum quo producuntur, puta scientia infusa rerum naturaliter cognoscibilium. De naturalibus autem qualitatibus satis hucusque dictum est. Superest ergo ut de essentialiter supernaturalibus disseramus.

289. Sunt autem huiusmodi qualitates duplicis generis: quaedam scilicet ad modum *habitus*, ut gratia santificans et virtutes per se infusae; aliae ad modum *potentiae*, ut character sacramentalis.

I

Habitus supernaturales

1. HABITUS ENTITATIVI

290. Ad modum habitus *entitativi* per se infusi est gratia sanctificans, qua participamus ipsam divinam naturam, cuius et consortes effici-

(197) *In librum Boëthii De Trinitate*, q. 2, a. 2 ad 1, p. 88, 1-2; *Summa theol.*, I, 1, 5.

(198) *Summa theol.*, I, 1, 4.

(199) *Op. cit.*, I, 1, 6c.

(200) *In I Sent.*, prol., a. 3, qla. 1c.

(201) *Summa theol.*, I, 1, 5 ad 2; 8 ad 2.

of Divinity Library

mur (II Pet. 1, 4) atque recreamur sive regeneramur in filios Dei (Tit. 3, 4-7; II Cor. 5, 17), quasi ex eo nati (Joan. 1, 13), ita ut filii Dei non solum nominemur sed et revera simus (I Joan. 3, 1). Ipsa ergo, ut ait Catechismus Concilii Tridentini, est "*divina qualitas in anima inhaerens* ac veluti splendor quidam et lux quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit" (202).

291. *Inhaeret ipsi animae* immediate, idest secundum essentiam et non secundum potentias, quia formaliter elevat eam ad ordinem divinum, eique confert novum esse novamque naturam, scilicet naturam filii Dei. Sicut enim creatio et generatio conferunt esse et naturam ordinis naturalis, ita recreatio et regeneratio per gratiam conferunt esse et naturam ordinis supernaturalis. Gratia ergo santificans pertinet primo et per se ad ordinem essendi supernaturalem et divinum per participationem, et ideo immediate recipitur in ipsa essentia animae sicut in subiecto *quo*. Sic enim perfectio respondet perfectibili, nimirum perfectio entitativa perfectibili entitativo, idest ipsi essentiae animae, quae formaliter pertinet ad ordinem essendi.

292. Licet enim anima rationalis *ut anima*, idest ut animat corpus, non sit susceptiva habitus entitativi naturalis, cum sit essentialiter forma et actus primus corporis humani, atque idcirco nullo modo in potentia, tamen *ut spiritus et imago Dei* est in potentia passiva obedientiali respectu gratiae et filiationis divinae, et hoc modo est susceptiva gratiae sanctificantis, quae modum induit habitus entitativi supernaturalis.

Hoc namque in sensu, ut S. Thomas repetit cum S. Augustino (203), anima capax est Dei per gratiam (204), in quantum scilicet spiritus est sive spiritualis et intellectualis naturae. "Id in quo primo consideratur ratio imaginis, est *intellectualis natura*" (205); "*homo, secundum intellectualem naturam*, ad imaginem Dei esse dicitur" (206).

293. Et idem dicendum de habitu iustitiae originalis collato primis parentibus, siquidem talis iustitia *includebat* gratiam gratum facien-

(202) P. II, cap. 2, n.° 50, p. 214.

(203) "Eo quippe ipso imago eius est quo eius capax est, eiusque particeps esse potest" (S. AUGUSTINUS, *De Trinitate*, lib. 14, cap. 8, n.° 11; ML. 42, 1044).

(204) *Summa theol.*, I-II, 113, 10c; II-II, 18, 1, arg. sed contra; III, 5, 4c; 6, 2c.

(205) *Op. cit.*, I, 93, 3c.

(206) *Ibid*, 4c. "Unum et idem est in nobis quod dicitur et anima et spiritus. Sed *anima* dicitur secundum quod perficit corpus, *spiritus* autem proprie secundum mentem, secundum quam spiritualibus substantiis assimilamur" *(In I Cor.* 15, 44, lect. 6, n.° 985; ed. R. CAI, O. P., Taurini-Romae, 1953. Cf. *Summa theol.*, I, 97, 3c).

tem (207) veluti *radicem* eius (208). Et ideo "originalis iustitia pertinebat primordialiter ad *essentiam animae*" (209).

294. Et quia contraria nata sunt fieri circa idem subiectum, ideo peccatum originale, quod directe et immediate opponitur iustitiae originali oppositione contrarietatis, est sicut in proprio subiecto *quo* in essentia animae, non autem in carne neque in potentiis (210). Unde est quidam habitus entitativus corruptus, non infusus neque acquisitus per proprium actum personalem, sed per vitiatam originem innatus (211).

2. Habitus operativi

295. Ad modum vero habitus *operativi* sunt illi qui, e gratia habituali quasi naturaliter dimanantes et potentias animae susceptivas habitus afficientes ac perficientes, una cum gratia inchoata vel consummata infunduntur a Deo: sicut tres virtutes theologales, quatuor virtutes cardinales cum omnibus suis partibus subiectivis et potentialibus, et septem dona Spiritus Sancti, in hac vita; atque lumen gloriae in vita futura. Nam lumen gloriae non infunditur in statu viae; fides et spes non conservantur in statu termini; caritas et dona Spiritus Sancti permanent ibi, aucta tamen atque perfecta ultima perfectione; virtutes denique cardinales manebunt perfectiores quantum ad id quod formale et principale est in ipsis.

296. Lumen gloriae pertinet formaliter ad intellectum, et vere est habitus intellectualis perfectissimus. Aliorum vero generum quidam habitus pertinent ad intellectum, quidam vero a affectum vel appetitum. Sic fides theologalis spectat ad intellectum, spes autem et caritas ad voluntatem; dona intellectus, sapientiae, scientiae et consilii pertinent ad intellectum; dona vero pietatis, fortitudinis et timoris ad appetitum; denique prudentia est rationis, dum iustitia, fortitudo et temperantia sunt appetitus.

A. Eorum natura per comparationem ad acquisitos

297. Iam vero constat omnes huiusmodi habitus operativos non solum praebere potentiis animae quibus insunt quasque perficiunt *facilitatem* exercendi actus proprios supernaturales, sicut acquisiti eam praebent

(207) *De Malo*, 4, 2 ad 1 tertiae seriei obiectionum.

(208) *Summa theol.*, I, 100, 1 ad 2.

(209) *Op. cit.*, I-II, 83, 2 ad 2.

(210) *Op. cit.*, I-II, 83, 1c; 2c et ad 2.

(211) *Op. cit.* I-II, 82, 1 ad 1 et 3.

of Divinity Library

pro naturalibus, sed insuper atque principaliter dare *ipsum posse* agere supernaturales actus et quidem supernaturali modo, quia vires naturales nequeunt ex se quidquam essentialiter supernaturale producere. Quo fit, ut simul induant rationem habitus et rationem potentiae huius ordinis. Unde et in hoc ordine se habent loco potentiae, quia virtutes infusae profluunt ex gratia habituali, cum qua simul infunduntur, sicut potentiae naturales ex anima, cum qua simul concreantur.

Secus, si vires mere naturales, etiam rite excultae per habitus acquisitos, possent actus salutares ac supernaturales producere, habitus ipsi infusi possent ex eis causari. Quo semel dato, tales habitus desinerent esse revera infusi et supernaturales. Ut praeteream quod in tali hypothesi laederetur principium causalitatis, iuxta quod "nullus actus excedit proportionem principii activi" (212), sive "nulla res potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet quod causa potior sit effectu" (213).

298. Insuper tales habitus sunt *ex se et quoad essentiam suam* firmiores atque difficilius mobiles quam habitus naturales sive acquisiti, quia firmiores ac immobiliores causas habent, nempe Deum ipsum, ut accidit in virtutibus theologalibus; vel regulam divinae legis supernaturalis, ut contingit in virtutibus cardinalibus infusis; vel divinum instinctum sive inspirationem Dei, ut evenit in donis Spiritus Sancti. Quam ob rem S. Thomas ait: "dona infusa sunt *permanentiora* quam acquisita" (214).

299. Et sic videmus, exempli causa, quod fides theologica est firmior ac certior secundum speciem suam, quam sortitur ex proprio eius motivo formali, quam ipse intellectus primorum principiorum; quia illius motivum est veritas prima et increata, dum motivum istius est lumen secundum et creatum intellectus nostri (215).

300. Possunt tamen esse *accidentaliter* minus firmi et facilius mobiles quantum ad modum vel statum habitus quando primo infunduntur in subiecto peccatis habituato et nondum expulso tali statu per contrarium exercitium habitus infusi; vel etiam nullum statum habitualem contrarium neque conformem inveniunt in subiecto, ut accidit in parvulis rite baptizatis ante usum rationis. Licet enim habitus infusus directe atque immediate expellat a subiecto proprio habitum contrarium vitii quantum ad eius essentiam, quia directe contraria mutuo ac formaliter se expellunt ab eodem subiecto (216), non tamen repente ac

(212) *Op. cit.*, I-II, 109, 5c.
(213) *Ibid.*, 112, 1c.
(214) *In III Sent.*, d. 23, 3, 4, qla. 1, arg. 1 sed contra, n.º 280.
(215) *Op. cit.*, II-II, 4, 8c.
(216) Contraria enim sunt quae maxime distant in eodem genere et ab eo-

statim secum trahunt modum sive statum habitualem sui in subiecto, sed ad hoc ordinarie requiritur sat longum exercitium eius.

301. Actus namque habitus infusi, maxime si intensiores sunt, ipsum augent atque perficiunt, non solum ut magis et firmius inhaereant vel radicentur in proprio subiecto ut habitus acquisiti, verum etiam ac praecipue ut magis dominentur naturam cui inseruntur eamque magis docilem reddant ad obediendum atque serviendum gratiae sive habitibus praedictis.

Non enim gratia debet submitti naturae neque ab ea dominari, sed ex adverso debet natura obsequi atque servire gratiae, iuxta illud Apostoli: in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (II Cor. 10, 5); exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma iustitiae Deo (Rom. 6, 13).

302. Habitus siquidem acquisiti subserviunt potentiis naturalibus eisque subordinantur in operando, utpote ipsis essentialiter inferiores; at vero habitus infusi, cum sint veluti connaturales potentiae ordinis supernaturalis, sunt essentialiter superiores natura eiusque potentiis, ac proin tota natura eiusque vires debent eis subordinari in agendo. "Cum enim gratia, ait S. Thomas, non tollat naturam sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati" (217).

303. Actus ergo habituum infusorum "non causant aliquem habitum [eiusdem neque diversae speciei], sed confirmant habitum praeexistentem; sicut medicina adhibita homini sano per naturam non causat aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborat" (218).

304. Haec autem confirmatio sive corroboratio maiorem vim ac firmitatem praebet illis habitibus, quae potius consistit in tollendis impedimentis naturae per peccatum sauciatae et in eam magis docilem atque submissam redendo gratiae, idest in eam elevando versus Deum, quam in magis accommodando gratiam naturae. Non enim superius perficitur sese attemperando inferiori, sed potius in elevando ipsum ad se et in accedendo ad summam perfectionem quae Deus est.

305. Quod ergo S. Thomas asserit de cognitione Dei per fidem theologicam et per donum intellectus et sapientiae, scilicet quod faciunt cognoscere Deum per modum Dei, "quasi non trahendo divina ad ea quae sunt secundum nos, sed magis *totos nos statuentes extra nos in*

dem subiecto se mutuo expellunt (ARISTOTELES, *Categ.* 8, 11b; S. THOMAS, *Summa theol.*, I-II, 71, 4 ad 2; II-II, 21, 3 ad 2).
(217) *Summa theol.*, I, 1, 8 ad 2.
(218) *Op. cit.*, I-II, 51, 4 ad 3.

of Divinity Library

Deum" (219), eodem iure dicendum est de ceteris habitibus sive virtutibus infusis intra propriam cuiusque sphaeram. Et ideo modus sive status habitualis ipsis aptatus et quasi conaturalis, quem actus eorum meritorie causant (220), est et ipse revera infusus et supernaturalis.

a. Habitus supernaturales cognoscitivi relate ad naturales speculativos

306. Quod si modo comparemus habitus infusos cognoscitivos cum habitibus intellectualibus acquisitis, longa apparet inter utrosque differentia. In acquisitis enim semper et in omnibus requiruntur species intelligibiles impressae, immo in quibusdam, ut in intellectu primorum principiorum et in synderesi, ipsae solae totam rationem habitus constituunt. At vero inter infusos datur unus, scilicet lumen gloriae, quod omnem speciem impressam et expressam excludit, et ideo unice consistit in elevatione et habilitate intellectus possibilis ut valeat ipsum Deum videre visione intuitiva et faciali sicuti est.

307. Quantum vero ad ceteros habitus infusos intellectus, certum est species intelligibiles non esse de eorum essentia, quia existunt de facto sine talibus speciebus, ut patet in parvulis rite baptizatis, quibus una cum gratia habituali infunduntur in baptismo omnes virtutes supernaturales, inter quas adnumerandae veniunt fides, prudentia et dona Spiritus Sancti intellectiva, nempe donum intellectus, sapientiae, scientiae et consilii. Constat autem parvulos illos ante usum rationis nullam habere speciem intelligibilem.

308. Et quamvis in adultis usumque rationis habentibus dentur huiusmodi species, siquidem omnes isti habitus, una cum intellectu possibili quem elevant atque perficiunt, producunt verbum mentis sive speciem expressam quae necessario exigit ac praesupponit speciem impresam —unum enim lumen gloriae excludit omnem speciem intelligibilem—, tales tamen species non sunt id quod principale est in illis.

---

(219) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 7, lect. 1, n.° 705. Hoc enim augmento magis accedit ad Deum magisque ei assimilatur virtus infusa, ac proinde magis perficit magisque elevat potentiam naturalem cui inest. Cf. *in I Sent.*, d. 17, 2, 2 ad 3.

(220) "Caritas et aliae virtutes infusae non augentur active ex actibus, sed *tantum dispositive et meritorie*" (*De Virtutibus in communi*, 11 ad 14). "Unde sicut virtutes acquisitae augentur ex actibus per quos causantur, ita virtutes infusae augentur *per actionem Dei a quo causantur*" (*ibid.*, corp.).

309. Quod quidem patet vel eo quod praedictae species plerumque et ordinario modo non sunt infusae neque supernaturales sicut habitus ipse, sed naturales et acquisitae, eaedem nempe quae habitibus naturalibus inserviunt. Naturales namque sunt, verbi gratia, species unitatis, trinitatis, naturae, personae, Dei, sicut et voces eis respondentes: quas tamen assumimus ad credendum et confitendum mysterium Trinitatis, scilicet quod Deus est unus in natura et trinus in personis. Et simile quid accidit in ceteris.

310. Qua in re valent proportione servata de hisce habitibus illa quae de prophetia tradit S. Thomas, licet haec non sit proprie loquendo habitus. In prophetia enim id quod formale et principale est non sunt species sive repraesentationes sensibiles aut intelligibiles propria nostra virtute acceptae vel a Deo supernaturali modo nobis communicatae, sed habilitas supernaturalis ad eas ordinandas et componendas tali modo qui competat significationi rerum quae debent prophetae ostendi (221), ac praesertim lumen infusum sive supernaturale ad iudicandum de rebus praesentatis secundum sensum Dei (222). Ergo similiter in habitu fidei et in ceteris habitibus infusis intellectus in statu viae, id quod principale ac formale est non sunt verba exteriora neque species intelligibiles, sed earum congrua et recta ordinatio atque compositio ut vere et apprime valeant reddere sensum revelationis et illustrationis divinae, ac proin lumen habituale divinitus infusum ad talem ordinationem faciendam et ad iudicium divinae revelationi vel illustrationi conforme proferendum.

311. In iudicio enim completur humana cognitio naturalis et supernaturalis viae, utpote cui formaliter et primo convenit veritas. Unde et actus fidei divinae est iudicium (223). Et idem dic de actibus aliorum habituum infusorum intellectus, ne exceptis quidem donis Spiritus Sancti (224).

---

(221). .*De Verit.*, 12, 7c.

(222) *Summa theol.*, II-II, 173, 2. Legendus est omnino totus articulus, quem pro nimia longitudine non exscribimus hic.

(223) "Intellectus nostri est duplex operatio. Una qua format simplices rerum quidditates, ut quid est homo vel quid est animal: in qua quidem operatione non invenitur verum per se vel falsum, sicut nec in vocibus incomplexis. Alia operatio intellectus est secundum quam componit et dividit affirmando et negando: et in hac iam invenitur verum et falsum, sicut et in voce complexa quae est eius signum. *Non autem invenitur credere in prima operatione sed in secunda: credimus enim vera et discredimus falsa*" (*De Verit.*, 14, 1c).

(224) Donum sapientiae, quod est omnibus donis altius, est *iudicativum*, ut interato ait S. Thomas (*Summa theol.*, II-II, 45, 1-2). Ergo a fortiori cetera. Quod si dono intellectus attribuatur et approprietur specialiter penetratio in profundum mysteriorum fidei (II-II, 8, 6c, et ad 2 et 3; 45, 2 ad 3), idest apprehensio, sicut et dono sapientiae appropriatur iudicium, hoc non est nimio rigore urgendum, quia secus donum intellectus non attingeret veritatem *formalem* fidei. Unde ipse Thomas dicit quod Spiritus Sanctus "per donum intellectus illustrat men-

...of Divinity Library

312. Hoc unum tamen est concedendum, dona sapientiae, scientiae et consilii non esse proprie loquendo illativa vel discursiva sicut habitus naturales sapientiae, scientiae et prudentiae, sed solum immediate iudicativa et intuitiva. Quod tamen non excludit discursum improprie dictum, idest secundum meram sucessionem et non secundum veram causalitatem (225), qui et in angelis datur. Et hoc ideo, quia eorum iudicium est per instinctum et inspirationem Spiritus Sancti, quasi per quandam sympathiam vel connaturalitatem, et non per studium et proprium conatum (226). Unde et repente proferunt iudicia et aestimationes suas, quasi a Spiritu Sancto mota et acta.

313. Hac ergo in re dona Spiritus Sancti intellectualia tantae sunt dignitatis et perfectionis ut ad simplicitatem fidei quodammodo accedant, quae non est habitus discursivus secundum causalitatem, sed immediate iudicativus, cum sit quasi intellectus principiorum et synderesis ordinis supernaturalis (227).

b. Virtutes cardinales infusae relate ad acquisitas

314. Similisque distantia apparet inter virtutes cardinales infusas et acquisitas. Quamvis enim versentur circa eamdem materiam, nempe agibilia humana, medium tamen sive regula qua mensurantur est alius generis utrobique; quia pro acquisitis est regula rationis humanae naturalis, dum pro infusis est regula rationis divinae manifestatae per revelationem supernaturalem et acceptatae per fidem.

---

tem hominis ut cognoscat *veritatem* quamdam supernaturalem, in quam oportet tendere voluntatem rectam" (II-II, 8, 4c). Qua etiam de causa hoc ipsum donum, eo teste, "rectam aestimationem de ultimo fine" praebet *(ibid.*, 5c).

Eo vel magis quod "tota certitudo intellectus vel scientiae secundum quod sunt dona, procedit a certitudine fidei, sicut certitudo cognitionis conclusionum procedit ex certitudine principiorum" (II-II, 4, 8 ad 3). Est enim fides theologalis viva principium et radix prima cognitionis supernaturalis ipsorum donorum Spiritus Sancti. Fides autem est formaliter et essentialiter *iudicativa*. Quia ergo "semper primum salvatur in posteriori" (I, 60, 1c), necesse est concludere talem vim iudicativam suo modo participari ab omnibus donis intellectualibus.

(225) "In scientia enim nostra duplex est discursus. Unus *secundum successionem* tantum sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu convertimus nos ad intelligendum aliud. Alius discursus est *secundum, causalitatem*, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum" *(Summa theol.*, I, 14, 8c).

(226) *Summa theol.*, I, 1, 6 ad 3; II-II, 45, 2c.

(227) "Ita se habet fides in cognitione gratuita sicut intellectus principiorum in cognitione naturali, eo quod articuli fidei sunt prima principia gratuitae cognitionis" *(op. cit.*, II-II, 5, 4 obi. 3, quam concedit ex hac parte). "Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis" *(ibid.*, 10, 4 ad 2).

315. Ita, ut de temperantia loquamur, "alterius rationis est modus impositus in huiusmodi concupiscentiis [tactus scilicet] secundum regulam rationis humanae et secundum regulam divinam: puta, in sumptione ciborum, ratione humana modus statuitur ut non noceat valetudini corporis nec impediat rationis actum; secundum autem regulam legis divinae requiritur quod homo castiget corpus suum et in servitutem redigat (I Cor. 9, 27) per abstinentiam cibi et potus et aliorum huiusmodi... Et eadem ratio est de aliis virtutibus" (228). Unde et in Praefatione Missae tempore Quadragesimae canitur: qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et praemia.

316. Nimirum homo debet vitam moralem ducere conformem propriae naturae et aptatam fini eius consequendo. Iam vero alia est natura hominis ut simpliciter homo est, nempe ut est animal rationale et sociale, et alia longe diversa est natura hominis ut filius Dei est, et civis sanctorum, et domesticus Dei, et membrum Christi, et templum Spiritus Sancti, et heres Dei. Ergo et alia est vita moralis naturalis vel acquisita conformis naturae rationali et sociali hominis, quae maxime consistit in virtutibus cardinalibus acquisitis, et alia vita moralis supernaturalis vereque christiana per virtutes cardinales infusas ducentes in vitam aeternam (229).

317. Et ideo magna est differentia inter moralitatem atque virtutes christianas et inter virtutes ac moralitatem paganas. Norma et motivum vitandi peccata et exercendi virtutes quae in Scripturis traduntur, longe differunt a motivis et regulis quae a philosophis, puta Aristotele et stoicis afferuntur.

318. Nihil simile his invenitur inter paganos: "*sumus filii Dei;* si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.

---

(228) *Op. cit.*, I-II, 63, 4: "Temperantia infusa et acquisita *conveniunt in materia*, utraque enim est circa delectabilia tactus; *sed non conveniunt in forma effectus vel actus*. Licet enim utraque quaerat medium, tamen *alia ratione* requirit medium temperantia infusa quam temperantia acquisita: nam temperantia infusa exquirit medium secundum rationes legis *divinae*, quae accipiuntur ex ordine ad *ultimum* finem; temperantia autem acquisita accipit medium secundum *inferiores* rationes in ordine ad bonum *praesentis* vitae" *(De virtutibus in comuni*, 10 ad 8).

(229) "Virtutes acquisitae, de quibus locuti sut philosophi, ordinantur tantum ad perficiendum homines in vita *civili*, non secundum quod ordinantur ad *caelestem* gloriam consequendam... Sed virtutes cardinales, secundum quod sunt gratuitae et infusae..., perficiunt hominem in vita praesenti in ordine ad caelestem gloriam" *(De Virtutibus cardinalibus*, 4c).

"Et per hunc modum differunt specie virtutes morales infusae per quas homines bene se habent in ordine ad hoc quod sint cives sanctorum et domestici *Dei*, et aliae virtutes acquisitae secundum quas homo se bene habet in ordine ad res *humanas*" *(Summa theol.*, I-II, 63, 4c).

of Divinity Library

Si tamen compatimur, ut et conglorificemur" (Rom. 8, 16-17). Quos et "praedestinavit *conformes* fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus" (Rom. 8, 29). "Itaque iam non est servus sed filius: quod si filius, et heres per Deum" (Gal. 4, 7).

"*Estote ergo imitatores Dei sicut filii carissimi*" (Ephes. 5, 1). "Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. *Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis est in omni bonitate et iustitia et veritate* (ibid. 5, 8).

"Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed *implemini Spiritu Sancto*" (ibid. 5, 18).

"Corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori... Nescitis quoniam *corpora vestra membra sunt Christi?* Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit... Fugite fornicationem... An nescitis quoniam *membra vestra templum sunt Spiritus Sancti qui in vobis est*, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. *Glorificate et portate Deum in corpore vestro*" (I Cor. 6, 13, 15, 18-19). "Ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum; et nolite conformari huic saeculo...*Nulli malum pro malo reddentes... Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*" (Rom. 12, 1-2, 17, 21).

"Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos... *Benefacite his qui oderunt vos... Estote ergo perfecti sicut Pater vester caelestis perfectus est*" (Mtth. 5, 44-45, 48).

319. Huc accedit alia ratio, quia scilicet virtutes cardinales acquisitae sunt inferiores naturalibus potentiis intellectus et voluntatis erga propria et formalia eorum obiecta, nempe erga ens et non-ens atque erga bonum et non-bonum. Ad haec enim per se ac necessario ordinantur secundum quod ipsae. Unde intellectus principiorum et synderesis, qui naturaliter ac necessario conveniunt potentiae intellectus possibilis, priores ac perfectiores sunt quam prudentia: et similiter naturalis inclinatio voluntatis in bonum ut sic, videlicet in beatitudinem in communi, prior et fortior atque perfectior est virtutibus cardinalibus appetitus, nempe iustitia, fortitudine ac temperantia. Per has ergo naturales potentias una cum habitibus primis et quasi naturaliter eis advenientibus, scilicet intellectu principiorum et synderesi, movetur ipsa ratio speculativa ad demonstrationem conclusionum, ex qua causatur habitus scientiae; et ratio practica per synderesim ad recte iudicandum et imperandum circa media sive agibilia humana, indeque causatur habitus prudentiae, quae et ipsa movet appetitum superiorem et inferiorem, imprimendo in eo formam

vel modum suum, et consequenter causando habitus sive virtutes morales.

320. Quam ob rem merito scribit S. Thomas: "virtutum acquisitarum praeexistunt in nobis quaedam semina sive principia secundum naturam. *Quae quidem principia sunt nobiliora virtutibus eorum virtute acquisitis:* intellectus principiorum speculativorum est nobilior scientia; et naturalis rectitudo rationis est nobilior rectificatione appetitus quae fit per participationem rationis, quae quidem rectificatio pertinet ad virtutem moralem. Sic igitur *actus humani, in quantum procedunt ex altioribus principiis, possunt causare virtutes acquisitas humanas*" (230). "Unde relinquitur quod prudentia sit nobilior virtutibus moralibus et moveat eas. Sed *synderesis movet prudentiam, sicut intellectus principiorum scientiam*" (231).

321. At vero virtutes cardinales infusae excedunt omnes vires naturales potentiarum naturalium et primorum habituum intellectus, multoque magis vires habituum ex eis consequentium, nempe scientiae, prudentiae et virtutum moralium acquisitarum. Et ideo nullo modo possunt ex eorum actibus causari, quantumcumque homo conetur, quia effectus non potest superare causam.

"Quamvis enim sit idem actus virtutis acquisitae et infusae *materialiter*, non tamen est idem actus *formaliter:* quia per virtutem acquisitam collimitantur circumstantiae secundum proportionem ad bonum civile, sed per virtutem infusam secundum proportionem ad bonum aeternae gloriae. Unde etiam aliquid superfluum secundum virtutem civilem est moderatum secundum virtutem infusam, sicut quod homo ieiunet et se voluntarie morti offerat propter defensionem fidei" (232).

322. Quae quidem identitas *materialis* est sane intelligenda, quia videlicet uterque actus versatur circa eamdem *materiam*, nempe circa agibilia humana, et ab eisdem potentiis animae elicitur, scilicet a ratione practica et ab appetitu superiori atque inferiori. Modo tamen longe diverso. Quia in exercendis actibus virtutum acquisitarum, vis naturalis potentiae primas habet partes, eique subordinantur ipsi habitus virtutum. At vero ad elicendo actus virtutum infusarum, cum et ipsi sint essentialiter supernaturales, non sufficiunt vires naturales potentiarum, sed elevari debent per gratiam ut possint concurrere cum ipsis habitibus infusis; et quidem non quasi dominantes sed quasi subservientes, quia primae partes in hoc ordine spectant ad habitus, quibus naturales potentiae subordinari debent. Quo fit, ut *in ipso esse reali et psycho-*

(230) *Summa theol.*, I-II, 63, 2 ad 3. Cf. *in III Sent.*, d. 33, 1, 2, qla. 2 ad 3, n.° 67.
(231) *Op. cit.* II-II, 47, 6 ad 3.
(232) *In III Sent.*, d. 33, 1, 2, qla. 4 ad 2, n.° 77.

...of Divinity Library

logico differant toto caelo actus virtutum infusarum et actus virtutum acquisitarum. Ultra enim et supra psychologiam philosophicam et naturalem admittenda est psychologia theologica et supernaturalis. Haec ergo identitas *materialis* est potius exterior et apparens quam interior et realis, realitate essentiali.

323. Quapropter S. Thomas iterum: "*virtutibus acquisitis nobilior est naturalis ordinatio in ratione et voluntate ad bonum*. Unde non est inconveniens si a naturali potentia earum actus imperentur, cum ex hoc sint virtutes in inferioribus partibus, quod superioribus in eo quod naturale est eis obediunt. *Sed virtutes infusae sunt nobiliores potentiis naturalibus*" (233). Quod autem nobilius est, debet in operando potiores habere partes atque in inferiora exercere dominium.

Et alio in loco prorsus egregie: "homo non solum est civis terrenae civitatis, sed est particeps caelestis Hierusalem, cuius rector est Dominus, et cives Angeli et Sancti omnes: sive regent in gloria et quiescant in patria, sive adhuc peregrinentur in terris, secundum illud Apostoli, Ephes. 2, 19: estis cives sanctorum et domestici Dei. Ad hoc autem quod homo huius civitatis sit particeps, non sufficit sua natura, sed ad hoc elevatur per gratiam Dei. Nam manifestum est quod virtutes illae quae sunt hominis in quantum est huius civitatis particeps, non possunt ab eo acquiri per sua naturalia. Unde non causantur ex actibus nostris, sed ex divino munere nobis infunduntur.

324. Virtutes autem quae sunt hominis in eo quod est homo, vel in eo quod est terrenae civitatis particeps, non excedunt facultatem humanae naturae. Unde eas per sua naturalia homo potest acquirere ex actibus propriis" (234).

325. Neque tamen illae virtutes infusae, licet directe et immediate procedant a solo Deo ut auctore ordinis supernaturalis, creantur ab eo creatione presse dicta, quae non est accidentium vel qualitatum, sed rerum vel formarum subsistentium (235). Unde S. Thomas: "*gratia*, inquit, cum non sit forma subsistens, nec esse nec fieri ei proprie per se competit. Unde *non proprie creatur* per modum illum quo substantiae per se subsistentes creantur. Infusio tamen gratiae *accedit* ad rationem creationis in quantum gratia non habet causam in subiecto, nec efficientem, nec talem materiam *in qua* sit hoc modo in potentia quod per agens *naturale* educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus" (236).

---

(233) *In III Sent.*, d. 33, 2, 4, qla. 2 ad 3, n.° 228.
(234) *De virtutibus in communi*, 9c.
(235) *Summa theol.*, I, 45, 4; *De Verit.*, 27, 3 ad 9; *De Pot.*, 3, 1 ad 12.
(236) *De Pot.*, 3, 8 ad 3. *Moraliter* tamen et non metaphysice potest dici gratiam creari, quia *ex nihilo meriti nostri* infunditur nobis a Deo. "Gratia dicitur

326. Gratia ergo habitualis et virtutes infusae eam comitantes non sunt in potentia activa naturali creaturae veluti in causa efficienti, neque in potentia passiva naturali exigitiva earum et reducibili in actum per potentiam activam naturalem, sed in potentia mere passiva obedientiali erga Deum, a quo solo potest in actum reduci (237). Et ideo potius dicendae sunt supernaturaliter *educibiles* a solo Deo ex potentia obedientali animae eiusque facultatum, in quibus gratia et virtutes infusae immediate recipiuntur et subiectantur: sicut virtutes acquisitae educuntur per vires naturales ex potentia naturali facultatem in quibus insunt.

Quapropter Aquinas: "in tota creatura, inquit, est quaedam *obedientialis potentia*, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit. Sic igitur et in anima est aliquid in potentia quod natum est reduci in actum ab agente *connaturali*, et hoc modo sunt in potentia in ipsa *virtutes acquisitae*. Alio modo aliquid est in potentia in anima quod non est natum educi in actum nisi per virtutem *divinam*, et *sic sunt in potentia in anima virtutes infusae*" (238).

327. Et quia Deus infundit gratiam et virtutes uno ictu et in instanti (239), dum e contra virtutes cardinales acquisitae pedetentim causantur per sat longum exercitium rationis dirigentis et appetitus exequentis, ideo illae non necessario neque ordinarie ferunt secum modum sive statum habitualem in subiecto, acquisitae vero ex adverso talem modum vel statum necessario secum portant, quia earum essentia non est separabilis neque fortasse distinguibilis ab eo.

328. Et hac de causa inveniuntur saepe ab illo statu separatae, ut patet in infantibus rite baptizatis, ideoque revera iustificatis, ante usum rationis expeditum, et in adultis vitiosis atque vitae peccaminosae assue-

---

creari ex eo quod homines secundum ipsam creantur, idest in novo esse constituuntur *ex nihilo, idest non ex meritis*, secundum illud Ephes. 2, 10: creati in Christo Iesu in operibus bonis" (*Summa theol.*, I-II, 110, 2 ad 3).

Quem in locum ait iterum S. Doctor: "*pertinet ad rationem gratiae ut non sit ex operibus praecedentibus*, et hoc exprimitur in hoc quod subdit, *creati*. Est enim creare, aliquid ex nihilo facere. Unde quando aliquis iustificatur *sine meritis praecendentibus*, dici potest *creatus*" (*In Ephes*. 2, 10; lect. 3, n.° 99).

(237) "In anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia *passiva*. Una quidem per comparationem ad agens *naturale*; alia per comparationem ad agens *primum*, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu in quem reducitur per agens naturale: et haec vocari consuevit *potentia obedientiae* in creatura" (*Summa theolog.*, III, 11, 1c).

"Quadam vero potentia est *obedientiae tantum*, sicut dicitur aliquid esse *in potentia ad illa quae supra naturam Deus in eo potest*" (*De Verit.*, 8, 4 ad 13).

(238) *De virtutibus in communi*, 10 ad 13.

(239) "Gratiae autem infusio fit in instanti, absque successione", sicut et ipsa iustificatio (*Summa theol.*, I-II, 113, 7c).

9

of Divinity Library

factis cum primum absolutionem a peccatis et iustificationem accipiunt. Adhuc enim remanet in eis pronitas habitualis ad peccata iterum committenda, licet vitia ipsa fuerint per dolorem retractata; et nondum adest facilitas atque promptitudo ad opera novae vitae constanter ac perseveranter exercenda. Cuius rei testes sunt molestiae, difficultates et tentationes quas sentiunt et patiuntur ut gratiam suam conservent, et non ferantur neque dominentur impetu passionum.

329. Qua de re merito scribit S. Thomas: "prudentia acquisita causatur ex exercitio actuum; unde indiget ad sui generationem experimento et tempore, ut dicitur in II Ethicorum, cap. 1 (1103a, 16). Unde non potest esse in iuvenibus, nec secundum habitum, nec secundum actum. Sed prudentia gratuita causatur ex infusione divina. Unde in pueris baptizatis nondum habentibus usum rationis est prudentia secundum habitum, sed non secundum actum; sicut et in amentibus. In his autem qui iam habent usum rationis est etiam secundum actum quantum ad ea quae sunt de necessitate salutis, sed per exercitium meretur augmentum quousque perficiatur, sicut et ceterae virtutes" infusae (240). Nam omnes virtutes supernaturales simul infunduntur una cum gratia habituali; et virtutes cardinales acquisitae in appetitu residentes simul causantur cum prudentia acquisita, a qua essentialiter dependent et in qua necessario connectuntur.

330. Et inde est quod habentes huiusmodi virtutes acquisitas minus sentiunt molestias tentationum et resistentias passionum, quinimo facilitatem, promptitudinem atque delectationem experiri solent in recte dirigendo et imperando secundum prudentiam, et in eligendo et exequendo iustum medium et actus virtutis secundum iustitiam, fortitudinem et temperantiam. Quod tamen in habentibus infusas non contingit nisi postquam per repetitos actus mereantur augeri ac de facto augeantur. Hoc enim augmentum secum fert statum habitualem correspondentem, ac proin facilitatem, promptitudinem ac delectationem in vivendo et operando secundum ipsas.

331. Attamen virtutes infusae non sunt minus potentes quam acquisitae, sed multo magis. Nam virtutes cardinales acquisitae non possunt ex se solis vitare omne peccatum, non solum veniale sed et mortale; et quidem nedum contra praecepta Dei supernaturalia respondentia virtutibus infusis quae impleri nequeunt solis viribus naturae, prasertim lapsae, verum et contra ipsa praecepta naturalia acquisitis respondentia, potissime quando tentationes concupiscentiae in contrarium sunt plures, vehementissimae, continuae et diuturnae. Tunc enim firmitas harum virtutum non est tanta, ut naturalis earum vis nont cedat aliquando ex debilitate.

(240) *Op. cit.*, II-II, 47, 14 ad 3.

Ideo Angelicus congruenter: "virtus acquisita facit declinare a peccato, *non semper sed ut in pluribus.* Nec propter hoc sequitur quod simul aliquis sit virtuosus et vitiosus, quia unus actus potentiae neque habitum vitii neque habitum virtutis acquisitae tollit. Et *non potest per virtutem acquisitam declinare ab omni peccato:* non enim per eas vitatur peccatum infidelitatis et alia peccata quae virtutibus infusis opponuntur" (241).

332. Ex adverso, per virtutem infusas potest homo vitare omne peccatum mortale, non solum contra praecepta Dei supernaturalia, verum etiam contra praecepta naturalia respicientia virtutes acquisitas; ac insuper resistere omni tentationi quantumvis vehementi, immo et eam vincere atque superare. Et hoc ideo, quia una cum his virtutibus infunditur a Deo gratia et caritas. Porro "*minima gratia potest resistere cuilibet concupiscientiae et vitare omne peccatum mortale* quod committitur in transgressione mandatorum legis; minima enim caritas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri et argenti (242).

333. Et hoc non solum quando auctae sunt et statum habitualem sunt adeptae per diuturnum exercitium earum, sed etiam quando primo infunduntur in adultis vitio deditis post actum contritionis vel debitam absolutionem sacramentalem, quia talis vis eis convenit necessario et secundum speciem suam, quam reapse habent ab ipso momento infusionis.

Unde iterum S. Thomas: "*perfectio, inquit, quae convenit alicui rei secundum suam speciem, secundum quodcumque tempus ei convenit:* sicut homo quolibet tempore et qualibet aetate est perfectus anima rationali. Unde perfectio caritatis quae est secundum quodcumque tempus, est perfectio quae competit caritati secundum eius speciem. Est autem de ratione caritatis ut Deus super omnia diligatur, et quod nullum creatum ei praeferatur in amore. Unde cum omnis tentatio ex amore alicuius boni creati proveniat, vel ex timore mali contrarii quod etiam ex amore derivatur, *ex sua specie hoc habet caritas in quolibet statu, quod cuilibet tentationi resistere possit, ita scilicet quod in peccatum mortale per eam non inducatur:* non autem quod nullo modo tentationi afficiatur, hoc enim pertinet ad perfectionem patriae" (243).

334. Consequenter "*prevalet virtus infusa* quantum ad hoc quod facit quod huiusmodi passiones etsi sentiantur, nullo tamen modo dominentur. *Virtus enim infusa facit quod nullo modo obediatur concupiscentiis peccati; et facit hoc infallibiliter, ipsa manente.* Sed virtus *acquisita*

(241) *De virtutibus in communi*, 9 ad 5.
(242) *Summa theol.*, III, 70, 4c. Cf. *ibid.* 62, 6 ad 3.
(243) *De caritate*, 10 ad 4.

...of Divinity Library

deficit in hoc, licet in paucioribus, sicut et aliae inclinationes naturales deficiunt in minori parte" (244).

Unde Apostolus ad rem: "*fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis,* sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere" (I Cor. 10, 13).

Et Concilium Tridentinum, sua faciens verba S. Augustini, docet: "Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis" (245).

335. Virtutes ergo infusae, essentia sua, incomparabiliter superant omnes virtutes acquisitas. Nam "virtus *acquisita* non est maximum bonum simpliciter, sed maximum in genere *humanorum* bonorum; virtus autem *infusa* est maximum bonum *simpliciter,* in quantum per eam homo ad summum bonum ordinatur, quod est Deus" (246).

B. Analogia inter habitus infusos et acquisitos

336. Haec omnia simul sumpta satis superque evincunt, ni multum fallimur, habitus per se infusos et acquisitos non solum specie sed et genere totoque coelo differre, ac proin non convenire inter se univoce sed analogice tantum. Naturales namque sunt essentialiter ordinis humani; supernaturales vero essentialiter sunt ordinis divini. Inter humana autem et divina nulla est univocatio, sed analogia tantum.

337. Quod si inter ipsos habitus ordinis naturalis vigebat analogia et non univocatio, puta inter sapientiam aliosque habitus intellectuales speculativos, et inter prudentiam aliasque virtutes morales appetitus, ut supra videbamus (ns. 238-287), id a fortiori asserendum est de habitibus supernaturalibus relate ad habitus naturales, quia multo maior est distantia in hoc casu quam in illo. Plus namque differunt habitus per se infusi ab acquisitis quam ipsi acquisiti inter se.

338. Insuper vita gratiae et virtutum infusarum est mysterium intrinsece atque essentialiter supernaturale, quod ideo, nisi revelatum divinitus, nobis innotescere non potest. Illud tamen, fide praeeunte et illustrante, possumus aliqualiter explicare atque intelligere ex analogia eorum quae naturaliter cognoscimus, scilicet habituum acquisitorum, iuxta doctrinam universaliter traditam a Concilio Vaticano I (247).

(244) *De virtutibus in communi,* 10 ad 14.
(245) DENZ. n.° 804; S. AUGUSTINUS, *De natura et gratia,* cap. 43, n.° 50. ML. 44, 271.
(246) *De virtutibus in communi,* 9 ad 7.
(247) DENZ. n.° 1796.

339. Et hoc est quod saepissime satisque aperte inculcat S. Thomas. Ita dicit philosophos per rationem naturalem nihil cognovisse de gratia et de virtutibus infusis, quas ne suspicari quidem poterant.

340. De gratia scribit: "*nihil simile gratiae in accidentibus animae, quae philosophi sciverunt, invenitur,* quia *philosophi non cognoverunt nisi illa animae accidentia quae ordinantur ad actus naturae humanae proportionatos*" (248).

341. Similiter de virtutibus theologicis: "cum finis [ad quem divina largitas hominem ordinavit vel praedestinavit, scilicet fruitio sui ipsius] sit supra cognitionem naturae, inclinatio in finem non potest per rationem naturalem cognosci, sed per revelationem divinam; et ideo *dicuntur theologicae, quia divino sermone sunt nobis manifestatae: unde philosophi nihil de eis cognoverunt*" (249).

342. Et idem valet de donis Spiritus Sancti et de virtutibus cardinalibus infusis, quae una cum gratia et caritate infunduntur, et cum quibus necessario connectuntur.

343. Porro evidens est eas non esse naturali rationi omnino impervias et ignotas ita ut philosophi *nihil* de eis cognoverint si univoce convenirent cum virtutibus acquisitis, quas proculdubio cognoverunt. Convenirent saltem in genere, et ideo cognovissent ipsas secundum genus, quod esset pars essentialis earumdem atque de earum definitione. Hoc autem non est *nihil* cognoscere, sed sat multum, sicut scire de homine quod est substantia vel quod est animal.

344. Docet insuper gratiam santificantem non esse habitum presse dictum, qui proprie poneretur in linea recta praedicamenti qualitatis, sed solum improprie et reductive, sicut entitates superiores et analogicae aliquando ponuntur in praedicamento ob aliquam proportionem vel similitudinen cum ipso, et quidem reductione impropria, et non propria reductione sicut partes integrales eius (250).

"Gratia, inquit, ad genus qualitatis *reducitur,* et ad primam speciem qualitatis; *nec proprie tamen naturam habitus habet,* cum non immediate ad actum ordinet: *sed est velut habitudo quaedam, sicut sanitas se habet ad corpus*" (251), vel "sicut *dispositio quae est respectu gloriae,* quae est *gratia consummata*" (252). Est ergo ad modum habitus

(248) *De Verit.,* 27, 2 ad 7. "Unde non computatur nec inter scientias nec inter virtutes nec inter alias qualitates quas philosophi numeraverunt, quorum non fuit tractare nisi habitus naturales et acquisitos" *(In II Sent.,* d. 26, 4 ad 1).
(249) *In III Sent.,* d. 23, 1, 4, qla. 3c, n.° 96. "Quod quidem genus [virtutum] philosophi non cognoverunt" *(Ibid.* d. 23, 2, 4, qla. 1c, n.° 199). "Sola revelatione in Sacra Scriptura huiusmodi virtutes traduntur" *(Summa theol.,* I-II, 62, 1c).
(250) Cf. *De Pot.,* 7, 3 ad 7.
(251) *In II Sent.,* d. 26, 4 ad 1.
(252) *De Verit.,* 27, 2 ad 7. "Gratia *reducitur* ad primam speciem qualitatis. Nec tamen est idem quod virtus, sed *habitudo quaedam* quae praesupponitur

of Divinity Library

entitativi animae, eo proportionali modo quo sanitas est habitus entitativus corporis. Gratia ergo non est univoca cum habitibus entitativis naturalibus corporis, sed analoga tantum.

345. Idem tradit de virtutibus theologalibus relate ad quosdam habitus vel dispositiones naturales. Ita negat fidem theologalem et fidem humanam esse univocas (253); et similiter fidem christianorum et fidem daemonum (254). Eodem iure spes theologica non convenit univoce cum spe passione neque cum spe morali sive cum confidentia quae in magnanimitate includitur, sed analogice, eo quod similitudinem quamdam habent (255). Sicut et caritas similitudinem et analogiam habet cum amicitia honesti naturali vel acquisita, cum sit "quaedam amicitia hominis ad Deum, per quam homo Deum diligit et Deus hominem" (256); at nulla est inter eas univocatio.

346. Inter has ergo virtutes et habitus vel dispositiones naturales adest simul plus quam generica differentia una cum quadam reali convenientia vel similitudine, et non mera unitas nominis, ut accidit in pure aequivocis: et ideo conveniunt analogice. Ob idque merito ait Aquinas: "theologicarum virtutum aliqua respicit cognitionem sicut fides, et habet *communionem quamdam* cum intellectualibus virtutibus; et aliqua respicit affectionem sicut caritas, et habet *communionem* cum moralibus", inter quas est amicitia honesti (257).

347. Quod et de donis Spiritus Sancti asserit relate ad virtutes intellectuales et morales acquisitas eiusdem nominis. Etenim "quia ea quae sunt supra nos non possumus cognoscere nisi ex his quae secundum

---

virtutibus infusis sicut earum principium et radix" (*Summa theol.*, I-II, 110, 3 ad 3).

(253) "Cum enim sibi obiecisset quod "credere videtur *univoce* dici secundum quod credimus articulos et secundum quod dicimur alia credere; sed aliorum non est virtus; ergo nec fides articulorum", respondet negando maiorem et conclusionem, quia fides theologica nititur revelatione divina quae est infallibilis, dum fides humana fundatur in testimonio humano quod fallibile est. Et ideo fides theologalis est verus habitus et vera virtus, dum fides humana deficit a ratione veri habitus et virtutis, et reducitur ad meram opinionem fallibilem (*In III Sent.*, d. 23, 2. 4, qla. 1, obi. 2 et resp., nis. 189, 201).

(254) "Credere *aequivoce* dicitur de hominibus fidelibus et de daemonibus; nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiae infusa sicut est in fidelibus" (*De Verit*, 14, 9 ad 4). Non tamen pure aequivoce, quia est fides acquisita multo fortior quam fides humana, sed analogice (*In III Sent.*, d. 23, 3, 3, qla. 1 ad 3 n.° 274).

(255) "Spes in voluntate dicitur *ad similitudinem* spei quae est in irascibili". (*In III Sent.*, d. 26, 2, 3, qla. 1, arg. 2 sed contra, n.° 111. Cf. *Ibid*, 2, 1 ad 3, n.° 90; 2, 2 ad 4, n.° 108).

(256) *In III Sent.*, d. 27, 2, 1c, n.° 108. Cf. *Summa theol.*, II-II, 23, 1

(257) *In III Sent.*, d. 23, 1, 4, qla. 3 ad 4, n.° 100

nos sunt, ideo nomina donorum sumuntur ex his quae virtutibus conveniunt, quamvis in donis illa quae sunt virtutum sint modo eminentiori quam in virtutibus. Unde *aequivoce* praedicta nomina de virtutibus et donis dicuntur", aequivocatione videlicet a consilio, non a casu (258).

348. Et propter hoc aliter dividuntur dona et aliter virtutes acquisitae. Virtutes enim dividuntur primo in dianoëticas et ethicas sive in intellectuales et morales; quarum intellectuales subdividuntur in quinque, intellectum nempe, sapientiam, scientiam, prudentiam et artem; pure morales autem in tres principales, scilicet iustitiam, fortitudinem et temperantiam. At vero dona aliam sortiuntur divisionem: quia inter ea invenitur timor, qui inter virtutes non connumeratur; et vicissim, inter virtutes recensentur temperantia et ars, quae tamen inter dona non reperiuntur.

349. Et inde argumentum S. Thomae: "quae non sunt unius divisionis *non sunt eadem*. Sed virtus alio modo dividitur in suas species quam donum. Ergo virtus non est idem quod donum" (259). Quae namque unius divisionis sunt, *univoca* sunt. Dona tamen *correspondentiam* quamdam sive communionem habent cum virtutibus theologalibus, intellectualibus et moralibus, quae *analogiam* fundat, et hac de causa S. Doctor de illis agit in tractatibus de virtutibus quibus respondent (260).

350.Ac denique de ipsis virtutibus cardinalibus infusis relate ad acquisitas, eandem doctrinam tradit. Non enim huiusmodi virtutes reduci possunt ad vires et principia naturae, sive agatur de prudentia quae cognoscitiva est, sive de tribus aliis quae sunt appetitivae; sed gratiam et caritatem comitantur, cum quibus a Deo simul et supernaturaliter infunduntur. Unde et de scientia vel cognitione virtutum supernaturalium ad intellectum pertinentium ait universaliter S. Thomas: "si esset aliqua scientia quae non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset eiusdem speciei cum aliis scientiis, *nec univoce* scientia diceretur" (261). Non enim supernaturalia cognoscuntur per abstractionem sicut naturalia, sed per illustrationem et participationem a Patre luminum (262). Et idem proportionaliter valet de virtutibus appetitivis.

351. Itaque exploratum est habitus infusos entitativos et operativos non convenire univoce cum habitibus naturalibus sive acquisitis tam entitativis quam operativis, sed analogice tantum.

---

(258) *In III Sent.*, d. 34, 1, 1 ad 3, n.° 42.

(259) *In III Sent.*, d. 34, 1, 1, arg. 2 sed contra, n.° 17.

(260) *Summa theol.*, II-II, prolog.

(261) *In III Sent.*, d. 33, 1, 2, qla. 4c, n.° 74.

(262) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 2, lect. 4, nis. 176-177.

... of Divinity Library

C. Modus huiusce analogiae

352. *Si autem quaeratur quinam sit modus huiusmodi analogiae, dicendum est eum esse analogiae proportionalitatis, quandoque quidem metaphoricae, plerumque tamen propriae.*

a. Analogia proportionalitatis metaphoricae inter habitus entitativos

353. Nam si comparentur inter se habitus *entitativus* supernaturalis, idest gratia habitualis, cum habitu entitativo naturali, puta sanitate et pulchritudine corporali, quia solum corpus est susceptivum habitus entitativi naturalis, non autem anima (263), planum est inter eos *dari non posse analogiam proportionalitatis propriae.* De essentia enim et principali significatione habitus entitativi corporalis est corpus vel materia: quod tamen excludit essentialiter ac principaliter gratia habitualis, qui est habitus entitativus pure spiritualis (264).

354. Unde merito ait Angelicus: "inter corporalia et spiritualia non attenditur similitudo per participationem eiusdem qualitatis, sed per proportionalitatem quae est similitudo proportionatorum; ut sicut se habet aqua ad delendas corporales maculas, ita gratia ad abluendas spirituales. Et secundum hunc modum transferuntur etiam corporalia ad spiritualia" (265). Non est ergo utrobique similitudo essentialis sive in forma, sed *dynamica* tantum et quantum ad *effectus*, idest delere maculas: quod est proprium analogiae proportionalitatis metaphoricae (266).

355. Atque hoc modo gratia habitualis infusa peccatoribus infectis peccato originali vel peccatis personalibus dicitur *sanans* sive sanitas animae, quia tollit ex anima aegritudinem peccati —spiritualem—

(263) *Summa theol.*, I-II, 50, 1-2.
(264) *De Verit.*, 2, 11c; 27, 1 ad 4.
(265) *In IV Sent.*, d, 1, 1, 1, qla. 5 ad 3, n.° 52. "Nihil per se sensibile spiritualibus convenit nisi *metaphorice*, quia quamvis aliquid commune possit inveniri analogice in spiritualibus et corporalibus, non tamen aliquid per se sensibile, ut patet in ente et colore. Ens enim non est per se sensibile, quod utrique commune est; color autem quod per se sensibile est, in spiritualibus proprie non invenitur. Unde cum lux sit qualitas per se visibilis, non potest dici in spiritualibus nisi vel aequivoce vel *metaphorice*.
Sciendum est tamen quod *transferuntur* corporalia in spiritualia per quamdam similitudinem, quae quidem est similitudo *proportionalitatis*" (*In II Sent.*, d. 13, 3c).
(266) "*Metaphorice*, propter similitudinem *operationis*" (*De Malo*, 16, 1 ad 3) et "propter *effectum* similem". (*De Verit.*, 2, 1 c) vel "per similitudinem *effectus*" (*De Pot.*, 6, 8c, in fine).

sicut sanitas expellit a corpore morbum corporalem. Similitudo quoad effectus tantum, non quoad formam vel essentiam. Eo vel magis quod sanatio animae non est effectus primarius et principalis gratiae habitualis, sed elevatio ad quoddam esse divinum et supernaturale, quo revera iustus efficitur consors divinae naturae et filius Dei. Unde et ab invicem separari possunt. In angelis enim viatoribus, et in primis parentibus ante praevaricationem, et in Beata Virgine, facta fuit iustificatio per gratiae infusionem absque ulla sanatione, quia nullam habebant aegritudinem peccati, sed sola elevatione vel participatione divinae naturae (267).

356. Eademque analogia proportionalitatis metaphoricae habetur quando gratia habitualis dicitur *nitor* animae, ad similitudinem nitoris corporis (268). Nitor enim proprie dicitur de corporalibus, verbi gratia, de gemmis vel de auro perlucido, eique opponitur macula. Ac exinde transfertur metaphorice ad res spirituales et supernaturales, ut est gratia santificans. Sicut enim corpora nitida clara sunt et refulgentia atque ideo pulchra esse dicuntur, dum e contra corpora maculata sordida sunt et obscura ac proin turpia: ita anima, virtute gratiae habitualis, nitida, clara et pulchra est ante conspectum Dei, dum ex adverso per peccatum redditur maculata, obscura et turpis (269).

b. Analogia proportionalitatis propriae inter gratiam habitualem et animam humanam

357. Adest tamen analogia proportionalitatis *propriae* inter gratiam habitualem et animam humanam, quae tamen non est qualitas neque habitus, sed substantia. Sicut enim anima humana dat formaliter vitam naturalem corpori, eique prebet esse humanum; ita gratia habitualis dat formaliter vitam supernaturalem animae, cui et confert esse quoddam divinum (270). Utraque enim est essentialiter forma quaedam ordinis entitativi, licet una sit substantialis et naturalis, alia vero accidentalis et supernaturalis: ambae tamen sunt formae vivae et vitales. Quia ergo forma causat *formaliter*, seipsam communicando subiecto quod informat, ideo utraque in suo ordine similes atque proportionales effectus *forma-*

(267) Cf, *Summa theol.*, I-II, 113, 1c.
(268) *Ibid.*, 110, 2, arg. sed contra.
(269) Cf. *op. cit.*, I, 39, 8c; I-II, 86, 1c; 89, 1c; *in IV Sent.*, d. 18, 1, 2, qla. 1c. nis. 52-53.
(270) Cf. *in I Sent.*, d. 17, 1, 1, obi. 2 et resp.; *In II Sent.*, d. 26, 1, obi. 5 et resp.; *De Verit.*, 27, 1, obi. 1 et resp.; *De caritate*, 1, obi. 1 et resp.; *Summa theol.*, I-II, 110, 1, obi. 2 et resp.; II-II, 23, 2, obi. 2 et resp.

... of Divinity Library

les producit. Anima quidem humana, utpote forma viva, naturalis et rationalis, confert corpori quod informat vitam naturalem et esse humanum; gratia vero, utpote forma viva, supernaturalis et divina, praebet animae in qua recipitur vitam supernaturalem et esse quoddam divinum, quo homo fit particeps divinae naturae.

358. Et inde est quod sicut anima est prima radix et principium vitae naturalis corporis, ita gratia est principium et radix prima vitae supernaturalis animae.

359. Rursus, sicut ab essentia animae naturali resultantia emanare intelliguntur ordine quodam eius potentiae, cum tamen omnes simul cum anima concreentur, ut supra vidimus (ns. 156-161); ita ab esentia gratiae connaturaliter fluunt virtutes infusae ordine quodam, primo nempe theologales, deinde dona Spiritus Sancti et postremo virtutes cardinales, cum tamen omnes simul cum gratia infundantur (271).

360. Item, sicut essentia animae est una et naturaliter prior potentiis eius, ab eisque essentialiter differens, neque est immediate operativa, sed operatur per potentias suas; ita etiam gratia habitualis est una et naturaliter prior virtutibus infusis, a quibus et essentialiter differt, neque ipsa est immediate operativa, sed mediantibus virtutibus infusis ex ea profluentibus.

Ideo S. Thomas: "gratia, inquit, secundum quod est quoddam donum habituale, est *una* tantum" (272). "Unde sicut ab essentia animae fluunt potentiae *ab ipsa essentialiter differentes* sicut accidens a subiecto, et tamen *omnes uniuntur in essentia animae ut in radice;* ita etiam a gratia est perfectio essentiae et ab ea fluunt virtutes quae sunt perfectiones potentiarum, *ab ipsa gratia essentialiter differentes, in gratia tamen coniunctae, sicut in sua origine,* per modum quo diversi radii ab eodem corpore lucente procedunt" (273). Sicut enim essentia animae est una, eius vero potentiae plures: ita essentia gratiae habitualis in anima immediate recepta est una, dum virtutes infusae ab ea dimanantes et in potentiis animae immediate subiectatae sunt plures (274).

(271) "*Sicut* ab essentia animae effluunt eius potentiae quae sunt operum principia, *ita* etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae per quas potentiae moventur ad actus" (*Summa theol.*, I-II, 110, 4 ad 1). "Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitae, *sicut* ex essentia animae fluunt omnes potentiae" (*Op. cit.*, III, 89, 1 c.)

(272) *De Verit.*, 27, 5c, in fine.

(273) *In II Sent.*, d. 26, 4c.

(274) *Ibid.*, 6c, circa finem. "*Sicut* gratia respicit essentiam animae, *ita* virtus respicit potentiam eius. Unde oportet quod *sicut* potentiae animae derivantur ab eius essentia, *ita* virtutes sunt quaedam derivationes gratiae" (*Summa theol.*, III, 7, 2c.)

361. Pariter, "sicut essentia animae immediate est principium essendi, operationis vero principium est mediantibus potentiis: ita immediatus effectus gratiae est conferre esse spirituale, quod pertinet ad informationem subiecti sive ad iustificationem impii, quae est effectus [formalis] gratiae [habitualis] operantis, sed effectus gratiae mediantibus virtutibus et donis est elicere actus meritorios, quod pertinet ad gratiam cooperantem" (275).

362. Eodem iure, sicut anima est perfectior potentiis eius, tum quia est de genere substantiae dum potentiae sunt de genere accidentis (276), tum etiam quia ipsa praehabet in se eminenter et unite omnes perfectiones potentiarum, cum sit magis immaterialis et spiritualis quam illae, utpote earum radix et principium (277): ita etiam gratia habitualis est essentialiter perfectior omnibus et singulis virtutibus et habitibus operativis infusis, quippe quae est earum radix et fons.

363. Ex quo illud etiam consequitur gratiam habitualem esse *formam omnium virtutum infusarum,* etiam ipsius prudentiae ipsiusque caritatis: non tamen per modum termini et quoad ipsos actus directe et immediate sicut istae, sed per modum originis et radicis, et quidem directe et immediate quoad earum habitus, sicut essentia animae est forma suarum potentiarum.

364. Superiora namque sunt formalia respectu inferiorum quasi perfectiora, et ideo quod participatur a superioribus in inferioribus *formale* est. Quia ergo "essentia animae est superior voluntate, in quantum ab essentia et voluntas et omnes aliae vires animae fluunt..., ideo *gratia,*

(275) *De Verit.*, 27, 5 ad 17. Cf. *ibid.*, ad 18, *in II Sent.*, d. 26, 5c; *Summa theol.*, I-II, 111, 2c.

(276) *De spiritualibus creaturis*, 11 c; *Summa theol.*, I, 87, 1 ad 5.

(277) "Essentia animae comparatur ad potentiae sicut subiectum ad accidentia propria, quae sunt posteriora subiecto et ordine generationis *et etiam perfectionis*" (*Summa theol.*, I-II, 83, 2 ad 3). "Non autem anima constituitur in specie per aliquam potentiam, cum potentiae sint proprietates naturales animae, speciem consequentes" (*ibid.*, 110, 4 ad 3). Et ideo differentia specifica corporis animati sensitivi non est potentia sensitiva, sed natura sensitiva quam ei formaliter et immediata confert anima sensitiva: et similiter specifica differentia corporis animati rationalis non sumitur ab eius potentia quae ratio dicitur, sed a natura rationali quam ei immediate atque formaliter praebet anima rationalis (*In I Sent.*, d. 3, 4, 2 ad 5; *De anima*, 12 ad 8; *De Spiritualibus creaturis*, 11 ad 3; *Summa theol.*, I, 77, 1 ad 7).

"Ex hoc contingit quod ab essentia animae aliqua potentia fluat quae non est actus corporis, quia essentia animae *excedit* corporis proportionem... Unde non sequitur quod potentia sit immaterialior quam essentia, sed *ex immaterialitate essentiae sequitur immaterialitas potentiae*" (*De Spiritualibus creaturis*, 11 ad 12).

"*Ex hoc ipso quod anima immunis est a materia secundum suam substantiam, sequitur quod habeat virtutem intellectivam*" (*ibid*, ad 17).

of Divinity Library

quae est perfectio essentiae animae, constituens ipsam in esse spirituali, est forma et caritatis et prudentiae et temperantiae. Nec caritas esset virtus si esset sine gratia, nec prudentia si est sine caritate, loquendo de virtutibus infusis ordinatis ad merendum" (278).

365. Sic ergo "caritas alio modo dicitur forma virtutum quam gratia. *Caritas* enim est forma virtutum *ex parte actus,* in quantum scilicet omnes actus virtutum in suum finem convocat, eo quod eius obiectum est finis ultimus. Sic enim est in omnibus potentiis et actibus ordinatis, quod illa, quae altiorem finem respicit, largitur formam arti quae sub ipsa est, cuius actus in finem suum ordinatur: sicut patet quod gubernator ostendit factori navis qualis debeat esse forma temonis. Unde caritas informat alias virtutes *ut virtus virtutem* [sive ut habitus operativus habitum operativum, dynamice nempe sive in operando].

366. Sed gratia informat *per modum originis,* quia scilicet ex ipsa gratia quodammodo *formaliter* oriuntur habitus virtutum per diversas potentias diffusi [et ideo informat eas ut habitus entitativus habitum operativum, entitative nempe sive in essendo]. Illud autem quod ab alio oritur, formam et speciem ab eo trahit, et in suo vigore consistit quamdiu origini continuatur" (279).

Uno verbo, "*gratia* Dei dicitur esse forma virtutum in quantum dat *esse* spirituale animae ut sit susceptiva virtutum, sed *caritas* est forma virtutum in quantum format *operationes* earum" (280).

367. Quod si dicatur gratiam habitualem esse formam virtutum omnium infusarum etiam quoad actus vel operationes (281), hoc intelligendum est *mediate,* idest mediantibus virtutibus vel habitibus operativis qui hoc modo et intra propriam sphaeram sunt formae aliorum, ut caritas respectu omnium, donum sapientiae respectu ceterorum donorum, prudentia respectu aliarum virtutum cardinalium, et lumen gloriae respectu omnium virtutum —ne exclusa quidem ipsa caritate— quae manent in patria; nam gratia habitualis, ut patet ex supra dictis (ns. 360-361), non est immediate operativa, sed mediantibus virtutibus ex ea dimanantibus.

368. Et quidem eo ordine quo ex gratia profluunt, scilicet primo caritas quae est virtus theologica maximeque propria filiorum Dei per gratiam, deinde donum sapientia quod caritati respondet et excedit om-

(278) *In III Sent.,* d. 27, 2, 4, qla. 3 ad 2, n.° 180.
(279) *In II Sent.,* d. 26, 4 ad 5.
(280) *De caritate,* 3 ad 19.
(281) "Gratia non dicitur forma virtutum quasi pars essentialis virtutum —sic enim oporteret quod multiplicatis virtutibus multiplicaretur gratia—, sed dicitur forma virtutis in quantum formaliter actum virtutis complet" *(De Verit.,* 27, 5 ad 5), ei praebens *efficaciam merendi,* ut dicit ibidem post pauca verba.

nes virtutes morales infusas, tandem prudentia infusa respectu aliarum virtutum cardinalium. Opus enim meritorium radicaliter quidem et remote est a gratia habituali, formaliter autem et immediate a caritate eliciente vel imperante.

Ideo scribit S. Thomas: "gratia facit meritum sicut principium *remotum* constituens nos in esse spirituali, sine quo non possumus mereri aliquid spirituale; sed caritas est sicut principium *proximum*" (282).

369. Unde gratia est principium radicale merendi principalius per caritatem quam per alias virtutes. Namque "meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem; ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur" (283).

Et sic "fides formatur a gratia mediante caritate; quia in quantum actus fidei est ex caritate, secundum hoc est Deo acceptus" (284).

370. Hoc enim postulat analogia proportionalitatis inter animam eiusque potentias ex una parte, et gratiam eiusque virtutes et dona ex alia. Qua de re Thomas iterum: "quamvis essentia [animae] sit radix omnium potentiarum, tamen non ex aequo omnes potentiae ab essentia fluunt, cum quaedam potentiae sint naturaliter aliis priores et alias moveant. *Unde* oportet quod *etiam* habitus in inferioribus viribus *formentur* per habitus qui sunt in superioribus; et sic *ab aliqua virtute superiori debet esse inferiorum virtutum formatio, non a gratia immediate*" (285). Quam ob rem "gratia est sicut perfectio *prima* virtutum, sed caritas sicut perfectio *proxima*" (286).

c. Analogia proportionalitatis propriae inter habitus operativos

371. At vero si comparatio fiat inter habitus *operativos* supernaturales et habitus operativos naturales, idest inter virtutes infusas et virtutes acquisitas, ita quidem ut inter virtutes includamus et dona Spiritus Sancti, analogia proportionalitatis *propriae* fatenda est inter eas.

Quia, ut scite ait Angelicus, "gratia et virtus *imitantur* naturae ordinem, qui est ex divina sapientia institutus" (287). Et sic "dona *correspondent* virtutibus" (288), et "virtutibus *respondent* dona" (289).

(282) *In III Sent.,* d. 30, 5 ad 1, n.° 76
(283) *Summa theol.,* I-II, 114, 5c.
(284) *In III Sent.,* d. 23, 3, 1, qla. 1 ad 3, n° 237.
(285) *De Verit.,* 14, 5c. Cf. *in III Sent.,* d. 13, 1, 1c, n.° 13.
(286) *Ibid.,* ad 6.
(287) *Summa theol.,* II-II, 31, 3c.
(288) *In III Sent.,* d. 35, 2, 2, qla. 3, arg. 2 sed contra, n.° 135.
(289) *Ibid.,* 4, qla. 1, arg. 2 sed contra, n.° 177.

of Divinity Library

372. Nimirum fides theologalis proportionalitatem habet cum fide humana, quia utraque est de non visis et utraque nititur in auctoritate testantis, unaquaeque tamen in suo ordine et pro modo suo. Non visa enim fidei humanae sunt facta humana contingentia vitae vel auctuositatis hominum, dum non visa fidei divinae sunt mysteria in Deo abscondita vel facta divina erga hominum salutem. Praeterea auctoritas Dei est infallibilis, humana vero fallibilis. Sicut ergo fides humana est fallibilis, quia tota nititur testimonio humano fallibili; ita fides divina est infallibilis, quia tota fundatur in testimonio divino infallibili.

373. Maxime tamen habet analogiam cum intellectu naturali primorum principiorum, quia fides humana non est virtus, sicut revera virtus est intellectus principiorum (290). Sicut enim intellectus principiorum est prima virtus intellectualis acquisita, ita fides est prima virtus intellectus infusa: et sicut principia illius sunt per se nota habenti usum rationis, ita et principia istius, qui sunt articuli fidei, sunt per se nota habenti lumen fidei (291). Unde et fides theologalis est habitus immediate iudicativus et non discursivus, sicut intellectus principiorum. Et ideo fides est "quasi habitus principiorum" ordinis supernaturalis (292). Quia "ita se habent in doctrina fidei articuli fidei, sicut principia per se nota in doctrina quae per rationem naturalem habetur" (293).

374. Quae analogia valet etiam inter fidem et donum intellectus. Quae enim sunt hoc modo analoga uni tertio, sunt et analoga inter se. Cum ergo donum intellectus sit analogum intellectui principiorum, cui etiam analogatur fides, concludendum est fidem analogari quoque dono intellectus. Quapropter S. Thomas: "donum intellectus de auditis mentem *illustrat*, ut *ad modum primorum principiorum* statim audita probentur" (294). "Quia ita se habet [istud] lumen superadditum ad ea quae nobis supernaturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale ad ea quae primordialiter cognoscimus" (295).

375. Similisque analogia currit inter spem theologicam et spem humanam; quia ita se habet spes humana et naturalis ad spem divinam et infusam, sicut fides divina ad fidem humanam. Qua de causa Thomas, inter exponendum Magistrum Sententiarum, de spe humana egit in

(290) *Summa theol.*, II-II, 4, 5 ad 2.
(291) "Ista doctrina habet pro principiis primis articulos fidei, qui per lumen fidei infusum *per se noti sunt habenti fidem*, sicut et principia naturaliter nobis insita per lumen intellectus agentis" (*In I Sent.*, prol., 3, qla. 2 ad 2).
(292) *Ibid.*, ad 3.
(293) *Summa theol.*, II-II, 1, 7c. Cf. *in III Sent.*, d. 23, 3, 2 ad 1, nis. 255-256; d. 24, 2, qla. 1, obi. 2 et responsio, n.° 53.
(294) *In III Sent.*, 35, 2, 2, qla. 1c, n.° 141.
(295) *Summa theol.*, II-II, 8, 1 ad 2.

quaestione praevia, quasi de uno membro proportionalitatis nobis magis moto, ad assurgendum postea ad alterum membrum altius atque difficilius explicandum (296).

Quod et de amore atque amicitia naturali egit relate ad caritatem, quae est amicitia quaedam supernaturalis, eadem de causa (297).

Sicut enim spes humana tendit confidenter in bonum humanum futurum et arduum sive difficile adeptu, possibile tamen per vires humanas naturales proprias et amicorum nos adiuvantium: ita et spes christiana sive divina confidenter tendit in bonum divinum futurum et difficilimum adeptu, immo impossibile per solas vires naturales proprias et alienas, possibile tamen per auxilium supernaturale gratiae Dei. Unde "actus spei [theologicae] est exspectare futuram beatitudinem a Deo" (298). Sicut ergo se habet spes humana ad suum proprium obiectum motivum et terminativum, ita se habet spes divina sive theologalis ad suum (299).

376. Pari modo sicut amicitia humana est amor benevolentiae mutuus inter amicos, fundatus in communicatione vitae humanae virtuosae et bonorum honestorum; ita caritas est amor benevolentiae mutuus inter hominem iustum et Deum, fundatus in communicatione vitae divinae ac supernaturalis bonorumque ei correspondentium, quae maxime consistit in communicatione beatitudinis in re vel in causa, idest gloriae vel gratiae. Et ideo caritas est vera amicitia supernaturalis hominis iusti ad Deum, et quidem analoga sive proportionalis amicitiae virtuosae et honestae inter homines (300).

377. Eodem iure dona Spiritus Sancti proportionantur et analogantur virtutibus naturalibus eiusdem nominis, et a fortiori virtutibus supernaturalibus, quae et ipsae proportionales sunt virtutibus acquisitis circa eandem materiam versantibus.

378. Ita donum *Sapientiae* simile est proportionaliter virtuti naturali Sapientiae philosophicae, ac praesertim theologicae, quae est theologia Sacra; donum scientiae, naturali virtuti scientiae; donum consilii, virtuti infusae prudentiae, quae et ipsa proportionatur virtuti prudentiae acquisitae; donum pietatis, virtuti pietatis infusae et acquisitae; et donum fortitudinis, virtuti pariter fortitudinis tam infusae quam acquisitae.

(296) *In III Sent.*, d. 26, 1.
(297) *In III Sent.*, d. 27, 1.
(298) *Summa theol.*, I-II, 65, 4c.
(299) *Op cit.*, II-II, 17, 1.
(300) *Op cit.*, II-II, 23, 1.

379. Sicut enim Sapientia est suprema inter virtutes intellectuales acquisitas, quas et eminenter continet; ita donum Sapientiae est supremum inter dona Spiritus Sancti cognoscitiva, eaque continet eminenter. Et universaliter sicut virtutes intellectuales *in ratione habitus* excedunt virtutes mere morales appetitus, ita dona Spiritus Sancti intellectiva superant dona mere affectiva vel appetitiva.

380. Sed placet audire S. Thomam huiusmodi analogiam egregie exponentem: "simpliciter loquendo de dignitate donorum, eadem est ratio comparationis in ipsis et in virtutibus; quia dona ad omnes actus potentiarum animae perficiunt hominem ad quod perficiunt virtutes... Unde sicut virtutes intellectuales praeferuntur virtutibus moralibus; et in ipsis virtutibus intellectualibus, contemplativae praeferuntur activis, ut sapientia et intellectus et scientia prudentiae et arti, ita tamen quod sapientia praeferatur intellectui et intellectus scientiae, sicut prudentia et synesis eubuliae: ita etiam in donis sapientia et intellectus, scientia et consilium praeferuntur pietati et fortitudini et timori, sicut iustitia fortitudini et fortitudo temperantiae" (301).

381. Quod autem donum sapientiae superet dona intellectus et scientiae eaque contineat eminenter, ex eo patet quia de utroque iudicat et ordinat, eo proportionali modo quo virtus sapientiae iudicat et ordinat de virtutibus intellectus et scientiae, atque ex aeternis et increatis procedit, dum scientiae donum circa creata et humana versatur (302).

382. Immo et quodam sensu complet nativam imperfectionem fidei, quae obscura et de non visis est, praebendo quandam intelligentiam sapidam et vitalem articulorum fidei. Qua de re S. Thomas congruenter: "sicut se habet sapientia quae est virtus ad intellectum principiorum, quia quodammodo comprehendit ipsum, ut dicitur in VI Ethic., 7 (1141a, 19-20), secundum quod ex principiis negotiatur circa altissima et difficillima, et de his etiam quodammodo ordinat in quantum reducit omnia ad unum principium, et eius est disputare contra negantes ipsa; ita se habet sapientia quae est donum ad fidem quae est cognitio simplex articulorum, qui sunt principia totius christianae sapientiae.

Procedit enim donum sapientiae ad quandam deiformem contemplationem et quodammodo explicitam articulorum, quos fides sub quodam modo involuto tenet" (303).

383. Ita etiam donum *consilii* est proportionale virtuti prudentiae. Ut enim scribit Aquinas, "virtutibus respondent dona. Sed quaedam virtus est ordinata ad bene consiliandum, scilicet eubulia, de qua Philosophus

(301) *Op cit.*, I-II, 58, 7c.
(302) *Op cit.*, II-II, 9, 2c.
(303) *In III Sent.*, d. 35, 2, 1, qla. 1 ad 1, n.° 114.

in VI Ethic., 10 (1142a, 32-33), determinat. Ergo videtur quod debeat esse aliquod donum quod perficiat nos ad recte consiliandum" (304).

Nam "prudentia vel eubulia, sive sit acquisita sive sit infusa, dirigit hominem in inquisitione consilii *secundum ea quae ratio comprehendere potest;* unde homo per prudentiam vel eubuliam fit bene consilians vel sibi vel alii. Sed *quia humana ratio non potest comprehendere singularia et contingentia quae occurrere possunt,* fit quod cogitationes mortalium sunt timidae et incertae providentiae nostrae, ut dicitur Sap. 9, 14.

Ideo indiget homo in inquisitione consilii dirigi a Deo, qui omnia comprehendit. Quod fit per donum consilii, per quod homo dirigitur quasi consilio a Deo accepto" (305).

384. Et similiter donum *pietatis* virtuti pietatis. Nam "*sicut* per pietatem quae est *virtus* exhibet homo officium et cultum non solum patri carnali, sed etiam omnibus sanguine iunctis secundum quod pertinent ad patrem: *ita* etiam pietas secundum quod est *donum* non solum exhibet cultum et officium Deo, sed etiam omnibus hominibus in quantum pertinent ad Deum. Et propter hoc ad ipsam pertinet honorare sanctos, non contradicere Scripturae sive intellectae sive non intellectae, sicut Augustinus dicit in II De doctrina christiana, cap. 7 (ML. 34, 39). Ipsa etiam ex consequenti subvenit in miseria constitutis" (306).

385. Idemque dicendum est de dono *fortitudinis* relate ad virtutem homonymam. Etenim "fortitudinis *virtus* facultate *humana* innititur, non respectu omnium difficultatum, sed respectu *aliquarum* quae sunt maximae in genere humanarum, unde excellenter fortitudinis nomen habet; ad alias autem difficultates sunt ordinatae aliae virtutes, quae sunt facultates quaedam.

Sed fortitudinis *donum* utitur *divina* potestate quasi sua, secundum quod in Psalmo 17, 1, dicitur: diligam te, Domine, *virtus* mea. Et ideo unum donum fortitudinis se extendit ad *omnes* difficultates quae in rebus humanis possunt accidere, etiam supra facultatem humanam, sicut Apostolus dicebat, Philip. 3, 13: *omnia* possum in eo qui me confortat. Et ideo oportet actum *doni* fortitudinis accipere circa *omnia* difficilia, *proportionaliter* actui fortitudinis *virtutis* circa *quaedam* difficilia" (307).

(304) *In III Sent.*, d. 35, 2, 4, qla. 1, arg. 2 sed contra, n.° 177.
(305) *Summa theol.*, II-II, 52, 1c.
(306) *Op. cit.*, II-II, 121, 1 ad 3.
(307) *In III Sent.*, d. 34, 3, 1, qla. 2c, nis. 284-285. "Fortitudinis *virtus* mensuram sui actus habet *humanas* vires. Unde ea quae supergrediuntur vires ho-

of Divinity Library

Quia nimirum ita donum fortitudinis aggreditur et sustinet omnia omnino difficilia superanda per vires supernaturales ex Deo acceptas, sicut virtus fortitudinis aggreditur et sustinet quaedam tantum difficilia, scilicet humana, superanda per vires naturales homini proprias. Utrobique proportionaliter, pro suo quodque modo. Et sic "fortitudo donum et virtus *conveniunt in aliqua proprietate, quia utrumque est ad aliquid difficile sustinendum,* sed non oportet quod sint omnino idem in re", idest eiusdem omnino rationis vel essentiae, sicut univoca (308).

d. Analogia attributionis intrinsecae inter ipsos habitus infusos ad invicem comparatos

386. Ex quibus omnibus hoc etiam consequitur, *inter ipsos habitus infusos ad invicem comparatos dari analogiam attributionis intrinsecae, eo proportionali modo quo dabatur inter virtutes acquisitas ad invicem comparatas.* Non enim vere ac plene convenirent proportionaliter virtutes infusae et acquisitae nisi talis proportionalitas ad hanc usque analogiam attributionis intra unumquemque ordinem se porrigeret.

387. Sicut ergo virtutes morales acquisitae, iustitia nempe, fortitudo et temperantia, dicuntur virtutes secundum prius et posterius per respectum ad unam primam et principalem quae est prudentia acquisita; ita similiter virtutes morales infusae correspondentes relate ad prudentiam infusam, quae est supremum analogans earum: eodemque iure donum consilii respectu donorum pietatis et fortitudinis, quae hisce virtutibus moralibus respondent.

388. Pari modo, sicut virtus sapientiae, intellectus principiorum et scientiae non conveniunt univoce, sed analogice tantum analogia attributionis intrinsecae ad primam et supremam earum quae est sapientia; ita donum intellectus et donum scientiae dicuntur secundum prius et posterius per analogiam attributionis intrinsecae ad donum sapientiae, quod est primum et supremum, atque eminenter ac unite continet perfectiones utriusque, et adhuc amplius. Et quidem sicut in serie virtutum intellectualium speculativarum venit primo intellectus principiorum

minis, neque aggreditur neque sustinet... Sed donum fortitudinis habet pro mensura sui actus *divinam* potentiam de cuius auxilio confidit, sicut dicitur in Psalmo 17, 20: in Deo meo transgrediar murum, idest *omne* quod posset humanae infirmitati obviare" (*ibid.*, qla. 1c, nis 278-279).

(308) *Op cit.*, qla. 1 ad 1, n.° 280.

post sapientiam, ac deinde scientia; ita in serie donorum tenet pri-
mum locum donum intellectus post donum sapientiae, ac dein donum
scientiae.

889. Eodemque iure omnes virtutes infusae tam theologales quam
cardinales et dona Spiritus Sancti dicuntur virtutes pleno atque
perfecto sensu, idest vere meritoriae merito de condigno vitae aeter-
nae, atque ideo realiter ac efficaciter ducentes ad praedictam vitam,
per respectum et analogiam attributionis intrinsecae ad caritatem, quae
est suprema et maxima omnium virtutum et cui primo ac essentialiter
convenit esse virtutis meritoriae. Ipsa namque connectit ceteras virtu-
es, easque vivificat et informat, praebendo eis ultimam perfectionem
(Colos. 3, 14). Unde et sine ipsa nihil valent, quia revera non du-
cunt ad vitam aeternam (I Cor. 3, 14). Nam qui non diligit manet in
morte (I Joan. 3, 14); atque ipsa fides sine caritate mortua est (Jac. 2, 20),
operatur autem ad vitam per caritatem (Gal. 5, 6).

390. Ergo "meritum vitae aeternae *primo* pertinet ad *caritatem,* ad
alias autem virtutes *secundario,* secundum quod earum actus a caritate
imperantur" (309). Ad illam essentialiter, ad istas participative. "Unde
non potest esse quod aliquis habitus existens in aliqua potentia animae
habeat rationem virtutis, loquendo de virtutibus meritoriis, de quibus nunc
loquimur, nisi secundum hoc quod in illa potentia *participatur* aliquid
de perfectione voluntatis quam *caritas* perficit" (310). "Et sic omnes
habitus, qui sunt in viribus motis a voluntate *caritate* perfecta, partici-
pant *formam* caritatis" (311), ex qua forma vel modo sortiuntur ratio-
nem virtutis vivae ac meritoriae. Nam "actus aliarum virtutum non
sunt meritorii nisi in quantum sunt *informati caritate*" (312).

391. Quia igitur "*omnes habent efficaciam merendi a caritate*
quae nos unit Deo a quo meremur, et voluntatem perficit qua mere-
mur" (313), ideo caritas, veluti supremum analogans, ponitur in defi-
nitione virtutum *meritoriarum qua talium* (314), iuxta pergrande illud
effatum S. Augustini, quod laudat suumque facit S. Thomas: "mihi
videtur quod definitio brevis et vera virtutis *ordo est amoris*" divini,

(309) *Summa theol.*, II-II, 114, 4c.
(310) *In III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 3 c. n.° 175.
(311) *Op cit.*, d. 23, 3, 1, qla. 1 c. n.° 233.
(312) *Op cit.*, d. 30, 5 ad 3, n.° 78.
(313) *De Pot.*, 6, 9c.
(314) "Caritas cadit in definitione virtutis *meritoriae*, ut patet per definitionem Augustini dicentis (*De libero arbitrio*, lib. 2, cap. 19; ML. 32 1268) quod virtus est bona qualitas mentis *qua recte vivitur*. Non enim recte vivitur nisi per hoc quod vita nostra ordinatur in Deum: quod caritas facit" (*De Caritate*, 3 ad 3).

School of Divinity Library

idest *caritatis* (315); vel etiam: "quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim nisi *summum amorem Dei*" (316).

392. Nimirum "caritas ponitur in definitione omnis virtutis, non quia sit essentialiter omnis virtus, sed quia *dependent* ab ea aliqualiter omnes virtutes...: sicut etiam prudentia ponitur in definitione virtutum moralium, ut patet in II, 6, et in VI, 13, Ethic., (1107a 1, 1144b 26), eo quod virtutes morales *dependent* a prudentia" (317).

393. Descendit autem huiusmodi valor meritorius a caritate ad ceteras virtutes ab ea motas et informatas secundum magis et minus sive secundum prius et posterius, pro maiori vel minore impulsu et intensitate qua eas movet, idest prout virtutes motae exercent opera ex maiori vel minori caritate. "Quanto enim maiori caritate et gratia actus informatur, tanto magis est meritorius" (318): "sicut parvum opus ex magna caritate factum magis est meritorium quam magnum ex parva" (319).

394. Cum quo tamen stat quod ceteris paribus "ille actus est magis meritorius qui est excellentioris virtutis" (320).

Et ideo est duplex ratio ordinandi virtutes infusas sub caritate. *Alia ex earum propria et essentiali perfectione vel dignitate*, et sic priores sunt aliae duae virtutes theologales, scilicet spes et fides, inter quas "*spes est maior quam fides*, quia scilicet aliqualiter movet affectum in Deum, fides autem facit Deum in homine esse per modum cognitionis" (321); deinde dona Spiritus Sancti pro ordine quem habent inter se, quia haec sunt essentialiter infra genus virtutum theologalium et supra genus virtutum cardinalium (322); postremo virtutes cardinales ex ordine quem servant inter se.

Alia ex maiori perfectione quam ex informatione et imperio caritatis participant, et hoc modo sunt priores quae ex maiori caritate operantur, posteriores vero quae ex minori.

395. Et haec secunda ratio ordinationis est potior et magis formalis, quia "*semper* quantitas meriti attenditur secundum radicem ca-

(315) *De civitate Dei*, lib. 15, cap. 22. ML. 41, 467; S. THOMAS, *In III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 2 ad 1, n.° 168; *Summa theol.*, II-II, 23, 4 obi. 1.
(316) *De moribus Ecclesiae catholicae*, lib. 1, cap. 15, n.° 25, ML. 32, 1322.
(317) *Summa theol.*, II-II, 23, 4 ad 1.
(318) *In II Sent.*, d. 29, 4c.
(319) *In III Sent.*, d. 30, 3c. n.° 42.
(320) *Quodlib.* 6, 11c.
(321) *De Virtutibus cardinalibus*, 3c.
(322) *Summa theol.*, I-II, 68, 8c.

ritatis; haec autem quantitas est quasi *formale* respectu alterius. Unde secundum eam *certius* est iudicium de quantitate meriti" (323). Illa enim sumitur ex genere operis, quod se habet quasi praevium et materiale ad modum caritatis participatum ac postmodum supervenientem, qui se habet ut complementum formale.

396. Tandem ipsa gratia habitualis se habet ad omnes virtutes infusas, ne excepta ipsa caritate, sicut totum potentiale sive analogum ad partes suas potentiales sive analogata inferiora, ad modum quo anima humana se habet ad omnes eius facultates naturales. "Ex *gratia*, ait Angelicus, quae est *quasi totum potentiale ad virtutes*, ex qua quodammodo fluunt virtutes, sicut ex essentia animae potentiae" (324). Et quidem ordine quodam prioris et posterioris, pro maiori vel minore accessu ad esse divinum gratiae, sicut potentiae animae pro maiori vel minori propinquitate ad esse spirituale et immateriali eius.

397. Gratia ergo habitualis habet in se enminenter et unite omnes perfectiones omnium virtutum infusarum, sicut anima omnes perfectiones omnium potentiarum suarum. Et huiusmodi virtutes participant secundum prius et posterius perfectionem gratiae, eo proportionali modo quo potentiae naturales participant perfectionem animae. Gratia proinde est sicut supremum analogans respectu omnium virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti.

398. Et cum ipsa sit habitus entitativus supernaturalis, concludendum est hunc habitum esse primum atque supremum analogans, sub quo ordinantur secundum prius et posterius veluti secundaria analogata omnes habitus operativi infusi, idest omnes virtutes infusae et omnia dona Spiritus Sancti.

II

POTENTIAE SUPERNATURALES. CHARACTERES SACRAMENTALES

399. Sed accedamus tandem ad potentias supernaturales considerandas, quae sunt aliud genus qualitatis huiusce ordinis, nempe ad characteres sacramentales. Sunt enim tria sacramenta Novae Legis quae characterem indelebilem imprimunt, videlicet baptismus, confirmatio et

(323) *In III Sent.*, d. 24, 3, qla. 3 c. n.° 98. Licet enim haec verba S. Thomas directe proferat respectu motionum caritatis et voluntatis, valent tamen etiam de virtutibus infusis in esse proprio, quod habent ex proprio obiecto, et in esse meritorio, quod ex informatione et imperio caritatis sortiuntur.
(324) *In III Sent.*, d. 36, 2c, n.° 33.

of Divinity Library

ordo, ut Concilium Tridentinum definivit (325). Qui quidem characteres procul dubio inter se differunt re et essentia, sicut et ipsa sacramenta quae eos causant. Atque etiam differunt a gratia habituali et a virtutibus infusis ex ea consequentibus, immo et a gratia sacramentali per eadem sacramenta causata, quia de facto nonnunquam separantur. Nam gratiae et virtutes praedictae sunt amissibiles ac reapse amittuntur, dum characteres sunt essentialiter inamissibiles. Unde et manent in inferno in his qui eos in via susceperunt, cum tamen ibi nulla gratia divina nullaque virtus infusa remaneant.

400. Et ideo non possunt reduci ad primum modum sive genus qualitatis, neque ad tertium vel quartum quae corporalia sunt et circa corporalia versantur, cum tamen character sit *spirituale* signaculum in *anima* impressum, non in corpore (326). Consequenter reduci debent ad secundum genus, scilicet ad potentiam, ita ut character sacramentalis sit quaedam spiritualis potestas ordinata ad recipienda vel tradenda ea quae sunt divini cultus secundum ritum christianae religionis (327).

1. Analogia inter eos et naturalem potentiam

401. Patet autem vel leviter consideranti huiusmodi potentiam sive potestatem, cum sit essentialiter supernaturalis, non convenire univoce cum naturali potentia, sed analogice tantum. Quam ob rem philosophi nihil de illa cognoverunt per rationem naturalem, quia nobis non innotescit nisi per divinam revelationem, sicut et ipsa sacramenta ex quibus causatur. Cognovissent autem aliquid eius, saltem genus, si utraque potentia univoce ad invicem conveniret.

402. Hinc S. Thomas merito docet quod character sacramentalis "*reducitur* ad secundam speciem qualitas, et est *alius modus* ab illo quem Philosophus ponit, quia *Philosophus non cognoscebat nisi operationes naturales, et ita nonnisi potentias naturales.* Constat autem quod apud nos oportet ponere potentias *spirituales*, sicut potentiam conficiendi et absolvendi et huiusmodi, et quod ad secundam speciem qualitatis *reducantur*" (328). Et quidem reductione impropria, quia

(325) DENZ., n.° 852.

(326) *Conc. Tridentinum*, ibid.; S. THOMAS, *IV Sent.*, d. 4, 1, 1c, nis. 25-29; *Summa theol.*, III, 63, 2 ad 1 et 2.

(327) Cf. *Summa theol.*, III, 63, 2c, 4c.

(328) *In IV Sent.*, d. 4, 1 ad 2, n.° 35. "Character non est proprie in genere vel specie, sed *reducitur* ad secundam speciem qualitatis" (*Summa theol.*, III, 63, 2c, in fine).

huiusmodi potentiae supernaturales non sunt partes integrales potentiarum naturalium, sed eas omnino praetergrediuntur.

2. Modus analogiae huius. Proportionalitatis propriae cum potentia activa et passiva intellectus agentis et possibilis

403. Quod si quaeratur modus sive typus huiusce analogiae, dicendum est eam esse proportionalitatis, et quidem propriae, quia illae supernaturales potentiae similes sunt potentiis anorganicis sive spiritualibus animae, scilicet intellectui agenti et possibili, qui sunt potentia activa et passiva intellectuales.

"*Sicut* enim —scribit Angelicus— cuiuslibet existentis in aliqua natura sunt aliquae operationes propriae, *ita* etiam in spirituali vita regenerati, ut Dionysius dicit in II cap. Ecclesiasticae Hierarchiae (MG. 3, 391). Ubicumque autem sunt operationes propriae, oportet quod sint principia propria illarum operationum. Unde *sicut* in aliis rebus sunt potentiae naturales ad proprias operationes, *ita* etiam renati ad vitam spiritualem habent quasdam potentias secundum quas possunt illa opera" (329).

404. Eademque lege proportionalitatis sequitur characterem non imprimi neque recipi in ipsa essentia animae sicut in subiecto immediato *quo*, quia anima non est immediate operativa, sed in aliqua eius potentia, quae revera est intellectus. Nam per characterem sacramentalem *configuramur* Deo, quasi signaculum eius recipientes. Quae quidem configuratio ad *imaginem* Dei reducitur, quae "*principaliter* consistit in potentia *cognoscitiva*... Unde *tota imago est in intellectuali parte sicut in radice.* Et ideo omne quod attribuitur homini ratione imaginis, principaliter respicit intellectivam... *Et ideo quia character respicit imaginem, principaliter est in intellectiva parte*" (330).

405. Huc accedit quod "character ordinatur ad ea quae sunt *divini cultus*, qui quidem est *quaedam fidei protestatio* per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit *in cognitiva* potentia animae, *in qua est fides*" (331).

Unde Aquinas iterum: "natura *proportionaliter* spiritualitati substernitur sicut perfectibile perfectioni. Unde *sicut* gratia, quae est spiritualis vitae principium, est in essentia animae sicut in subiecto; *ita* et

(329) *In IV Sent.*, d. 4, 1, 1c, n.° 32.

(330) *In IV Sent.*, d. 4, 1, 3, qla. 3c, n.° 72.

(331) *Summa theol.*, III, 63, 4 ad 3; 5c.

School of Divinity Library

character, qui est spiritualis potentia, est sicut in subiecto in naturali potentia animae et non in essentia animae" (332).

406. Cum autem intellectus in quo est character dividatur in activum et passivum quasi in duas potentias realiter et essentialiter distinctas, ipsa propria indoles proportionalitatis exigit ut et potentia supernaturalis quae est character dividatur in activam et passivam. Divinus enim cultus, ad quem deputantur christiani per characterem sacramentalem, "consistit vel in *recipiendo* aliqua divina vel in *tradendo* aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia. Nam ad *tradendum* aliquid aliis requiritur potentia *activa;* ad *recipiendum* autem requiritur potentia *passiva*" (333).

407. Ac proinde "*sicut* in naturalibus est potentia activa et potentia naturalis passiva, *ita* etiam in spiritualibus est potentia spiritualis *quasi passiva* per quam homo efficitur susceptivus spiriritualium actionum. Et talis spiritualis potentia confertur in *baptismo,* quia non baptizatus effectum aliorum sacramentorum suscipere non potest, et per consequens nec aliis tradere... Alia potentia est *activa* spiritualis ordinata ad sacramentorum dispensationem et aliarum sacrarum hierarchicarum actionum exercitium. Et haec potestas traditur in *confirmatione et ordine*" (334).

408. Per baptismum namque, qui est ianua sacramentorum, fit homo capax et susceptivus aliorum, "ita scilicet quod si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iterum ipsum confirmare post baptismum" (335). Et idem valet de ceteris sacramentis. Et ideo baptismus confert huiusmodi capacitatem receptivam sive potentiam passivam universalem ad valide suscipienda cetera sacramenta.

409. Sed per confirmationem, qua baptizato confertur "quoddam spirituale augmentum promovens ipsum in spiritualem aetatem perfectam" atque robustam (336), "homo accipit Spiritum Sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter etiam inter adversarios fidei Christi fidem confiteatur" (337). Unde per eius characterem homo christianus deputatur quasi ex officio, ut verus miles Christi, ad publice atque intrepide profitendam et defendendam fidem christianam contra eam negantes et

(332) *In IV Sent.*, d. 4, 1, 3, qla. 1c, n.° 64. Cf. etiam *Summa theol.*, III, 63, 4 ad 2.
(333) *Summa theol.*, III, 63, 2c.
(334) *In IV Sent.*, d. 4, 1, 4, qla. 3c, nis. 99-100. Cf. *op cit.*, d. 7, 2, 1, qla. 1c, nis. 103-106.
(335) *Summa theol.*, III, 72, 6c.
(336) *Op. cit.*, III, 72, 5c.
(337) *Ibid.*, 9c.

impugnantes, ita ut invictus testis et confessor fidei permaneat (338). Firmat ergo atque roborat animum confirmati ut libere ac invicte confiteatur nomen Christi *tam verbis quam factis*, "ut neque propter timorem neque propter erubescentiam nomen Chisti confiteri praetermittat" (339), vel omittat exercitia publica vitae christianae aut receptionem aliorum sacramentorum, puta matrimonii et extremae unctionis; immo et frequentiam, ut paenitentiae et Eucharistiae.

410. Et hac ratione ait S. Thomas: "sacramentum baptismi ordinatur ad Eucharistiae receptionem. In quo etiam perficitur aliquis per confirmationem, *ut non vereatur se subtrahere a tali sacramento*" (340).

411. Quia ergo haec omnia spectant ad publicam ac liberam confessionem fidei et praxim vitae christianae, non obstantibus periculis, persecutionibus vel irrisionibus inimicorum Christi, quod certe munus est potentiae activae, manifestum est characterem confirmationis nominare potentiam activam, ut expressis verbis tradit S. Doctor in Comenmentario super IV librum Sententiarum (341), quin in Summa theologiae hanc suam opinionem retractaverit.

3. Analogia attributionis intrinsecae inter ipsos characteres sacramentales

412. Si autem comparantur inter se huiusmodi characteres, eorum analogia est attributionis intrinsecae: tum quia hoc modo se habent ad invicem potentia activa et passiva (342), tum etiam quia potentia ipsa activa diversorum sacrorum ordinum, scilicet diaconatus, presbyteratus et episcopatus, hoc typo analogiae analogatur. Omnes enim

(338) *In IV Sent.*, d. 7, 2, qla. 1c et ad 1, nis. 105, 107.
(339) *Summa theol.*, III, 72, 9c in fine.
(340) *Op. cit.*, III, 65, 3c.
(341) *In IV Sent.*, d. 4, 1, 4, qla. 3c, n.° 100. "Potestas characteris huius est potestas *activa*, non ad conferendum spiritualia quod est ordinis, sed magis ad confitendum publice" (*Op. cit.*, d. 7, 2, 1, qla. 1 ad 3, n.° 110).
(342) Cum enim potentia dicatur ad actum, hoc modo se habent potentia activa et passiva inter se sicut se habent earum actus. Iam vero tales actus se habent analogice inter se analogia attributionis, quia actus potentiae activae est actus secundus sive operatio, dum actus potentiae passivae est actus primus sive esse. Inter quos certe non datur univocatio, sicut neque inter esse et operationem, quae plerumque pertinent ad diversa praedicamenta. Actus ergo ut actus primo et maxime dicitur de actu secundo, et nonnisi per posterius et per respectum ad illum dicitur de actu primo, quippe qui adhuc est in potentia ad actum secundum. Et similiter nomen potentiae dicitur per prius de potentia activa, et nonnisi per posterius de potentia passiva, quae ideo dicitur quia potest pati, moveri et recipere aliquid a potentia activa. Videatur S. THOMAS, *in I Sent.*, d. 42, 1, 1c et ad 1; *in IX Metaph.*, lect. 1, n's. 1779-1780.

of Divinity Library

huiusmodi tres ordines imprimunt characterem, unusquisque suum (343). Et propter hoc unusquisque diversam confert potestatem ad sacra conficienda vel ministranda. Quae quidem potestates sive characteres se habent inter se sicut ordines sacri eos causantes et imprimentes, quia talis est effectus qualis est causa propria.

413. Porro illi tres ordines sacri, qui soli rationem habent sacramenti ordinis, non ex aequo eam participat, sed secundum prius et posterius, eo quod talis ordo-sacramentum non est totum quoddam integrale neque universale vel univocum, sed potentiale sive analogum. "Cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic. Tota enim plenitudo huius sacramenti est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis" (344).

414. Per sacerdotium autem oportet intelligere plenum atque supremum, scilicet episcopatum, cuius character non solum est potentia activa ad conficiendum sacramentum corporis Christi, verum etiam ad presbyteros et diaconos creandos vel ordinandos, ad quod tamen non porrigitur potestas simplicis sacerdotis. Et propter hoc "potestas sacerdotis exceditur a potestate episcopi quasi a potestate *alterius generis*" (345).

415. Ideo ergo potentia activa, quam praesefert sacramentum ordinis, invenitur tota formaliter et eminenter in episcopatu quasi in primo atque supremo analogante; in presbyteratu vero et in diaconatu participative tantum et diminute, secundum prius et posterius, quasi in secundis analogatis. Nimirum per prius atque perfectius in presbyteratu, qui potentiam praebet conficiendi et dispensandi sacramentum Eucharistiae; per posterius autem et minus perfecte in diaconatu, qui solam confert potestatem huiusmodi sacramentum ministrandi (346).

416. Quod si characteres horum trium ordinum sacrorum non conveniunt univoce inter se sed analogice tantum, a fortiori id asserendum est respectu characteris confirmationis, qui multo plus distat a charactere diaconatus quam iste a charactere presbyteratus, immo et episcopatus.

417. A primo ergo ad ultimum: ex quo character baptismi dicitur analogice analogia attributionis intrinsecae respectu characteris con-

(343) *In IV Sent.*, d. 24, 1, 2. qla. 2c.
(344) *In IV Sent.*, d. 24, 2, 1, qla 1c.
(345) *In IV Sent.*, d. 24, 3, 2, qla. 3 ad 3.
(346) *Op. cit.*, d. 24, 2, 1, qla. 1c.

firmationis sicut potentia passiva respectu potentiae activae, et hic insuper respectu characteris sacramenti ordinis qui tandem analogice dicitur de charactere diaconatus relate ad characterem presbyteratus et utriusque respectu characteris episcopatus: —concludendum est omnes characteres sacramentales dici analogice secundum prius et posterius ad characterem episcopalem, qui maxime competit Romano Pontifici qua Christi Vicario.

...of Divinity Library

CAPUT V

ORDO ET ANALOGIA INTRA GENUS CAUSAE FORMALIS EXTRINSECAE SIVE EXEMPLARIS

418. Causam exemplarem dici formalem diminute et participative, ac proin analogice analogia attributionis relate ad causam formalem intrinsecam presesque dictam, constat ex supra dictis (ns. 87-92). Verum et intra genus suum invenitur quoque ordo atque analogia, sicut et intra genus causae formalis intrinsecae, licet aliter et aliter pro suo quaeque modo.

ART. 1

NOTIO ET DIVISIO CAUSAE EXEMPLARIS

419. Quod ut recte intelligatur notandum est aliud esse exemplum, aliud exemplar et aliud exemplatum. Ut enim ad rem ait Festus, "exemplum est, quod sequamur aut vitemus; exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo aestimatur, istud oculis conspicitur" (1). *In humanis* exemplum pertinet ad ordinem moralem; exemplar vero et exemplatum ad ordinem artis, quia exemplatum dicitur ab exemplari sicut effectus a causa, cui assimilari et conformari debet (2).

420. Exemplar ergo, quod revera est ipsa *causa exemplaris, est id ad cuius imitationem aliquid fit per se ex intentione agentis determinantis sibi finem.*

421. Dicitur *id ad cuius imitationem aliquid fit*, quia "illud ad quod aliquid *formatur*... est forma exemplaris, ad cuius *similitudinem* aliquid constituitur", sive "quam aliquid *imitatur*" (3). Quia nimirum huius-

(1) *De verborum significatione*, p. 56, 29-31.

(2) "Exemplatum oportet *conformari* exemplari secundum rationem formae" (*Summa theol.*, I, 18, 4 ad 2). "Exemplatum *assimilatur suo exemplari*" (*Op. cit.*, I, 47, 1 obi. 2).

(3) *De Verit.*, 3, 1c. "Illud ad cuius similitudinem fit alterum, vocatur exemplar" (*In I Sent.*, d. 28, 2, 1c). "Exemplar est id ad cuius similitudinem fit aliud" (*In librum De causis*, proposit. 14, p. 85, 12-13). "Illud ad cuius similitudinem aliquid procedit, proprie dicitur exemplar" (*Summa theol.*, I, 35, 1 ad 1).

modi formatio non est "per modum inhaerentiae, sicut in formis intrinsecis", sed "per modum *imitationis*, ut in formis exemplaribus" (4).

422. Additur: *per se ex intentione agentis*, quia *non per accidens praeter agentis intentionem.* Ut enim apposite scribit S. Thomas, "aliquis potest imitari formam aliquam dupliciter. Uno modo *ex intentione agentis*, sicut pictura ad hoc fit a pictore ut imitetur aliquem cuius figura depingitur. Aliquando autem est praedicta imitatio *per accidens praeter intentionem et a casu*, sicut frequenter pictores faciunt imaginem alicuius de quo non intendunt. Quod autem imitatur aliquam formam a casu, *non dicitur ad illam formari*, quia ly *ad* videtur importare ordinem ad finem. Unde *cum forma exemplaris* vel idea *sit ad quam formatur aliquid*, oportet quod formam exemplarem aliquid imitetur *per se, non per accidens*".

423. Postremo subiungitur: *agentis determinantis sibi finem.* Nam, ut scite notat S. Doctor, "videmus etiam quod aliquid propter finem dupliciter operatur. Uno modo ita quod *ipsum agens determinat sibi finem*, sicut est in omnibus agentibus *per intellectum.* Aliquando autem *agenti determinatur finis ab alio principali agente*, sicut patet in motu sagittae quae movetur ad finem determinatum, sed hic determinatur a proiiciente; et similiter operatio naturae, quae est ad determinatum finem, praesupponit intellectum praestituentem finem naturae et ordinantem ad finem illum naturam, ratione cuius omne opus naturae dicitur esse opus Intelligentiae.

424. Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius per agens quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideae. Non enim dicimus quod forma hominis generantis sit idea vel exemplar hominis generati, sed solum hoc dicimus quando agens propter finem determinat sibi finem...

Haec ergo videtur esse ratio ideae [vel formae exemplaris], quod idea sit *forma quam aliquid imitatur per se ex intentione agentis qui determinat sibi finem*" (5). Nimirum exemplar non dicitur causa respectu agentis per naturam, ut sunt agentia naturalia vel irrationalia; neque etiam respectu ipsius hominis quando agit per naturam sive ut agens naturale, puta in generatione, nutritione vel augmentatione, sed unice quando operatur per artem. "*Artifex* enim producit determinatam for-

(4) *De Verit.*, 3, 3c.

(5) *De Verit.*, 3, 1c. "*Exemplar enim est ad cuius imitationem fit aliquid.* Unde ad rationem exemplaris requiritur quod ipsa assimilatio sit intenta ab agente: alias talis assimilatio casu accideret et non secundum viam exemplaritatis. Sic ergo in ratione exemplaris includitur intentio agentis" (*Quodlib.* 8, 2c.)

of Divinity Library

mam in materia *propter exemplar ad quod inspicit*" (6). "Nam sicut res naturalis agit per formam suam, ita artifex per suum intellectum et voluntatem" (7), sive per formam adventitiam et ab eo excogitatam. "Dicimus enim formam artis in artifice esse exemplar artificiati" (8). Forman scilicet artificiati, quam intellectus artificis adinvenit (9).

425. Hoc autem exemplar operis affabre fiendi potest esse multiplex, tum ex parte sui, tum per respectum ad exemplatum.

426. *Ex parte sui*, aliud est exemplar *internum*, idest intra artificem operantem, et hoc est idea vel forma artificiati ab eo excogitata et in mente eius existens; aliud vero est exemplar *externum*, puta res pulchra ob oculos posita, ut ager, domus, plantae, animalia, homines et alia sexcenta, quae digna sunt ut artificiose imitentur (10).

427. *Per respectum vero ad exemplatum*, aliud est exemplar primum in aliqua serie, quod ideo *prototypum* dici solet; et aliud exemplar secundum, quod et exemplar *exemplatum* audit, ut cum quis exemplatum aliquod, puta sculpturam Fidiae, sumit ut exemplar immediate imitandum. Illud vulgo appellatur exemplar *originale;* istud vero exemplar *originatum*.

Art. 2

ANALOGIA INTER DIVERSOS MODOS CAUSAE EXEMPLARIS

428. Patet autem omnes istos modos causae exemplaris esse essentialiter differentes et inaequales in ipsa communi ratione exemplaritatis. Exemplar enim internum vere et per se habet rationem causae, et ideo semper ac necessario requiritur ad exemplatum perficiendum: at vero exemplar externum non semper neque necessario exigitur, sed contingenter et quasi occasionaliter, in quantum occasionem praebet artifici ut ideam exemplarem ipse excogitet operis faciendi. Et inde est quod praedictum exemplar non vere influit in artificem neque in artificiatum nisi vi exemplaris interni, quatenus scilicet artifex suum facit

(6) *Summa theol.*, I, 44, 3c.
(7) *De Pot.*, 3, 16 ad 5.
(8) *De Verit.*, 3, 1c.
(9) *Quodlib.*, 8, 1c.
(10) "Sive illa forma [exemplaris] sit in agente, sive extra agentem. Dicimus enim formam artis *in artifice* esse exemplar artificiati; et similiter etiam formam quae est *extra artificem*, ad cuius imitationem artifex aliquid facit" (*De Verit.*, 3, 1c).
"Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit: sive illud sit exemplar ad quod *extra* intuetur, sive sit exemplar *interius* mente conceptum" (*Summa theol.*, I, 44, 3c).

illud, atque in formam suam idealem cooptat, qua immediate procedit ad opus artificiosum efficiendum, formando illud ad instar eius. Haec enim forma vel idea exemplaris est "*principium formationis*" exemplati (1), quae fit "per modum imitationis" (2).

429. Et sic videmus magnos artifices excogitare per seipsos et ex seipsis formas exemplares, quin egeant stimulo exemplaris externi sicut incipientes et imperiti. Nec enim exemplar omnis domus faciendae est alia domus, quia ante primam domum non erat alia domus. Quo in sensu, ait S. Thomas: "forma domus praecedit in artifice, non secundum esse materiale, sed secundum esse immateriale quod habet in mente artificis, non in lapidibus et lignis" (3), sicut exemplar externum. Et sic "domus fit ex domo quae est ars in artifice" (4).

430. Exemplar ergo externum, visibile et materiale, est tantummodo exemplaris causa per posterius et per reductionem ad exemplar internum et immateriale quod est forma vel idea artificiati adinventa et excogitata ab artifice. Unde Tullius Cicero de Fidia merito scribit: "nec vero ille artifex, cum faceret Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat" (5).

431. Proinde causa exemplaris dicitur de exemplari externo per respectum et analogiam attributionis ad exemplar ideale atque internum, cui primo et perfecte convenit talis causalitas. "Ut cum aliquis artifex ex artificio aliquo viso concipit formam secundum quam operari intendit" (6).

432. Equidem verum est *exemplar*, quantum ad impositionem nominis, primo dictum fuisse de exemplari externo, sicut et *ideam* sive formam exemplarem, quae adspectum exteriorem atque directe visibilem vi vocis significat. Dicitur enim ἰδέα ab εἴδω, quod est videre vel adspicere. Unde quod graeci ἰδέαν, latini *speciem* appellant, vel etiam *formam;* quod tantundem valet (7). Exemplar autem, *ab eximo*

(1) *De Verit.*, 3, 4c.
(2) *De Verit.*, 3, 3c.
(3) *In VIII Metph.*, lect. 8, n.° 1445.
(4) *Ibid.*, n.° 1447.
(5) *Orator*, cap. 2; Opera, ed. J. Olivet, t, I, p. 495. Genevae, 1758.
(6) *De Verit.*, 3, 3 ad 5.
(7) "Quas graeci ἰδέας, nostri, si qui haec forte tractant, *species* appellant. Non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Non enim, ne si latine quidem dici possit, *specierum* et *speciebus* dicere; et saepe his casibus utendum est: at *formis* et *formarum* velim. Cum autem *utroque verbo idem significetur*, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam" (T. Cicero, *Topica*, cap. 7; t. I, p. 573-574).

School of Divinity Library

(= exemo), est e multis unum sumere et seorsum ponere ut visibile omnibus sit et quasi ob oculos (8). Quo fit, ut idea et exemplar in idem vi nominis incidere videantur. Atque exinde utrumque verbum extensum est ad significandum formam et exemplar ideale vel intelligibile, quod uno verbo et pleonastice dicitur forma exemplaris (9).

433. Sed quantum ad rem et rationem per nomen significatam, id est quantum ad id ad quod significandum nomen imponitur (10), est ex adverso. Quia primo et principaliter haec duo verba, ex usu hominum, significant formam exemplarem internam et intelligibilem, quam mens adinvenit et concipit operis artificiosi faciendi.

Ideo Aquinas egregie: "idea, inquit, nominat formam exemplarem... Hoc enim significat nomen ideae, ut sit scilicet quaedam forma intellecta ab agente, ad cuius similitudinem exterius opus producere intendit, sicut aedificator in mente sua praeconcipit formam domus quae est quasi idea domus in materia fiendae" (11).

I

IN HUMANIS

434. At haec forma exemplaris in intellectu artificis existens non est species intelligibilis *impressa*, quae solum est principium *quo* intelligendi, idest primum *quo* intelligitur, et ideo ex se est principium cognoscendi tantum, non autem operandi: quod tamen necessario requiritur ad formam *exemplarem*. Ergo oportet quod sit species intelligibilis *expressa* sive verbum mentis, quod est terminus cognitionis et primum *quod* intelligitur (12); ac insuper in intellectu practico factivo artificis, est principium *quo* operandi.

(8) "*Emere*, quod nunc est mercari, antiqui dicebant pro *accipere*" (FESTUS, *De verborum significatione*, p. 54, 6-7) Ab *ex-emere* autem venit *ex-emptus* et *ex-imius*, extra seriem et conspicuus.

(9) Unde ipse T. CICERO pro eodem sumit speciem seu formam et exemplar. "Si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam *speciem*, quae semper est eadem, *intuebitur*, atque eam sibi proponat *exemplar*, praeclarum opus efficiat necesse est" (*Timaeus sive De universitate*, cap. 2; t. III, p. 589).

(10) "Aliud est etymologia nominis et aliud est significatio nominis. Etymologia attenditur secundum id *a quo* imponitur nomen ad significandum; nominis vero significatio secundum id *ad quod* significandum nomen imponitur. Quae quandoque *diversa* sunt" (*Summa theol.*, II-II, 92, 1 ad 2). "*Frequenter* enim imponitur nomen aliquod ad significandum rem aliquam *ab aliquo accidente* aut actu aut effectu illius rei, *quae tamen non sunt principaliter significata per illud nomen*" (*De Pot.*, 9, 3 ad 1. Cf. *Summa theol.*, I, 13, 2 ad 2; 67, 1c).

(11) *Quodlib.* 4, 1c. Cf. *Quodlib.* 8, 2, arg. sed contra.

(12) "Hoc ergo est *primo et per se intellectum*, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta... Hoc autem sic ab intellectu conceptum dicitur verbum interius" (*De Pot.*, 9, 1c).

435. Qua de re iuvat audire S. Thomam. "Forma, inquit, in intellectu potest esse dupliciter. Uno modo ita quod sit *principium intelligendi*, sicut forma quae est intelligentis in quantum est intelligens, et haec est similitudo intellecti in ipso. Alio modo ita quod sit *terminus actus intelligendi, sicut artifex intelligendo excogitat formam domus:* et cum illa forma sit excogitata per actum intelligendi et quasi per actum effecta, non potest esse principium actus intelligendi ut sit primum quo intelligitur, sed magis *se habet ut intellectum quo intelligens aliquid operatur*" (13).

Aliis verbis, "cum in intellectu dicatur esse aliquid sicut id *quod* intelligitur et sicut species *qua* intelligitur, *formae artis sunt in mente artificis sicut id quod intelligitur. Nam ex hoc quod artifex concipit formam artificiati, producit eam in materia*" (14).

436. Neque tamem omnis forma excogitata et intellecta est forma exemplaris, quia non omne verbum mentis neque omne quod intelligit homo est exemplar operis faciendi, cum plura intelligat quae non sunt ab eo factibilia, puta seipsum, mundum, Deum. Horum ergo est forma intellecta mere cognoscitiva vel speculativa. Ex quo illud necessario consequitur ,formam exemplarem esse partum intellectus practici sive operativi. Et ideo non est mere "representativa rei, sed magis praesignativa, sicut *exemplar factivum*" (15).

Atqui non est forma agibilium, quae pertinet ad intellectum practicum *activum* sive ad prudentiam. Agibilia enim sunt actiones humanae immanentes, quae ad vitam et scientiam moralem spectant, quaeque a prudentia regulantur et formantur. Qua de causa dicitur *recta ratio agibilium.*

Ergo necesse est quod spectet ad intellectum practicum *factivum*, idest ad *artem*, quae est *recta ratio factibilium*, videlicet operationum in exteriorem materiam transeuntium sive in operatum aliquid extra hominem operantem, puta statuam, domum et alia huiusmodi. Ac proin forma exemplaris est revera atque essentialiter *forma intellecta factibilium in quantum huiusmodi.* Forma nempe "rei fiendae" per artem (16), in qua involvitur ordinatio ad tale opus per modum dirigentis et regulantis (17).

437. Non quidem primo et per se ipsius operationis exterioris qua exequitur vel producitur exemplatum, sed potius ipsius operati sive

(13) *De Verit.*, 3, 2c.

(14) *De Pot.*, 7, 1 ad 8. "Idea operati est in mente operantis sicut *quod* intelligitur, non autem sicut species *qua* intelligitur" (*Summa theol.*, I, 15, 2c).

(15) *In IV Sent.*, d. 8, 2, 1, qla. 4 ad 1, n.° 170.

(16) *Summa theol.*, I, 15, 1c.

(17) "Intellectus practicus est motivus, non quasi exequens motum, sed quasi

11

of Divinity Library

exemplati, licet non excludat directionem operationis illius. Unde Thomas: "forma, inquit, artificialis est similitudo *ultimi* effectus in quem fertur intentio artificis, sicut forma artis in mente aedificatoris est forma domus *aedificatae* principaliter, aedificationis autem per consequens" (18).

438. Huiusmodi tamen directio et ordinatio ad opus artificiosum perficiendum non stat in indivisibili, sed suscipere potest magis et minus. Quandoque enim est directio actualis et quasi in actu secundo; nonnunquam vero est mere virtualis vel habitualis et quasi in actu primo.

Qua de re dignus est qui audiatur iterum Angelicus magister. "Cognitio practica dicitur ex ordine ad opus. Quod contingit dupliciter. Quandoque *in actu*, quando scilicet ad aliquod opus *actu ordinatur*, sicut artifex praeconcepta forma proponit illam in materiam inducere; et tunc est *actu practica* cognitio et cognitionis forma. Quandoque vero est quidem *ordinabilis* cognitio *ad actum, non tamem actu ordinatur*, sicut cum artifex excogitat formam artificii et scit modum operandi, non tamen operari intendit; et certum est quod est *practica habitu vel virtute, non actu*" (19).

439. Exemplar ergo sive forma exemplaris non solum dicitur quando actu ordinatur et applicatur ad exemplatum efficiendum, verum etiam quando ordinabile et applicabile est *ab ipso artifice*, licet actu non ordinetur neque applicetur. Ideo rursus S. Thomas: "exemplar... *proprie* loquendo ad cognitionem pertinet quae est *practica habitu vel virtute, non autem solum ad illam quae est actu practica;* quia aliquid potest dici exemplar ex hoc quod ad eius imitationem *potest* aliquid fieri, etiam si nunquam fiat" (20).

440. Non tamen fieri a quocumque, sed *ab ipso artifice tantum* qui formam exemplaremn excogitavit et in suo intellectu habet. Siquidem "illa cognitio quam artifex creatus habet per formas operativas de *suo* artificio, si cognoscit ipsum ut est producibile in esse quamvis operari non intendat, non est usquequaque speculativa sed habitualiter practica; cognitio autem artificis qua cognoscit artificiata *non ut sunt producibilia ab ipso...*, est *pure speculativa*", et ideo non habet proprie rationem exemplaris (21).

---

dirigens ad motum" (*Op. cit.*, I, 79, 11 ad 1).

(18) *Op. cit.*, III, 78, 2c.

(19) *De Verit.*, 3, 3c.

(20) *Ibid.*, ad 3.

(21) *Ibid.*, ad 2 sed contra.

441. Habet autem talem formam intellectam in suo intellectu per modum intellectus, quia quidquid est in alio est in eo per modum eius in quo est. Intellectus vero, utpote immaterialis et incorruptibilis, habet esse fixum et permanens. Unde recte Thomas ait illam habere esse "*spirituale et quietum*, sicut similitudines artificiatorum sunt in mente artificis; forma enim domus in aedificatore non est natura quaedam sicut virtus calefactiva in sole vel calor in igne, sed est *quaedam intentio intelligibilis in anima quiescens*" (22). Intelligibilis et intellecta.

442. Semper tamen forma haec rationem habet exemplaris primo et maxime quando *actualis* est, scilicet quando actu ordinatur et applicatur ad exemplatum efficiendum. Et per respectum ad ipsam dicuntur exemplaria secundum prius et posterius cetera omnia quibus hoc nomen attribuitur, scilicet forma exemplaris habitualis et exemplar externum.

443. Et idem dicendum de exemplaribus exemplatis relate ad exemplar originarium. Huic enim primo et maxime convenit ratio exemplaris in propria serie, ceteris vero per dependentiam et participationem ab illo, secundum prius et posterius. Exemplatum enim primum non est exemplar subsequentium exemplatorum nisi in quantum ipsum exemplatur ab exemplari primigenio; sicut causa secunda per se subordinata causae primae non causat nisi in quantum causata et mota ab illa.

444. Unius enim exemplaris prototypi dari possunt plura exemplaria secundaria vel exemplata, secundum quod magis vel minus bene ac perfecte ipsum imitantur. "Exemplar enim est perfectius exemplato" (23), eoque prius (24), atque ideo exemplatum importat ordinem ad ipsum sicut ad primum et principium (25). "Illud autem quod participative et secundario habet aliquid, est imago [exemplata] eius quod primo et causaliter habet illud" (26). Et dicitur per analogiam attributionis ad ipsum.

445. Potest autem exemplatum repraesentare et imitari exemplar primigenium dupliciter. Uno modo perfecte et quasi adaequate, et tunc dicitur exemplatum perfectum. Alio modo imperfecte ac deficienter, quo in casu appellatur exemplatum imperfectum (27).

---

(22) *De Verit.*, 27, 7c

(23) *Summa theol.*, II-II, 26, 4, arg. sed contra.

(24) "Exemplar est prius imagine" eius ab eo exemplata (*In I Sent.*, d. 28, 2, 1 ad 4).

(25) "Imago importat *ordinem*" (*ibid.*, a. 2 obi. 2), quia "praesupponit *ordinem* ad aliquod principium" (*ib.*, corp.).

(26) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 4, lect. 18, n.º 522.

(27) "In his autem quae ad imitationem alterius producuntur, quandoque id, quod alterum imitatur, *perfecte* imitatur ipsum; et tunc intellectus operantis prae-

of Divinity Library

446. Exemplatum perfectum non potest esse nisi unum formaliter, licet possit materialiter atque numerice multiplicari indefinite. Perfectum namque est cui nihil dest, sed totum continet quod natum est habere (28). Et ideo exemplatum perfectum non potest formaliter sive essentialiter multiplicari, quia examussim exemplar imitatur, ita ut nihil exemplaris designari possit quod non repraesentetur ab illo. Materialiter vero et numerice nihil impedit quominus multiplicetur, sicut videmus plures imagines depictas vel sculptas eiusdem omnino formae et coloris fabricari.

Quam ob rem ait S. Thomas: "quando exemplatum perfecte repraesentat exemplar, ab uno exemplari non est nisi unum exemplatum, nisi per accidens, in quantum exemplata *materialiter* distinguuntur" (29).

447. Ad vero exemplata imperfecta multiplicari possunt non solum materialiter et numerice, sed etiam formaliter atque essentialiter pro maiori vel minori parte eorum ad exemplar pertinentium quae imitantur, et iterum pro meliori vel peiori modo quo ea ipsa imitantur. Quae quidem gradatio maiorem adhuc imperfectionem importat si posteriora exemplaria imitantur ex ordine alia exemplaria exemplata imperfecta, et non directe ipsum exemplar primigenium.

II

IN DIVINIS

1. In ordine naturae

448. Quod si de causa exemplari ordinis humani transferamur ad divina, huiusmodi causalitas et ordo analogicus exemplaris et exemplati multo clarius elucescit. Deus enim non casu et praeter intentionem, sed magna sapientia et liberrimo consilio ab initio temporis condidit universa ex nihilo, caelum nempe et terram, mare et omnia quae in eis sunt (Psalm. 145, 6; Act. 4, 24), visibilia et invisibilia (Colos. 1, 16), spiritualia et corporalia, creaturam videlicet angelicam et mun-

concipiens formam operati *habet ut ideam ipsam formam rei imitatae prout est illius rei imitatae:* quandoque vero quod est ad imitationem alterius *non perfecte* imitatur illud, et tunc intellectus operativus *non accipit formam rei imitatae absolute ut ideam vel exemplar rei operandae, sed cum proportione determinata,* secundum quam exemplatum a principali exemplari *deficeret vel imitaretur*" (*De Verit.*, 3, 2c).

(28) *In V Metaph.*, lect. 18, n.° 1034; *in X Metaph.*, lect. 5, n.° 2027; *Summa theol.*, I, 4, 1c.

(29) *De Pot.*, 3, 16 ad 12. Cf. *Summa theol.*, I, 47, 1 ad 2.

danam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (30).

449. Magnifica quidem opera eius, quae omnia et singula in sapientia fecit (Psalm. 1030 24), utpote omnium artifex (Sap.7, 21). Omnia in ipsa et per ipsam ordinata et disposita erant ab aeterno, et antequam fierent caelum, terra et abyssi (Prov. 8, 22-30). Deus igitur ab aeterno habuit ideam sive formam exemplarem totius universitatis creaturarum et singularum partium eius, atque secundum eam initio temporis ipsa condidit. Et quia idea in Deo est ipse Deus, sicut et ipsum intelligere eius (31), necesse est dicere quod "omnia sunt in Deo sicut in primo exemplari" (32) vel sicut in causa exemplari omnium (33).

450. Superest tamen videre secundum quam rationem ipsa divina essentia sit idea vel forma exemplaris omnium et singularum creaturarum. Evidenter non est divina essentia absolute et secundum se sumpta, quia hoc modo nullum dicit respectum ad creaturas, sed unice rationem formalem sive constitutivam ipsius esse Dei, cum tamen exemplar importet relationem aliquam ad exemplata, quae in Deo utique rationis tantum esse potest (34).

451. Ergo debet esse divina essentia *ut intellecta a Deo*, quia de ratione ideae sive formae exemplaris est universaliter ut sit *intellecta*, idest sicut id *quod* intelligitur et non sicut species impressa *qua* intelligitur, ut patet ex supra dictis. (n.° 434). Deus autem cognoscit essentiam suam comprehensive, idest, "secundum omnem modum quo cognoscibilis est" (35).

452. Est autem cognoscibilis, et secundum quod est in seipsa, et secundum quod est participabilis a creaturis secundum aliquem modum similitudinis. Atqui non est forma exemplaris ut intellecta prout est absolute in seipsa, quia hoc recideret de facto in essentiam qua essentiam, cum Deus essentiam suam infallibiliter cognoscat sicuti est. Superest igitur ut divina essentia, *intellecta* a Deo, sit formaliter causa exemplaris omnium rerum quatenus intelligitur *ut imitabilis* et participabilis a creaturis pro suo quaeque modo.

(30) *Conc. Lateranense IV*, Denz, n.° 428; *Conc. Vaticanum I*, Denz, n.° 1783.

(31) *Summa theol*, I, 14, 4; 44, 3c.

(32) *Op. cit.*, I, 18, 4 obi. 2.

(33) *Op. cit.*, 44, 3 c; 4 ad 4. "Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum agente..., necesse est quod in mente divina sit forma ad similitudinem cuius mundus est factus. Et in hoc consistit ratio *ideae*" (*Op. cit.*, I, 44, 3, arg. (*Op. cit.*, I, 15, 1c); quia "*exemplar est idem quod idea*" sed contra).

(34) *Op. cit.*, I, 13, 7c.

(35) *Op. cit.*, I, 15, 2c; 14, 4.

453. Quam ob rem S. Thomas iure scribit: "essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia sed *ut intellecta*" (36); et intellecta rursus non ut essentia absolute et in se, sed ut diversimode ac multipliciter participabilis et imitabilis a creaturis, siquidem "idea non nominat tantum essentiam, sed essentiam *imitabilem*" (37). "Idea non nominat divinam essentiam in quantum est essentia, sed in quantum est similitudo vel ratio huius vel illius" (38).

"Sic igitur, in quantum Deus cognoscit suam essentiam *ut* sic *imitabilem* a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam huius creaturae. Et similiter de aliis" (39).

454. Est autem divina essentia hoc modo intellecta a Deo, causa exemplaris prima et universalis omnium et singularum rerum creatarum tam naturalium quam supernaturalium, sive ordinis naturae et gratiae. Quae quidem exemplaritas *appropriatur* Filio, utpote *Verbo* Patris. "Quicumque enim aliquid facit, oportet quod illud praeconcipiat in sua sapientia, quae est ratio rei factae, sicut forma in mente artificis praeconcepta est ratio arcae faciendae. Sic ergo Deus nihil facit nisi per conceptum sui intellectus, scilicet Dei Verbum et Dei Filium" (40). Unoque hoc Verbo seipsum dicit et creaturas (41), licet seipsum primario et creaturas secundario et ex consequenti.

455. Hinc Thomas congruenter: "primordiale principium totius processionis rerum est Filius Dei, secundum illud Joan. 1, 3: omnia per ipsum facta sunt. Et ipse ideo est *primordiale exemplar quod omnes creaturae imitantur* tamquam veram et perfectam imaginem Patris. Unde dicitur Colos. 1, 15: qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturae, quia in ipso condita sunt universa. *Speciali tamen quodam modo exemplar est spiritualium gratiarum quibus spirituales creaturae illustrantur*" (42).

---

(36) *De Verit.*, 3, 2c.
(37) *In I Sent.*, d, 36, 2, 2 ad 1.
(38) *Summa theol.*, I, 15, 2 ad 1.
(39) *Ibid.*, corp. Cf. *De Verit.*, 3, 2c; *Quodlib.* 4, 1c.
(40) S. THOMAS. *In Joannem*, 1, 3; lect. 2, n.° 77; ed. R. CAI, O. P., Taurini—Romae, 1952
(41) "Quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum Verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum" (*Summa theol.*, I, 34, 3c. Cf. *De Verit.*, 4, 5c).
(42) *In I Cor.* 11, 1; lect. 1, n.° 583. "Artifex enim facit artificium ex hoc quod facit illud participare formam apud se conceptam, quasi involvens eam exteriori materia: sicut si dicatur quod artifex facit domum per formam rei quam habet apud se conceptam. Et sic Deus omnia in sua sapientia dicitur facere, quia sapientia Dei se habet ad res creatas sicut ars aedificatoris ad domum factam. Haec autem forma et sapientia est Verbum, et ideo *omnia in ipso condita sunt sicut in quodam exemplari*" (*In Colos.*, 1, 15-16; lect. 4, n.° 37).

456. Et quia nulla res creata potest Deum perfecte imitari, ideo necesse est plures dari creaturas essentialiter inaequales, quarum unaquaeque suo modo suaque mensura eum imitetur, licet partialiter et imperfecte (43). Omnes ergo et singulae res creatae tam naturales quam supernaturales sunt revera exemplatae a Deo sicut a primo simpliciter et universali exemplari omnium. Inaequaliter tamen ac diversimode, sive secundum prius et posterius.

457. Rursus quia exemplatum superius et perfectius potest et ipsum rationem induere exemplaris secundarii respectu exemplatorum inferiorum, quae sunt exemplata simpliciter, ideo creaturae superiores dici possunt exemplaria inferiorum, dependenter tamen ab exemplari per essentiam, quod est Deus ipse. Ut enim ad rem scribit Aquinas, "ipse Deus est primum exemplar omnium. *Possunt etiam in rebus creatis quaedam aliorum exemplaria dici secundum quod quaedam sunt ad similitudinem aliorum*, vel secundum eamdem speciem, vel secundum analogiam alicuius imitationis" (44). Quandoquidem "ita se habet naturalis ordo rerum, quod ea quae sunt inferiora in entibus imitantur ea quae sunt superiora secundum suum posse" (45). "Semper enim id quod est perfectissimum [in aliquo ordine] est exemplar quod imitantur minus perfecta secundum suum modum" (46).

458. Huiusmodi tamen exemplaria non sunt univoca, sed analoga: tum quia nihil commune Deo et creaturis est univocum sed analogum, tum etiam quia exemplaria exemplata se habent ad purum et primum simpliciter exemplar sicut causa exemplaris secunda ad causam exemplarem primam (47), quae evidenter non conveniunt univoce sed analogice.

459. Quae quidem analogia est primo et principaliter attributionis intrinsecae; quia Deus est exemplar per essentiam, dum exemplaria exemplata sunt talia per participationem tantum, realiter tamen et non per meram denominationem extrinsecam.

---

(43) "Diversae autem res diversimode ipsam [divinam essentiam] imitantur, et unaquaeque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera" (*De Verit.*, 3, 2c).
(44) *Summa theol.*, I, 44, 3c.
(45) *In I Cor.*, 11, 1; lect. 1, n.° 683.
(46) *Summa theol.*, III, 56, 1 ad 3.
(47) "Ea quae sunt a Deo imitantur ipsum sicut causata primam causam" (*Op. cit.* I, 3, 7 ad 1). "Effectus Dei imitantur ipsum non perfecte, sed secundum quod possunt. Et hoc ad defectum imitationis pertinet, quod id quod est simplex et unum non possunt repraesentare nisi per multa" (*Op. cit.*, I, 3, 3 ad 2). "Deus est prima causa exemplaris omnium rerum" (*Op. cit.*, I, 44, 3 c). Ita ergo imitantur ipsam, ut simul a perfecta imitatione deficiant: "deficit ab ea vel imitatur eam" (*De Verit.*, 3, 2c).

of Divinity Library

460. Exemplaritas enim Dei est universalis tam extensive quam intensive; quia ad omnes omnino creaturas se extendit, et quidem ad omnia uniuscuiusque. Est enim divina essentia intellecta a Deo ut imitabilis a creaturis, causa exemplaris prima totius universi creaturarum omniumque partium eius: et quidem non solum quoad earum species vel essentias, verum etiam quoad individua. Causalitas enim Dei se extendit ad omnes res creatas, et ad totum id quod est in unaquaque re: eique exemplaritas eius adaequatur, quia omnia facit sapienti consilio et secundum formas a seipso praestitutas.

461. At vero exemplar creatum sive exemplatum non est universale extensive neque intensive; quia non porrigitur ad omnes creaturas, cum saltem ipsummet excludatur —nihil enim est exemplar suiipsius— neque proprie loquendo ad individua, sed ad solas species, eo quod non causat materiam, quae est individuationis principium, sed eam praesupponit.

In idea autem exemplari speciei includitur genus, sicut et genus includitur in specie cuius est pars; et similiter accidentia naturalia consequentia speciem vel individuum, continentur in idea exemplari speciei vel individui (48).

Unde S. Thomas: "hoc tamen interest, ait, inter formas exemplares quae sunt in mente divina et in mente artificis creati, quod creatus artifex agit ex praesupposita materia. Unde formae exemplares quae sunt in mente eius non sunt *factivae materiae* quae est individuationis principium, sed solius formae a qua est species artificiati. Et ideo huius formae exemplares non respiciunt directe artificiatum quantum ad individuum, sed quantum ad speciem solum.

462. Formae autem exemplares intellectus divini sunt *factivae totius rei*, et quantum ad formam et quantum ad materiam; et ideo respiciunt creaturam non solum quantum ad naturam speciei, sed etiam quantum ad singularitatem individui, per prius tamen quantum ad naturam speciei" (49). Et hoc ideo quia species sunt potiores individuis, et per se ordinantur ad perfectionem universi (50). Universum autem est primum et maximum exemplatum a Deo, qui "totum universum constituit optimum, secundum modum creaturae" (51).

(48) "Genera non possunt habere ideam aliam ab idea speciei, secundum quod idea significat exemplar, quia nunquam genus fit nisi in aliqua specie. Similiter etiam est de accidentibus quae inseparabiliter comitantur subiectum, quia haec simul fiunt cum subiecto" (*Summa theol.*, I, 15, 3 ad 4).

(49) *Quodlib.* 8, 2c.

(50) "Perfectio universi essentialis non attenditur in individuis quorum multiplicatio ordinatur ad perfectionem speciei, sed in speciebus per se" (*In II Sent.*, d. 3, 1, 4 ad 3).

(51) *Summa theol.*, I, 47, 2 ad 1.

463. Atque inter ipsa exemplaria exemplata viget ordo secundum prius et posterius, idest secundum quod magis et melius imitantur divinum exemplar, et consequenter etiam magis et melius imitantur ipsa ab inferioribus exemplatis. Inferiora namque imitantur superiora quantum possunt, pro suo quaeque modo.

2. In ordine gratiae

464. Quod quidem contingit non solum in ordine naturae, sed etiam in ordine gratiae. Unde et Christus homo seipsum exhibuit exemplar imitandum ab omnibus discipulis suis: "discite a me, quia mitis sum et humilis corde" (Mtth. 11, 29). "Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis ita et vos faciatis*" (Joan. 13, 13-15).

Et ideo scribit S. Petrus: "Christus passus est pro nobis, *vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius; qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitiae vivamus, cuius livore sanati sumus" (I Pet., 2, 21-24).

Et Apostolus: "*imitatores* mei estote, sicut et ego Christi" (I Cor., 11, 1).

465. Eademque ratione "*resurrectio Christi est causa exemplaris nostrae resurrectionis.* Quod quidem necessarium est, non ex parte resuscitantis, qui non indiget exemplari, sed ex parte resuscitatorum, quos oportet illi resurrectioni *conformari*, secundum illud Philip. 3, 21: reformabit corpus humilitatis nostrae *configuratum* corpori claritatis suae. Licet autem efficientia resurrectionis Christi se extendat ad resurrectionem tam bonorum quam malorum, *exemplaritas tamen eius se extendit solum ad bonos,* qui sunt facti *conformes* filiationis ipsius, ut dicitur Rom. 8, 29" (52).

466. Immo et *praedestinatio eius est exemplar praedestinationis nostrae:* non quidem ex parte ipsius actus divini praedestinantis, qui aeternus est et idem cum Deo; sed ex parte termini et effectus praedestinationis qui temporalis est et a praedestinante distinctus. "Et hoc dupliciter. *Primo* quidem *quantum ad bonum ad quod praedestinamur.*

(52) *Op. cit.*, III, 56, 1 ad 3. Cf. *in I Thes.*, 4, 13; lect. 2, n.° 95.

... of Divinity Library

Ipse enim est praedestinatus ad hoc quod esset Dei Filius *naturalis;* nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, *quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis.* Unde dicitur Rom. 8, 29: quos praescivit, hos praedestinavit *conformes fieri* imaginis Filii sui. *Alio modo, quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam.* Quod quidem in Christo est manifestissimum, quia natura humana in Christo nullis suis praecedentibus meritis est unita Filio Dei: et *de plenitudine gratiae eius omnes nos accepimus,* ut dicitur Joan. 1, 16" (53).

III

INTER HUMANA ET DIVINA

467. At praesertim apparet ista analogia attributionis inter exemplar divinum et exemplar humanum operis artificiosi. Hoc enim exemplar est resonantia quaedam sat debilis et imperfecta exemplaris divini universum mundum creaturarum ex nihilo condentis.

468. Humanus enim artifex plerumque non adinvenit proprio marte ideam sive formam exemplarem operis faciendi, sed exemplar externum respicit, puta hominem, animal, arborem aliaque huiusmodi, et illud imitatur: non tamen serviliter et quasi materialiter ac si esset photographia quaedam, sed quadam libertate et novitate, servatis tamen quibusdam eius lineamentis. Qua de causa solent artifices inter pingendum vel sculpendum prae oculis habere res vel personas vivas veluti exemplaria utcumque imitanda. "Deus autem non indiget inspicere ad aliquod exemplar extra se" (54), sed intra seipsum habet nativum atque primigenium exemplar omnium.

469. Praeterea, exemplaria humanorum artificum formam tantum ac figuram exteriorem operis perficiendi exhibent, non autem eius intestinam naturam. Unde et opus artificiosum imitatur formam exemplarem exteriorem, vel interiorem quantum ad accidentia quaedam externa tantum, puta lineamenta, figuram et colorem, non autem quantum ad intimam naturam hominis, equi, rosae vel fluminis. Quo in ordine ait optime S. Thomas: "exemplata oportet conformari exemplari *secundum rationem formae, non autem secundum modum essendi.* Nam alterius modi esse habet forma quandoque in exemplari et in exemplato: sicut forma domus in mente artificis habet esse immateriale et intelligibile,

(53) *Op. cit.*, III, 24, 3c.
(54) *Op. cit.*, III, 56, 1 obi. 3.

in domo autem quae est extra animam habet esse materiale et sensibile" (55).

470. Et similiter exemplar externum, verbigratia homo aut bos, habet esse vivum; dum e contra exemplatum sive imago exemplata eius, puta statua vel pictura, non habet esse vivum. Illud tamen imitatur quantum ad accidentia exteriora visibilia, nempe quoad formam, figuram et colorem. Non ergo participat intimam naturam exemplaris quantum ad eius esse, sed tantummodo exteriora et visibilia accidentia, et ideo eius esse est mere repraesentativum. Qua de re iterum S. Doctor: "idea, inquit, et ideatum non oportet esse similia secundum conformitatem naturae, *sed secundum repraesentationem tantum*" (56).

471. Exemplar vero divinum non respicit proprie loquendo formam et figuram exteriorem exemplati, quia Deus, cum non sit corpus sed purus spiritus, non habet formam neque figuram; sed respicit directe esse exemplati, quod est simile τῷ esse exemplaris. Et ideo exemplatum creatum non est mere repraesentativum exemplaris increati; sed primo et principaliter participativum, et nonnisi secundario repraesentativum.

472. Ut enim ad rem scribit Aquinas, "forma exemplaris est duplex. Una ad cuius *repraesentationem* aliquid fit, et ad hanc non exigitur nisi similitudo tantum: sicut dicimus res veras picturarum esse formas exemplares. Alio modo dicitur forma exemplaris *ad cuius similitudinem aliquid fit et per cuius participationem esse habet:* sicut divina bonitas est forma exemplaris omnis bonitatis, et divina sapientia omnis sapientiae" (57).

473. Exemplar ergo humanorum artificum est accidentium tantum, et quidem exteriorum et visibilium; divinum autem est substantiarum. Et similiter exemplatum humanum est mere repraesentativum exemplaris sui; divinum vero est maxime participativum proprii exemplaris secundum substantiam et esse. Se habent igitur inter se haec duo exemplaria sicut substantia et accidens, et sicut esse verum et esse pictum. Quae quidem manifeste involvunt analogiam attributionis. Accidens enim dicitur ens per analogiam attributionis ad substantiam (58); et homo pictus vel sculptus dicitur homo per analogiam utique attributionis ad hominem vivum et verum (59). "Non enim est necessarium quod

(55) *Op. cit.*, I, 18, 4 ad 2.
(56) *De Verit.*, 3, 5 ad 2. Cf. *De Pot.* 7, 1 ad 8.
(57) *In III Sent.*, d. 27, 2, 4, qla. 3 ad 1, nis. 176-177.
(58) "Accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis" *(Summa theol.*, I,-II, 88, 1 ad 1).
(59) "Hoc nomen *animal* imponitur, non ad significandam *figuram exteriorem, in qua pictura imitatur animal verum;* sed ad significandam *naturam, in qua*

... of Divinity Library

exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum *aliqualiter* imitetur suum exemplar" (60).

474. Immo inter utrumque exemplar datur modus *analogiae proportionalitatis propriae;* quia ita se habet divinum exemplar ad universas creaturas ex nihilo condendas, sicut exemplar artificis humani ad sua artificiata efficienda ex materia praesupposita. Se habent namque causa exemplaris divina ad mundum universum et causa exemplaris humana ad particularia opera artificiosa, sicut causa prima et universalis ad effectus universales et causa secunda atque particularis ad effectus particulares.

475. Quae analogia crebro invenitur exposita in scriptis S. Thomae, quorum nonnulla placet in medium afferre. *"Eadem est proportio causae particularis ad suos particulares effectus et causae universalis ad suos;* quinimmo plus influit causa universalis in suos effectus quam causa particularis" in suos (61). Deus autem est causa exemplaris prima et universalis omnium creaturarum. Ipse enim, "etsi sit in essentia sua unus, tamen intelligendo suam unitatem et virtutem, cognoscit quidquid in eo virtualiter exsistit. Sic igitur cognoscit ex ipso posse procedere res diversas. Huiusmodi igitur quae cognoscit ex se posse prodire, rationes *intellectae* dicuntur. Non autem omnes huiusmodi rationes exemplaria dici possunt: exemplar enim est ad cuius imitationem fit aliud; non autem omnia quae scit Deus ex ipso posse prodire, vult in rerum natura producere. Illae igitur solae rationes *intellectae a Deo exemplaria* dici possunt, ad quarum imitationem vult res in esse producere: *sicut* producit *artifex* artificiata ad imitationem formarum artis quas mente concepit, quae etiam *artificialium exemplaria* dici possunt" (62).

Proinde "emanatio creaturarum a Deo est *sicut* exitus artificiatorum ab artifice. Unde *sicut* ab arte artificis effluunt formae artificiales in materia, *ita* etiam ab ideis in mente divina exsistentibus fluunt omnes formae et virtutes naturales" (63). Quia nimirum "in mente divina sunt omnium creaturarum formae exemplares quae ideae dicuntur, *sicut* in

pictura non imitatur: et ideo nomen animalis de vero et picto aequivoce dicitur" *(De Verit.*, 2, 11 ad 8), aequivocatione a consilio, idest analogice. Nam "animal dictum de animali vero et picto *non dicitur pure aequivoce*, sed Philosophus largo modo accipit aequivoca secundum quod includunt in se *analoga;* quia et ens, quod analogice dicitur, aliquando dicitur aequivoce praedicari de diversis" *(Summa theol.*, I, 13, 10 ad 4). "Domus quae est in mente artificis cum domo quae est in materia *non univoce* dicitur domus" *(De Pot.*, 7, 7 ad 6).

(60) *Op. cit.*, III, 24, 3 ad 3.

(61) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 5, lect. 2, n.° 662.

(62) *Ibid.*, lect. 3, n.° 665.

(63) *In II Sent.*, d. 18 1, 2c.

mente artificis formae artificiatorum" (64). Atque ideo "*sicut* se habet intellectus artificis ad artificiata, *ita* se habet intellectus divinus ad omnes creaturas" (65).

476. Et alio in loco congruenter: "Verbum Dei est ipse conceptus Dei, quo seipsum et alia cognoscit. *Deus autem comparatur ad creaturas sicut artifex ad opus suum.*

Hoc autem videmus quod artifex, illud quod producit extra, producit in similitudinem conceptus sui. Unde facit domum in materia ad similitudinem domus quam in mente sua formavit: quod si domus extra conveniat domui praeconceptae, est opus debito modo ordinatum; si non, non.

Quia vero tota creatura optime disposita est, utpote producta ab artifice in quo non potest cadere error vel aliquis defectus, ideo *plenissime, secundum modum suum,* convenit divino conceptui. Unde Boethius, *De consolatione*, lib. 3, vers. IX: tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens similique in imagine formans. Ideo dicit [Apostolus]: *intelligimus fide saecula,* idest totam universitatem creaturarum, *aptata,* idest convenienter respondentia *Verbo*, idest conceptui Dei, *sicut artificiatum arti suae*" (66).

477. Et sic divina essentia, qua intellecta ab ipso Deo secundum totam suam virtualitatem et imitabilitatem a creaturis, est exemplar archetipum omnium earum, tam ordinis naturae quam gratiae. Virtualitas namque sive eminentia deitatis, qua in se continet omnigenas perfectiones omnium rerum nobilissimo modo et sine ullo defectu (67), est veluti radix et fundamentum universalis exemplaritatis eius, quae tamen formaliter spectat ad eandem deitatem intellectam ut imitabilem et participabilem a praedictis creaturis.

478. Quam ob rem profunde ait S. Thomas: "exemplar rerum est in Deo *dupliciter*. Vel *quantum ad id quod est in intellectu suo,* et sic secundum ideas est exemplar intellectus divinus omnium quae ab ipso sunt, *sicut* intellectus artificis per formam artis omnium artificiatorum. Vel *quantum ad id quod est in natura sua,* sicut ratione suae bonitatis

(64) *Quodlib.* 8, 2c. Cf. *in I Sent.*, d. 19, 5, 2 ad 4.

(65) *Quodlib.* 8, 1c "Opus artificis dicitur esse verum in quantum attingit ad rationem artis, falsum vero in quantum deficit a ratione artis. Et quia *omnia etiam naturalia comparantur ad intellectum divinum sicut artificiata ad artem,* consequens est ut quaelibet res dicatur esse vera secundum quod habet propriam formam, secundum quam *imitatur* artem divinam. Et hoc modo ens et verum convertuntur, quia quaelibet res naturalis per suam formam arti divinae *conformatur.* Unde Philosophus in I Physicae, cap. 9, formam nominat *quoddam divinum*" *(In I Perihermeneias*, lect. 3, nis. 7-8).

(66) *In Heb.*, 11, 3; lect. 2, n.° 564.

(67) *In I Sent.*, d. 2, 2c.

... of Divinity Library

qua est bonus est exemplar omnis bonitatis; et similiter est de veritate" (68). Primo modo est exemplar formaliter; secundo autem fundamentaliter, quia ipsa divina essentia, cum infinita virtualitate omnes omnium perfectiones eminenter continente, est veluti fundamentum idearum exemplarium eius.

"Unde —concludit— *ipse est exemplaris forma rerum, non tantum quantum ad ea quae sunt in sapientia sua,* scilicet secundum rationes ideales, *sed etiam quantum ad ea quae sunt in natura sua, scilicet attributa*" (69).

479. Et sic *esse* divinum est exemplar omnis esse creati, "in quantum scilicet ab eo omne esse *exemplariter* deducitur" (70). "Creatura enim non habet esse nisi secundum quod a primo ente descendit, nec nominatur ens nisi in quantum ens primum imitatur.

480. Et similiter est de *sapientia* et de omnibus aliis quae de creatura dicuntur" (71). Nam "a sua sapientia derivatur omnis sapientia, et ita de aliis attributis" (72). Unde nostrum "*lumem* intelligibile *exemplatur* a lumine divino" (73), et "a *veritate* intellectus divini *exemplariter* procedit in intellectum nostrum veritas principiorum" (74).

"Unde dico quod sicut est unum esse divinum quo omnia sunt sicut a principio effectivo *exemplari*..., ita etiam est una *veritas,* scilicet divina, qua omnia vera sunt sicut principio effectivo *exemplari*" (75). "Et similiter dico de bonitate, quod est una *bonitas,* qua sicut principio effectivo *exemplari* omnia sunt bona" (76). "Est enim una res quae est omnium *exemplar,* scilicet divina essentia, quam omnia *imitantur* in quantum sunt et bona sunt" (77). "Sic igitur unumquodque dicitur bonum bonitate divina sicut primo principio *exemplari*... totius bonitatis" (78).

---

(68) *Op. cit.,* d. 19, 5, 2 ad 4.
(69) *Op. cit.,* d. 2, 2c. "Opera divina possunt comparari ad divina attributa sicut ad causam efficientem *exemplarem.* Et hoc modo sapientia creaturae est a sapientia Dei, est esse creaturae ab esse divino et bonitas a bonitate" (*In I Sent.,* d. 1, exp. textus).
(70) *Op. cit.,* d. 17, 1, 1c.
(71) *Op. cit.,* prol. 2 ad 2.
(72) *Op. cit.,* d. 2, 2c.
(73) *De Verit.,* 1, 4, ad 2 sed contra.
(74) *Ibid.,* ad 5.
(75) *In I Sent.,* d. 19, 5, 2c, in fine.
(76) *Ibid.,* ad. 3.
(77) *Quodlib.* 4, 1c. Cf. *De Verit.,* 21, 4c, in fine, et ad 1, 3 et 5.
(78) *Summa theol.,* I, 6, 4c.

481. Et idem dic de *pulchritudine* divina, quae exemplar est omnis creatae pulchritudines (79). "Unde omnia quae qualitercumque ad consonantiam pertinent, ex divina pulchritudine procedunt" (80). "Omnia enim facta sunt ut divinam pulchritudinem imitentur" (81).

482. Similiter quantum ad res ordinis supernaturalis. Deus enim est exemplar archetypum totius vitae supernaturalis, quod omnes imitari debent, iuxta illud Apostoli: estote imitatores Dei (Ephes. 5, 1). Qua etiam de causa S. Thomas totam moralem supernaturalem reducit ad imitationem huiusce divini exemplaris (82). Quae quidem imitatio non est per meram repraesentationem vel similitudinem exteriorem, sed per veram participationem exemplaris atque interiorem similitudinem (83).

483. Et hac de causa ipsa divina natura, quae est vita Dei, est exemplar gratiae nostrae habitualis, quae est principium formale vitae nostrae supernaturalis; et divina bonitas sive caritas, exemplar nostrae caritatis; et divina veritas seu cognitio, exemplar nostrae fidei. Deus enim "dicitur vita animae sicut principium *exemplariter* influens vitam gratiae ipsi" (84); et caritas "*exemplariter* manat ab amore, qui est Spiritus Sanctus" (85).

"Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem caritatis, ita etiam per naturam animae participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem sive recreationem" (86). "Unde *sicut* dicimur boni bonitate quae est Deus, et sapientes sapientia quae est Deus; quia bonitas qua formaliter boni sumus est participatio quaedam divinae bonitatis, et sapientia qua formaliter sapientes sumus est participatio quaedam divinae sapientiae: *ita* etiam caritas qua formaliter diligimus proximum est participatio quaedam divinae caritatis" (87). Eodemque iure fides, quae est "quaedam *participatio* et assimilatio ad cognitionem divinam" (88), "est quasi quaedam sigillatio primae veritatis in mente" nostra (89).

---

(79) *In librum Dionysii De divinis nominibus,* cap. 4, lect. 8, n.º 384.
(80) *Ibid.,* lect. 5, n.º 349.
(81) *Ibid.,* n.º 353. *Cf.* in *II Sent.,* prolog. S. Thomae.
(82) *Summa theol.,* I-II, prolog.
(83) *In III Sent.,* d. 27, 2, 4, qla. 1 ad 1, n.º 177.
(84) *In I Sent.,* d. 17, 1, 1 ad 2.
(85) *Ibid.,* corp.
(86) *Summa theol.,* I-II, 110, 4c.
(87) *Op cit.,* II-II, 23, 2 ad 1.
(88) *In librum Boethii De Trinitate,* 2, 2c, p. 87, 13-14.
(89) *Op. cit.,* 3, 1 ad 4, p. 114, 25-26.

of Divinity Library

484. Et quia operationes ad extra pertinent ad naturam potius quam ad personas (90), dicendum est Deum esse exemplar archetypum omnium rerum creatarum tam naturalium quam supernaturalium secundum essentiam suam et non secundum personas, proprie loquendo.

485. Attamen, secundum *appropriationem* quamdam, ob specialem similitudinem cum propriis personarum, attribuuntur istis singillatim quaedam praedicata reapse communia et essentialia, sicut Patri potentia, sapientia Filio et Bonitas Spiritui Sancto (91). Et hoc modo tribus personis appropriari potest exemplar trium virtutum theologalium, "in quantum ipsae personae divinae *quadam sui sigillatione in animabus nostris* relinquunt quaedam dona" supernaturalia (92), quae maxime sunt virtutes praedictae. Nam "sicut bonitati quae appropriatur Spiritui Sancto respondet caritas, et veritati quae appropriatur Filio respondet fides; ita potestati quae appropriatur Patri respondet spes" (93), quia nimirum "spei respondet divina potentia secundum sublimitatem suae maiestatis, in cuius consecutionem spes tendit" (94).

486. Quo in sensu dici potest gratiam habitualem, quae esse divinum praebet et una est, esse ab essentia divina exemplatam, quae pariter est una; tres autem virtutes theologales, exemplatas a tribus personis. Et sic ait S. Thomas quod supernaturalis "imago recreationis consistit in gratia et virtutibus" theologicis (95).

487. Et non solum respectu gratiae et virtutum theologalium est Deus exemplar primigenium, verum etiam respectu virtutum *cardinalium*, praesertim infusarum. Ut enim scite ait S. Doctor, "oportet quod *exemplar* humanae virtutis in Deo praeexistat, sicut et in eo praeexistunt omnium rerum rationes. Sic igitur virtus potest considerari... *prout est exemplariter in Deo, et sic dicuntur virtutes exemplares:* ita scilicet quod ipsa divina mens in Deo dicatur prudentia; temperantia vero, conversio divinae intentionis ad seipsum, sicut in nobis temperantia dicitur per hoc quod concupiscibilis conformatur rationi; fortitudo autem Dei est eius immutabilitas; iustitia vero Dei est observatio legis aeternae in suis operibus" (96).

488. Et quidem tale exemplar se extendit ad vitam ipsam socialem et politicam, quia "humanum regimen derivatur a divino regimine, et

(90) *Summa theol.*, I, 45, 6.
(91) *Op. cit.*, I, 39, 7-8.
(92) *In I Sent.*, d. 14, 2, 2 ad 2.
(93) *De Pot.*, 6, 9 obi. 12.
(94) *Ibid.* ad 12.
(95) *De Verit.*, 27, 6 ad 5.
(96) *Summa theol.*, I-II, 61, 5c.

ipsum debet imitari" (97). Ac proinde rex debet esse in regno "*sicut Deus in mundo*" (98).

489. Tota ergo vita moralis christiana debet esse vita propria filiorum Dei et membrorum Christi. Qua de causa Apostolus docet: estote imitatores Dei sicut filii carissimi (Ephes. 5, 1), "quia ad filium pertinet patrem imitari" (99); et ad membra, capiti obedire atque conformari. Quod si idem Apostolus aliis in locis ait, imitatores mei estote sicut et ego Christi (I Cor. 4, 16; 11, 1), hoc est ita intelligendum, ut eum imitentur "in quantum et ipse Christum imitabatur" (100), qui semper fecit voluntatem Patris, iuxta illud: descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me (Joan. 6, 38). Et ideo oportet usque ad ipsum exemplar prototypum exemplata omnia resolvere, sive sint mere exemplata sive exemplata exemplaria, ut postulat ipsa propria indoles analogiae attributionis, siquidem nos omnes christiani sumus Christi, Christus autem Dei (I Cor. 3, 23), ut sit divinum exemplar omnia in omnibus quomodocumque ab eo exemplatis.

(97) *Op. cit.*, II-II, 10, 11c.
(98) *De regno*, lib. 1, cap. 13, n.º 40.
(99) *In Ephes.*, 5, 1; lect. 1, n.º 267.
(100) *In I Cor.*, 4, 16; lect. 3, n.º 223.

CAPUT VI

ORDO ET ANALOGIA INTER IPSA QUATUOR GENERA CAUSARUM

490. Sed et inter ipsa quatuor genera causarum ad invicem comparata datur ordo et analogia.

ART. 1

ANALOGIA

491. Analogia quidem, quia causalitas sive ratio causae non est eadem sed diversa in illis. Causa enim efficiens et causa finalis influunt in effectum *movendo*, dum e contra causa formalis et causa materialis influunt *essendo;* et ideo illae sunt causae τοῦ *fieri*, hae vero τοῦ *esse* effectus (1).

492. Atque in ipsa ratione movendi, aliter movet finis et aliter agens; quia *finis* movet *alliciendo et attrahendo, agens* vero *impellendo*. Unde et finis se habet ut terminus *ad quem* est motus mobilis ab eo causatus; dum agens, ex adverso, se habet ut terminus *a quo* (2).

Proprie enim movere, sicut influere et facere, dicitur de causa efficienti, et nonnisi per quandam extensionem atque similitudinem dicitur de causa finali (3). Quam ob rem Aristoteles ait causam efficientem esse proprie activam, τὸ ποιητικὸν αἴτιον, non autem causam finalem, nisi per quandam extensionem et translatam similitudinem, οὐ ποιητικὸν, εἰ μὴ κατὰ μεταφοράν (4). Et S. Thomas congruenter: "sicut influere causae

(1) "Inter quatuor causas efficiens et finalis sunt causae *fieri;* forma autem et materia sunt causae *essendi* rerum, quia *intrant* eius constitutionem" (*De Verit.*, 2, 3 obi. 20).

(2) "Finis dicitur *attrahere*" (*In IV Physic.*, lect. 1, n.° 7; *in VII Physic.*, lect., 3, n.° 7). Tractio vero "a pulsione differt, quia in *pulsione* movens se habet ad mobile ut terminus *a quo* est motus eius, in *tractu* vero se habet ut terminus *ad quem*. Illud ergo trahere dicitur quod movet alterum ad seipsum" (*ibid.*, n.° 7).

Quod quidem patet "ex definitione utriusque motus. Quia *pulsio* est motus *ab ipso* movente... in aliquid aliud...; sed *tractus* est motus *ad ipsum*" (*ibid.*, n.° 11).

(3) "*Diffundere*, licet secundum *proprietatem* vocabuli videatur importare operationem cause *efficientis*, tamen *largo modo* potest importare habitudinem *cuiuscumque causae*, sicut *influere* et *facere* et alia huiusmodi" (*De Verit.*, 21, 1 ad 4).

(4) *De Generatione et corruptione*, I, 7, 324 b 14.

efficientis est *agere*, ita influere causae finalis est *appeti et desiderari*" (5); siquidem "causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia *desiderantur*" (6).

493. Nimirum causa efficiens impellit ante se, finalis vero allicit vel atrahit post se: res effecta *exit* ab agente et ante eum pro-ducitur; res vero attracta *venit* ad finem atque sponte *vadit* post ipsum, quia movet ut bonum, quod *appetitum* sui excitat, ac proin res mota a fine *petit ad* ipsum in re consequendum (7). *Movere* igitur diversimode dicitur de causa efficienti et de causa finali; quia de illa proprie, de hac vero lato sensu et quasi per metaphoricam similitudinem, idest per analogiam ad illam.

494. Similiter causalitas causae formalis et materialis est diversae rationis, licet utraque causet *entitate* sua, quia unaquaeque causat ut *est*, nempe causa materialis *ut potentia* receptiva actus essendi, causa vero formalis *ut actus* entitativus materiae communicatus: illa *ut recipiens* actum essendi, ista *ut dans* eundem essendi actum. Causalitas ergo causae materialis et causalitas causae formalis se habent ad invicem ut materia et forma sive ut potentia et actus, quae proculdubio non conveniunt univoce sed analogice tantum. Actus enim et potentia dividunt ens et quolibet genus entis, et ideo afficiunt ens finitum ut sic, antecedenter ad eius divisionem in decem praedicamenta. Unde sicut ens commune ad huiusmodi praedicamenta est analogum, ita etiam prima eius divisio quae per totam eius latitudinem diffunditur (8), eo vel magis quod inaequaliter participant ipsam communem rationem entis divisi (9).

495. Neque univoce conveniunt moveri et esse, quia motus est ens imperfectum et quasi via ad ens in actu. Unde nonnisi analogice dicitur ens (10). Consequenter causae extrinsecae, nempe efficiens et finalis, non conveniunt nisi analogice cum causis intrinsecis, videlicet cum materiali et formali.

(5) *De Verit.*, 22, 2c.

(6) *Summa contra Gentiles*, I, 75, 5.

(7) "*Agere* modo significat *ante se pellere*, idest *minare*" (FESTUS, *De ver-* "*agere* modo significat ante se pellere, idest minare" (Festus, *De ver*- borum significatione*, p. 8, 34). Et inde "*agolum*, pastorale baculum quo pecudes *aguntur*" (*ibid.*, p. 9, 7); et "*agasones*, equos *agentes*, idest *minantes*" (*ibid.*, p. 8, 29).

(8) *In I Physic.*, lect. 15, n.° 3; *in III Physic.*, lect. 1, n.° 6; *in V Metaph.*, lect. 9, n.° 897. "Potentia et actus dividunt ens et quodlibet genus entis" (*Summa theol.*, I, 77, 1c.)

(9) "Aliqua participant aliquid unum secundum prius et posterius [analogice], sicut potentia et actus rationem entis" (*In I Sent.*, prol., 2 ad 2).

(10) "Quaedam autem dicuntur entia quia sunt *via ad substantiam*, sicut *generationes et motus*" (*In IV Metaph.*, lect. 1, n.° 539).

496. Quae conclusio *efficaciter confirmatur ex his quae naturaliter consequuntur causas et secundum ipsas distinguuntur, ut necessarium, possibile et impossibile.* Ut enim ait S. Doctor, "postquam Philosophus distinxit nomina quae significant causas, hic distinguit nomen quod significat aliquid pertinens ad rationem causae, scilicet *necessarium.* Causa enim est ad quam *de necessitate* sequitur aliud. Et circa hoc duo facit: primo *distinguit modos* necessarii, secundo *reducit omnes ad unum primum*" (11). Quod certe pertinet ad artem analogandi atque pertractandi notiones analogas. Unde et "necessitas dicitur *multipliciter*" (12), sicut et causa (13) —πολλαχῶς (14)—, quod de ente et aliis analogis dici consuevit —πολλαχῶς λέγεται τό ὄν (15)—. Et ideo deceptus est Parmenides, qui ens uno modo, idest univoce accipiebat —ἁπλῶς—, cum tamen multis atque diversis modis —πολλαχῶς—, hoc est, analogice sumi debeat (16).

497. Ergo "necesse est quod non potest non esse. Quod quidem convenit alicui uno modo ex principio *intrinseco:* sive *materiali,* sicut cum dicimus quod omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi; sive *formali,* sicut cum dicimus quod necesse est triangulum habere tres angulos aequales duobus rectis. Et haec est necessitas naturalis et *absoluta.* Alio modo convenit alicui quod non potest non esse ex alio *extrinseco,* vel *fine,* vel *agente. Fine* quidem, sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi, aut bene consequi, finem aliquem, ut cibus dicitur necessarius ad vitam et equus ad iter: et haec vocatur *necessitas finis,* quae interdum etiam *utilitas* dicitur. Ex *agente* autem hoc alicui convenit, sicut cum aliquis *cogitur* ab aliquo agente, ita quod non possit contrarium agere: et haec vocatur *necessitas coactionis*" (17). Et necessitas horum duorum modorum est *extrinseca et conditionalis,* scilicet si finis intendatur et si agens compellat: necessitas vero ex causa formali et materiali est *intrinseca et absoluta.* Primam alibi vocat S. Thomas necessitatem *secundum quid;* secundam vero, necessitatem *simpliciter* (18).

498. Patet autem hos quatuor modos necessitatis dici secundum prius et posterius, quia per prius dicitur de necessitate intrinseca et absoluta et per posterius de necessitate extrinseca et conditionata vel secundum quid. Et quidem necessitas intrinseca per prius de necessitate

(11) *In V Metaph.*, lect. 6, n.° 827.
(12) *Summa theol.*, I, 82, 1c.
(13) *In II Physic.*, lect. 5, n.° 7.
(14) ARISTOTELES, *Physica*, II, 3, 195 a 4.
(15) *Op. cit.*, I. 2, 185 a 21; *Metaph.* III, 1, 1003 a 33.
(16) *Op. cit.*, I, 3, 186 a 24-25.
(17) *Summa theol.*, I, 82, 1c. Cf. *De principiis naturae*, cap. 4, p. 96-97.
(18) *In V Metaph.*, lect. 6, nis 832-835.

ex causa formali, et per posterius de necessitate ex causa materiali. Pariterque necessitas extrinseca per prius dicitur de necessitate coactionis, et per posterius de necessitate finis (19).

499. Simili modo possibile et impossibile dicuntur multipliciter secundum quatuor genera causarum. Alia enim sunt possibilia intrinsece et absolute secundum causas intrinsecas, scilicet materialem et formalem, sicut corpus organicum potest informari anima rationali et fieri revera humanum, et ideo possibile est aliquod animal, scilicet hominem esse essentialiter compositum ex anima rationali et corpore. Alia vero sunt possibilia extrinsece et relative secundum causas extrinsecas, idest *alicui* sive respectu *alicuius,* tam ex parte agentis quam ex parte finis. Ex parte quidem *agentis* sive secundum potentiam activam, quia potest hoc vel illud agere aut movere, sicut homo potest loqui et sapiens potest docere. Ex parte vero *finis,* ut cum aliquod bonum est huic vel illi appetibile, puta doctoratus, cum sit ei assequibile.

500. Et idem de impossibili. Est enim aliquid intrinsece et absolute impossibile pro omnibus et semper, quia essentialiter non potest esse neque ideo fieri. Et hoc est impossibile secundum causam formalem et materialem: sicut impossibile est idem et secundum idem simul esse et non esse, vel substantiam spiritualem corrumpi. Alio modo est aliquid impossibile extrinsece et relative, quia licet possit esse, non potest tamen fieri vel intendi ab hoc aut illo, eo quod excedit potentiam eius productivam vel assecutivam: sicut creatura non potest facere aliquid ex nihilo, neque ex propriis viribus miracula facere, quae tamen Deus facit; vel sicut rusticus ignorans et ineptus non potest appetere neque intendere esse regem, quia hoc non est ei naturaliter assequibile secundum ordinarium cursum rerum humanorum (20).

501. Itaque indubia res est notionem causae communem esse analogam, eamque analogice dividi in quatuor causarum genera.

ART. 2

MODUS ISTIUS ANALOGIAE. ANALOGIA ATTRIBUTIONIS INTRINSECAE

502. Hoc autem dato, videndum superest quo modo vel typo analogiae analogentur.

Ad quod responderi debet quatuor haec causarum genera duplici modo analogari. Primo quidem et maxime *analogia attributionis intrin-*

(19) Cf. *ibid.*, nis 836-837.
(20) Cf. *in V Metaph.*, lect. 14, nis. 954-976; *in I De caelo*, lect. 25, nis. 2-7; *Summa theol.*, I, 25, 3.

Divinity Library

secae, sive considerentur quatuor simul quasi in totalitate causalitatis, sive respiciantur separatim binae et binae causae extrinsecae et causae intrinsecae.

503. *Si enim comparentur inter se causa materialis et causa formalis, evidens est materialem dici per respectum vel analogiam ad formalem.* Cum enim huiusmodi causae causent essendo, idest propria entitate sua, manifeste se habent inter se sicut materia ad formam in ratione naturae physicae sive entis mobilis, vel sicut potentia ad actum in ratione entis creati sive finiti.

504. Iam vero constat rationem naturae physicae per prius convenire formae, et nonnisi per posterius materiae; quae ideo tota quanta est, ad formam est, neque participat esse naturae nisi vi formae. Quo fit, ut materia non sit intelligibilis neque definibilis nisi per ordinem vel analogiam sive respectum ad formam.

Hinc Thomas: "alius et alius est modus quo materia dicitur natura et quo forma dicitur natura" (1), quia forma est natura per modum actus primi, materia vero per modum potentiae primae. Qua de causa "forma est magis natura quam materia, quia unumquodque magis dicitur secundum quod est in actu quam secundum quod est in potentia. Unde forma, secundum quam aliquid est naturale in actu, est magis natura quam materia, secundum quam est aliquid naturale in potentia" (2). "Dicitur tamen ad formam" relatione transcendentali, sicut potentia ad actum (3).

505. Et quia "unumquodque cognoscibile est secundum quod est in actu et non secundum quod est in potentia..., inde est quod [intellectus] non *cognoscit materiam primam nisi secundum proportionem ad formam*" (4). Ipsa namque "materia *secundum se* neque essse habet neque cognoscibilis est" (5). Et ideo sicut non habet esse nisi per formam, ita non est intelligibilis nisi per formam. Haec quidem est absolute separabilis a materia, sicut anima humana; ac de facto existunt formae separatae a materia, sicut angeli; ipsaeque formae naturales immersae in materia possunt per rationem abstrahi a materia sensibili individuali, ac proinde sine hac materia intelligi. "*Materia* vero *non potest intelligi sine intellectu formae, cum non apprehendatur nisi ut ens in potentia ad formam*" (6).

---

(1) *In II Physic.*, lect. 2, n.° 3.
(2) *Ibid.*, n.° 5.
(3) *Ibid.*, lect. 4, n.° 9.
(4) *Summa theol.*, I, 87, 1c.
(5) *Op. cit.*, I, 15, 3 ad 3.
(6) *In VIII Metaph.*, lect. 1, n.° 1687. Quibus auctor opellae *De natura materiae*, congruenter: "cum potentia impediat cognitionem, cum unumquodque non cognoscatur nisi secundum quod est actu, ut dicitur in IX Metaphysicorum, 9,

506. *Idemque proportionaliter dicendum est si inter se conferantur causa efficiens et causa finalis. Efficiens* enim non habet rationem causae nisi *per respectum ad finem et dependenter a fine.* Huiusmodi namque duae causae, cum sint extrinsecae, non causant entitate sua, idest essendo, ut materialis et formalis, sed *motione* sua. Materia siquidem et forma sunt causae *quibus* substantia physica sive natura essentialiter constituitur et *est*; agens vero et finis sunt causae *quibus* praedicta natura *fit*. Fit autem motu generationis. Et ideo de ratione causae efficientis et finalis est *movere*.

Diversimode tamen. Quia finis movet agentem, sed non movetur ab agente. Et ideo causa efficiens se habet ad causam finalem ut movens mota, finalis vero ad efficientem ut movens immota. Motio ergo dicitur de illis secundum prius et posterius, ita ut per prius conveniat causae finali, et nonnisi per posterius ac dependenter a fine, causae efficienti.

507. At praesertim apparet huiusmodi diversitas motionis in ipso genere movendi. Quia finis movet ut bonum, idest per modum obiecti attrahentis et quoad specificationem motus ab eo excitati; agens e contra movet per modum subiecti impellentis et quoad exercitium tantum motus ab eo producti. Finis movet *ut ratio agendi vel movendi;* agens vero *ut excitatus vel attractus a praedicta ratione,* atque ut exercens vel exequens motum ipsum. Finis ergo ut finis movet *ut quo;* agens vero ut agens movet *ut qui*. Ideo finis est ratio vel causa cur agens revera agat, quia iste non agit nisi propter illum et causa illius.

Qua de re sapienter atque profunde scribit S. Thomas: "tam finis quam efficiens *movere* dicuntur, sed *diversimode*, cum in qualibet actione *duo* considerentur, scilicet *agens* et *ratio agendi;* ut in calefactione ignis est agens, et ratio agendi calor. In *movendo* dicitur *finis* movere *sicut ratio movendi,* sed *efficiens sicut agens motum,* hoc est, *educens mobile de potentia in actum.*

508. Ratio autem agendi est *forma agentis per quam agit.* Unde oportet quod *insit* agenti ad hoc ut agat. Non autem inest secundum esse naturae perfectum..., sed inest agenti *per modum intentionis*, nam finis est prior *in intentione*" (7).

1051 a 29-33, ideo *materia non est scibilis nisi in ordine ad formam*, ut dicitur in I Physicorum, 7, 191a 7-12. Ideo *formam praecognoscere oportet, et per eam inquirere naturam materiae*" (cap. 1, p. 89, 117-121; ed. J. M Wyss, O. P., Friburgi Helvetiorum, 1953).

(7) *De Verit.*, 22, 12c.

Nimirum finis intentus est ratio vel forma agentis *ut reduplicative agens est*, non autem ut ens vel natura quaedam est. Ratio ergo vel forma agentis *ut causa vel movens est, non ut est res quaedam*.

509. Quod quidem huc denique redit, ut causa finalis sit causa ipsius causalitatis causae efficientis, ut ipse S. Doctor expresis verbis tradidit multis in locis maxima cum insistentia, e quibus liceat hoc unum afferre: "finis dicitur causa efficientis, cum non operetur nisi intentione finis... Non autem est causa illius quod est efficiens, sed est causa ut efficiens sit efficiens. Unde *finis est causa causalitatis efficientis, quia facit efficiens esse efficiens*" (8). Non est causa causae efficientis ut haec res quaedam est, sed ut reduplicative causa est. Aliis verbis: non est causa *entitatis* causae efficientis, sed *causalitatis* eius.

510. Hoc autem manifeste importat ordinem prioritatis et posterioritatis in ipsa ratione causae utrique communi, idest analogiam attributionis, cuius primum atque supremum analogans est causa finalis, secundarium vero analogatum causa efficiens.

511. Quod si respiciamus quatuor genera causarum simul, easque inter se comparemus, ordinatas quoque inveniemus secundum prius et posterius per relationem ad unam primam et maximam, quae est causa finalis. Ut enim ad rem scribit Aquinas, "in causis est talis ordo quod materia completur per formam, et forma per efficientem, et efficiens per finem" (9); quia "finis est *prima* causa *in ratione causalitatis*" (10), et ideo iure appellatur "causa *omnium* causarum" (11).

Ac revera "finis est causa causalitatis efficientis, quia facit efficiens esse efficiens; et similiter facit materiam esse materiam et formam esse formam, cum materia non suscipiat formam nisi propter finem, et forma non perficiat materiam nisi propter finem. Unde dicitur quod *finis est causa causarum, quia est causa causalitatis in omnibus causis*" (12).

512. Finis ergo "in causalitate est *prior semper*. Unde dicitur causa causarum, quia est causa causalitatis in omnibus causis. Est enim causa causalitatis efficientis, ut iam dictum est. Efficiens autem est causa causalitatis et materiae et formae; nam facit per suum motum materiam esse susceptivam formae, et formam inesse materiae. Et per consequens etiam finis est causa causalitatis et materiae et formae" (13).

(8) *De principiis naturae*, cap. 4, p. 94, 5-6, 11-15.
(9) *In IV Sent.*, d. 3, 1, qla. 1c, n.° 16.
(10) *In I Sent.*, d. 8, 1, 3c, in fine.
(11) *Op. cit.*, d. 1, expos. textus.
(12) *De principiis naturae*, cap. 4, p. 94, 14-19. Cf *in II Physic.*, lect. 5, n.° 11; *Summa theol.*, I, 105, 5c; *in I Meteorologicorum*, lect. 2, n.° 4.
(13) *In V Metaph.*, lect. 3, n.° 782. Cf. *Summa theol.*, I, 5, 3 ad 1; 4c. "Prima autem inter omnes causas est causa finalis. Cuius ratio est, quia materia non

Causa nempe finalis est "quae *primo* habet rationem causae" (14), et "cui *primo* competit ratio causandi" (15), et quae "inter alias causas *primatum* obtinet" (16), quaeque ideo "*potissima* est inter alias causas" (17). Qui quidem primatus atque excellentia intelligendus est simpliciter et formaliter et per se, videlicet in ipsa ratione causae; et non tantummodo respectu unius generis tantum, puta efficientis, sed respectu omnium simul. Primatus nempe absolutus, idest essentialis et universalis sive intensivus et extensivus.

513. Quam ob rem S. Thomas profunde scribit: "in quolibet genere causae causa naturaliter est prior causato. Contingit autem secundum diversa genera causarum idem respectu eiusdem esse causam et causatum: sicut purgatio est causa sanitatis in genere causae efficientis, sanitas vero est causa purgationis secundum genus causae finalis; similiter materia est causa formae aliquo modo in quantum sustinet formam, et forma est aliquo modo causa materiae in quantum dat materiae esse actu. Et ideo *nihil prohibet aliquid altero esse prius et posterius secundum diversum genus causae*.

514. Sed tamen illud dicendum est *prius simpliciter* ordine naturae quod est prius secundum genus illius causae quae est *prior in ratione causalitatis: sicut finis, qui dicitur causa causarum, quia a causa finali omnes aliae causae recipiunt quod sint causae;* quia efficiens non agit nisi propter finem, et ex actione efficientis forma perficit materiam et materia sustinet formam" (18).

Itaque alia tria genera causarum essentialiter dependat in causando a causa finali, a qua et causalitatem suam suo modo participant. Unde analogice dicuntur causae analogia attributionis intrinsecae ad illam et ab illa, quia omnes ipsae sunt revera causae et non per meram denominationem extrinsecam (19).

consequitur formam nisi secundum quod movetur ab agente; nihil enim reducit se de potentia in actum. Agens autem non movet nisi ex intentione finis" (I-II, 1, 2c).
(14) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 3, lect. 2, n.° 227.
(15) *Op cit.*, cap. 1, lect. 3, n.° 87.
(16) "Finis inter alias causas *primatum* obtinet et ab ipso omnes aliae causae habent quod sint causae *in actu*. Agens enim non agit nisi propter finem...: ex agente autem materia in *actum* formae reducitur; unde materia fit *actu* huius rei materia, et similiter forma huius rei forma, per *actionem* agentis, et per consequens per finem" *(Summa contra Gentiles*, III, 17, 7).
(17) *In II Physic.*, lect. 5, n.° 11.
(18) *De Verit.*, 28, 7c.
(19) Quam dependentiam atque analogiam perspicue tradidit etiam S. ALBERTUS MAGNUS hisce verbis: "prior est finis et secundo efficiens et tertio forma et ultimo materia, quia efficiens non dictur causa nisi quia movet, sed non movet nisi quia prius movetur a fine. Unde finis est causa quod efficiens sit causa.

515. Et quia omnis cognitio vere scientifica, puta definitio et demonstratio, fit secundum causas vel ex causis prius cognitis, ideo ordo et analogia causarum relucet atque reflectitur in diversis modis definiendi ac demonstrandi, atque idcirco cognoscendi.

Quapropter Angelicus Doctor merito docet: "contingit *definitiones* diversas dari eiusdem rei sumptas ex diversis causis. *Causae* autem *ad invicem ordinem habent*, nam ex una sumitur ratio alterius. *Ex forma* enim sumitur *ratio materiae:* talem enim oportet esse materiam qualem forma requirit. *Efficiens* autem est *ratio formae:* quia enim agens agit sibi simile, oportet quod secundum modum agentis sit etiam modus formae quae ex actione consequitur. *Ex fine* autem sumitur *ratio efficientis;* nam omne agens agit propter finem. *Oportet ergo quod definitio quae sumitur a fine sit ratio et causa probativa aliarum definitionum quae sumuntur ex aliis causis*" (20).

516. Et idem contingit in modis *demonstrandi*. "Manifestum est enim in rebus habentibus quatuor causas quod una causa est quodammodo causa alterius. Quia enim materia est propter formam et non e converso, ut probatur in II Physic., cap. 2, definitio quae sumitur ex causa formali est causa definitionis quae sumitur ex causa materiali eiusdem rei. Et quia generatum consequitur formam per actionem generantis, consequens est quod agens sit quodammodo causa formae et definitio definitionis. Ulterius autem agens agit propter finem; unde et definitio quae a fine sumitur est quodammodo causa definitionis quae sumitur a causa agente. Ulterius autem non est procedere in generibus causarum; unde dicitur quod finis est *causa causarum*" (21). "*Et ideo potissimae demonstrationes sumuntur a fine in illis in quibus agitur aliquid propter finem, sicut in naturalibus, in moralibus et artificialibus*" (22).

517. "Ponamus ergo duas definitiones *domus* [quae est res quaedam *artificialis*]. Quarum una sumatur a causa *materiali,* quae sit talis: domus est cooperimentum constitutum ex lapidibus, cemento et lignis. Alia sumatur ex causa *finali,* quae sit talis: domus est cooperimentum prohibens nos a pluviis, frigore et calore. Potest ergo pri-

Praeterea generans generat sibi simile. Unde cum forma generati sit talis, hoc est quia efficiens fuit talis: ergo efficiens est causa quod talis forma inducatur. Sed propter formam est materia. Unde finis movet efficientem, et efficiens determinat formam, et forma determinat sibi materiam" (*Questiones super De animalibus,* lib. 11, q. 5; ed. E. FILTHAUT, O. P., t. XII, ed. coloniensis, p. 220, 14-24: Monasterii Westf, 1955).

(20) *In I Post.*, lect. 16, n.° 5.
(21) *In II Post.* lect. 8, n.° 3.
(22) *In V Metaph.*, lect. 3, n.° 782.

ma definitio demonstrari ex secunda hoc modo: omne cooperimentum prohibens nos a pluviis, frigore et calore oportet quod sit constitutum ex lapidibus, cemento et lignis; domus est huiusmodi; ergo... Patet ergo quod definitio quae sumitur a fine est principium demonstrationis; illa autem quae sumitur a materia est demonstrationis conclusio" (23).

518. Et iterum "definitiones secundum materiam factae possunt habere *medium,* quia scilicet definitiones quae dantur secundum causam *materialem* possunt *demonstrari* per definitiones quae dantur secundum causam *formalem.* Definitio autem quae datur secundum causam formalem non potest ulterius demonstrari per aliquod principium *intrinsecum* rei quod proprie pertineat ad *quod quid est,* utpote *intrans essentiam rei.* Sed etsi demonstretur per causam *efficientem* et *finalem,* dicendum erit quod semper causa *superior* se habet ut *formalis* respectu inferioris" (24). Et sic finis est maxime formalis respectu ceterarum causarum, utpote *ratio* earum in causando.

519. Idemque accidit *universaliter* in *cognitione scientifica,* ut ipse S. Doctor subtiliter animadvertit. "Quia id quod est *ultimum in cognitione est materia.* Nam materia est propter formam, forma autem est ab agente propter finem, nisi ipsa sit finis: ut puta dicimus quod propter secare serra habet dentes, et ferreos oportet eos esse ut sint apti ad secandum" (25). "Non enim finis est talis quia materia est talis, sed potius materia est talis quia finis est talis" (26). "Quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiae sumitur ex ordine ad finem, sicut materia serrae est ferrum, ut sit apta sectioni" (27).

ART. 3

ANALOGIA PROPORTIONALITATIS PROPRIAE

520. Sed praeterea analogantur analogia proportionalitatis propriae si sumantur binae et binae, scilicet formalis et materialis inter se, et finalis atque efficiens ad invicem comparatae. Hoc enim habent huiusmodi duae series causarum, quod in ambabus una est causa alterius et vicissim in diverso genere causae.

(23) *In I Post.*, lect., 16, n.° 5.
(24) *In II Post.*, lect. 8, n.° 3.
(25) *In I Physic.*, lect. 1, n.° 5.
(26) *In I Physic.*, lect. 15, n.° 5.
(27) *Summa theol.*, III, 74, 2c.

I

Inter causam finalem et efficientem

521. Causa enim finalis est causa causalitatis causae efficientis, non autem entitatis eius. Ita sanitas, quae est finis medicationis, non est causa entitatis medici, sed operationis eius medicativae tantum, quae est eius causalitas qua talis (1). Et vicissim causa efficiens est causa entitatis finis, non vero causalitatis eius. Quia per operationem agentis obtinetur finis in re, idest *res* quae est finis, non autem causatur causalitas eius, quae natura prior est operatione illa. "Unde efficiens est causa *illius quod est finis*, ut puta deambulatio ut *sit* sanitas, *non tamen facit finem esse finem*, et ideo non est causa causalitatis finis, idest *non facit finem esse causam finalem:* sicut medicus facit sanitatem *esse in actu, non tamen facit quod* sanitas *sit finis*" (2).

522. Causalitas finis pertinet ad ordinem *intentionis*, quia finis prout est in intentione habet rationem causae (3); causalitas vero agentis spectat ad ordinem *executionis*, respectu cuius entitas realis sive res quae est finis habet rationem causati. Ad hunc enim ordinem pertinet operatio agentis in finem ducens, quae quidem "vel est *factiva* [rei quae est] finis, quando finis non excedit virtutem eius quod operatur propter finem, sicut medicina est factiva sanitatis; vel est *meritoria* finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem, unde exspectatur finis ex dono alterius" (4).

Finis ergo in executione, sive finis effectus vel obtentus in re, est posterior causalitate causae efficientis eiusque effectus; sed finis in intentione, qui est finis ut causa, est prior causalitate causae efficientis eiusque causa.

Quam ob rem ait S. Thomas quod finis, "etiamsi primatum obtineat *in causando* secundum quod est in intentione, est tamen *in essendo* posterior" (5). Aut brevius: "finis est posterior *in esse*, sed prior *in*

(1) "Sanitas enim non facit medicum *esse medicum*, et dico sanitatem quae fit operante medico, sed facit ut medicus *sit efficiens*" *(De principiis naturae*, cap. 4, p. 94, 12-14).

(2) *Ibid.*, p. 94, 6-11. "Efficiens est causa finis quantum ad *esse* quidem. quia movendo perducit efficiens ad hoc quod *sit* finis. Finis autem est causa efficientis, non quantum ad esse, sed quantum ad rationem *causalitatis*" *(In V Metaph.*, lect. 2, n.° 775)

(3) *Summa theol.*, I-II, 1, 1 ad 1.

(4) *Op. cit.*, I, 62, 4c.

(5) *Summa contra Gentiles*, III, 18, 1.

intentione" (6); "ultimum in generatione est primum in intentione" (7); "primum in intentione est ultimum in executione" (8).

II

Inter causam formalem et materialem

523. Similiter causa formalis et materialis sunt ad invicem causae in diverso genere et pro suo quaeque modo. Et quidem utraque quantum ad esse, quia utraque causat entitate sua, non autem sua operatione. Et sic formalis causa est causa causae materialis secundum quod est, nempe ut actus et perfectio materiae: ac vicissim causa materialis est
causa causae formalis secundum quod est, scilicet ut potentia receptiva
et limitativa formae. Illa ergo ut actus primus informans et actuans ma-
teriam; haec vero ut potentia prima informabilis et actuabilis a forma.

524. Hinc Angelicus: "materia dicitur causa formae, in quantum for-
ma non est nisi in materia; et similiter forma est causa materiae, in
quantum materia non habet esse in actu nisi per formam" (9)." Secun-
dum genus causae materialis materia est causa formae *quasi sustentans*
ipsam; et forma est causa materiae *quasi faciens eam esse actu* secun-
dum genus causae formalis" (10).

"Forma autem et materia sibi invicem sunt causae quantum ad *esse*.
Forma quidem materiae in quantum *dat ei esse actu*, materia vero
formae in quantum *sustentat* ipsam" (11). "Forma *perficit* materiam,
et materia *sustinet* formam" (12).

"Forma enim, in quantum *perficit* materiam *dando* ei esse, quodammodo *supra ipsam effunditur;* in quantum vero *in seipsa* habet esse, *in seipsam redit*", et unitatem retinet (13). Materia autem, in quantum *perficitur* a forma *recipiendo* ab ea esse in actu, *quodammodo colligitur et congregatur sub ipsa*, et ad unitatem formae accedit.

"Forma *proprie limitatur et finitur per materiam*"; quia "creaturae materiales habent infinitatem ex parte materiae, sed finitatem ex parte

(6) *De Malo*, 2 ,3c, in fine. "Finis autem licet sit primum in intentione, est tamen postremum in operatione" *(De Pot.*, 7, 2 ad 10).

(7) *Summa contra Gentiles*, III, 66, 3.

(8) *Quodlib.*, 8, 2 ad 1.

(9) *De principiis naturae*, cap. 2, p. 94, 19-22.

(10) *In IV Sent.*, d. 17, 1, 4, qla. 1c, n.° 125.

(11) *In V Metaph.*, lect. 2, n.° 775. "Forma est quodammodo causa materiae in quantum *dat* esse actu, quodam vero modo materia est causa formae in quantum *sustentat* ipsam" *(De Verit.*, 9, 3 ad 6).

(12) *De Verit.*, 28, 7c.

(13) *Summa theol.*, I, 14, 2 ad 1.

formae, quae *limitatur per materiam in qua recipitur*" (14). Infinitatem, inquam, potentialem sive indeterminationem, quatenus materia prima est pura potentia receptiva respectu cuiuscumque formae.

525. Qua de re iterum S. Thomas egregie: "*finitur quodammodo et materia per formam et forma per materiam.* Materia quidem per formam, in quantum materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas, sed *cum recipit unam terminatur per illam.* Forma vero finitur per materiam, in quantum forma in se considerata communis est ad multa, sed *per hoc quod recipitur in materia fit forma determinate huius rei.*

Materia autem perficitur per formam per quam finitur. Et ideo infinitum secundum quod attribuitur materiae habet rationem imperfecti; est enim quasi materia non habens formam. *Forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur.* Unde infinitum secundum quod se tenet ex parte formae habet rationem perfecti" (15).

526. Et inde est quod materia et forma sibi invicem correspondent ac proportionantur, et similiter agens et finis (16). Et ideo talis est agens qualis est finis; et vicissim, talis est finis qualis est agens. Eodemque iure, talis est materia qualis est forma; ac vicissim, talis est forma qualis est materia. Cumque materia se habeat ad formam ut potentia ad actum, universaliter dicendum est talem esse actum qualis est potentia, talemque esse potentiam qualis est actus.

527. Quam ob causam Thomas frequenter inculcat: "forma et materia semper oportet esse *ad invicem proportionata et quasi naturaliter coaptata,* quia proprius actus in propria potentia fit" (17). "Formas autem oportet esse propriis materiis proportionatas, cum se habeant ad invicem sicut potentia et actus; proprius enim actus propriae potentiae respondet" (18). "Omnis autem forma habet determinatam materiam; oportet enim esse proportionem actus et potentiae" (19). Ergo "in omnibus materia proportionatur formae" (20). Atque ex for-

(14) *Op. cit.*, I, 50, 2, obi. 4 et resp.
(15) *Op. cit.*, I, 7, 1c.
(16) Quatuor causarum "duae sibi invicem correspondent, et aliae duae similiter. Nam efficiens et finis sibi correspondent invicem; quia efficiens est principium motus, finis autem terminus. Et similiter materia et forma; nam forma dat esse, materia autem recipit" (*In V Metaph.*, lect. 2, n.° 775).
(17) *Summa contra Gentiles*, II, 81 ad 1.
(18) *Op. cit.*, II, 83, 18.
(19) *Op. cit.*, IV, 84, 2. Cf. *ibid.*, IV, 33, 3; *in IV Sent.*, d. 49, 2, 1 ad 6.
(20) *Summa theol.*, I-II, 37, 4c.

ma accipitur prima radix determinationis materiae, sicut ex fine respectu agentis, et non e converso, propter primatum formae super materiam in essendo et finis super agentem in movendo. Materia namque est propter finem, et non e converso.

Ideo S. Thomas iterum: "cum forma non sit propter materiam, sed potius materia propter formam, ex forma oportet rationem accipere quare materia sit talis et non e converso" (21).

528. Quia igitur proportionalitas est proportio proportionum: ex quo causae efficiens et finalis sunt ad invicem suoque modo proportionatae, itemque causae materialis et formalis, evidenter sequitur inter binas series dari veram ac proprie dictam analogiam proportionalitatis. Quia nimirum ita se habent materia et forma in essendo sicut agens et finis in movendo: atque ita duae primae sunt ad invicem causae pro suo quaeque modo et genere, sicut duae posteriores in suo. Unoque verbo, sicut finis et agens sunt causae ad invicem proportionatae, ita forma et materia.

529. At insuper datur analogia proportionalitatis propriae intra singulas series vel proportiones.

1. Intra ipsam seriem causae materialis et formalis

530. *In serie quidem causae materialis et formalis.* Ex quo enim talis est materia qualis est forma et talis est potentia qualis est actus, necessario sequitur ita distingui vel diversificari potentiam sicut diversificatur actus. "Cum enim potentia dicatur ad actum —ait S. Thomas—, *oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum:* propter quod dicitur quod proprius actus correspondet propriae potentiae" (22). Eademque ratione "quantum unumquodque est in potentia, tantum potest esse in actu" (23).

531. Quam quidem analogiam conceptis verbis tradidit ipse S. Doctor. "Dicitur proportio *habitudo ordinis:* sicut dicimus esse *proportionem* inter materiam et formam, quia materia se habet *in ordine ut perficiatur per formam. Et hoc secundum proportionalitatem quamdam;* quia *sicut* forma potest *dare* esse, *ita* materia potest *recipere* idem esse" (24). Materia namque habet rationem primae potentiae passivae in ordine essendi, forma vero rationem actus primi in eodem ordine. Et ideo sicut nihil recipit in praedicto ordine nisi ratione materia, ita nihil dat nisi

(21) *Op. cit.*, I, 76, 5c. Cf. *De Anima*, 8c.
(22) *Op cit.*, I, 54, 3c.
(23) *In III Physic.*, lect. 12, n.° 6.
(24) *In III Sent.*, d. 1, 1, 1 ad 3, n.° 19.

[…] of Divinity Library

ratione formae. Vel, ut ait Thomas, "sicut nihil patitur nisi ratione potentiae passivae [quae est materia prima], ita nihil agit [= actuat] nisi ratione actus primi qui est forma" prima sive substantialis (25).

532. Qua etiam de causa valet in ordine essendi effatum illud: sicut se habet actus ad actum ita se habet potentia ad potentiam, idest sicut se habet forma ad formam ita se habet materia ad materiam. Consequenter, sicut se habet forma secunda sive accidentalis ad formam primam sive substantialem, puta forma artificialis statuae ad formam naturalem ligni vel lapidis, ita se habet materia secunda vel accidentalis ad materiam primam vel substantialem, puta materia statuae ad materiam ligni. Eademque ratione permutando membra huiusce proportionalitatis, sicut se habet materia accidentalis ad formam accidentalem in artificialibus ita se habet materia substantialis ad formam substantialem in naturalibus.

Hac enim proportionalitate vel analogia —κατ' ἀναλογίαν— docet Aristoteles esse nobis cognoscibilem materiam primam (26). Nam "quod sic se habet ad ipsas substantias naturales sicut se habet aes ad statuam et lignum ad lectum et quolibet materiale et informe ad formam, hoc dicimus *materiam primam*" (27).

533. Atque ulterius ens mobile transcendendo, quod ex materia et forma constituitur sicut ex potentia et actu, pervenimus ad ens creatum etiam spirituale, puta angelum vel animam rationalem, qui evidenter carent materia et forma presse dictis, cum tamen qua entia finita necessario coalescant ex potentia et actu. Solus enim Deus est actus purus, absque ulla cum potentia compositione vel compossibilitate, quia omnis potentia entitativa imperfectionem involvit (28). Ipse ergo solus est *qui est*, iuxta verbum ipsius Dei propriam suam naturam declarantis: Ego sum *qui sum...; Qui est* misi me ad vos (Ex. 3, 14-14). Sua nempe natura est suum proprium esse, idest ipsum esse per essentiam. Unde et "hoc nomen *Qui est*, est maxime proprium nomen Dei" (29). Igitur omne ens praeter Deum, idest omne ens crea-

(25) *De Pot.*, 1, 1c.

(26) *Physica*, I, 7, 191a 9.

(27) *S. Thomas*, in h. l., scilicet *in I Physic.*, lect. 13 n.º 9. "Ut dicatur quod illud est materia prima quod hoc modo se habet ad omnes formas et privationes sicut aes ad idolum et infiguratum" *(De principiis naturae*, cap. 2, p. 85, 11-13).

(28) "Manifestum est autem quod potentia est minus ens quam actus; non enim dicitur potentia ens nisi secundum ordinem ad actum. Unde neque simpliciter dicimus esse quae sunt in potentia, sed solum quae sunt in actu" *(De substantiis separatis*, cap. 5, n.º 24).

(29) *Summa theol.*, I, 13, 11, arg. sed contra.

tum, sive corporale sive spirituale sit, non est actus purus et suum proprium esse, sed necessario debet esse compositum ex actu et potentia.

534. Cum autem in pure spiritualibus seu immaterialibus creaturis non sit materia presse dicta, neque ideo eorum substantia coalescat ex materia et forma proprie dictis, consequens est ut earum propria essentia vel substantia comparetur ad proprium esse ipsarum ut potentia ad actum (30).

535. Res ergo corporales qua tales essentialiter componuntur ex materia et forma sive ex potentia et actu proprii ordinis, scilicet physici sive entis mobilis; sed qua res creatae sive entia finita ut sic componuntur ex potentia et actu ordinis metaphysici, nempe ex propria earum essentia iam composita ex materia et forma et ex proprio esse. In illis igitur datur compositio duplex: alia physica, ex materia et forma, quatenus res physicae vel corporales sunt; alia metaphysica, ex essentia et esse, quatenus sunt res metaphysicae vel creatae.

536. Quae ultima compositio solum viget in creaturis spiritualibus, scilicet in angelis et in anima humana quae, quatenus spiritus et transcendens corpus, est res ordinis metaphysici.

537. Porro tam componentia quam composita in utroque ordine sunt similia atque proportionalia, quia utrobique dantur potentia et actus sicut componentia, et ens physicum atque ens metaphysicum inde resultantia sicut composita. Ergo inter utramque seriem viget analogia proportionalitatis propriae, quae sic efferri potest: sicut res corporalis vel physica componitur reali compositione ex materia et forma quasi ex potentia et actu ordinis physici, ita res creata omnis, etiam spiritualis et incorporea, componitur reali compositone ex essentia et esse veluti ex potentia et actu ordinis metaphysici.

538. Et quia compositio realis ne mente quidem concipi potest sine componentibus realibus et realiter distinctis inter se, necessario consequitur essentiam et esse realia esse atque realiter distingui in omni re creata, sicut materia prima et forma substantialis reales sunt realiterque distinguuntur in omni substantia corporea. Ita namque se ha-

(30) "Oportet igitur quod ipsum esse comparetur ad essentiam quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam" *(Op. cit.*, I, 3, 4c). In rebus materialibus "invenitur duplex compositio. Prima quidem formae et materiae, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita non est suum esse, sed esse est actus eius. Unde ipsa natura comparatur ad suum esse sicut potentia ad actum. Subtracta autem materia et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelis" *(Op. cit*, I, 50, 2c).

bent essentia et esse respectu entis creati vel finiti sicut se habent materia et forma respectu entis mobilis.

539. Et idem asserendum est si ipsamet componentia utriusque seriei ad invicem conferantur. Ita enim se habet materia ad formam sicut essentia ad esse, quia materia se habet ad essentiam ut potentia receptiva ad potentiam receptivam, et forma se habet ad esse ut actus primus ad actum primum sive ut actus entitativus ad actum entitativum. Utraque enim potentia recipit actum sibi correspondentem secundum modum suum, et uterque actus secundum suum modum actuat potentiam sibi aptatam.

Quam quidem analogiam ipse S. Thomas tradidisse videtur hisce paucis verbis: "in anima est *sicut* materiale ipsa simplex essentia; formale autem in ipsa est esse participatum" (31).

540. Eodem iure, sicut forma limitatur per materiam in qua recipitur ita esse limitatur per essentiam in qua recipitur, quia universaliter "nullus actus invenitur *finiri* nisi per potentiam, quae est vis *receptiva*" (32), siquidem "omnis actus alteri inhaerens *terminationem recipit ex eo in quo est;* quia quod est in altero, est in eo per modum recipientis. *Actus igitur in nullo existens nullo terminatur*" (33). Et *ideo forma "limitatur* per materiam in qua *recipitur*" (34), et "*esse non receptum* in aliquo *non est finitum*" (35).

541. Quin etiam huiusmodi analogiam protrahens et amplians, novum argumentum, idque sane pulcherrimum ac stringens, adinvenit ad demonstrandam realem distinctionem essentiae et esse in omni re creata.

Ita enim se habet in omni creatura essentia ad esse sicut potentia operativa ad agere. Essentia namque est potentia receptiva actus essendi; potentia autem operativa est potentia activa actus operandi. Similiter operari sive agere est actus potentiae activae; esse vero est actus potentiae receptivae, quae est essentia. Ubi apparet quod sicut potentia activa et actus operandi sibi mutuo respondent atque proportionantur, ita etiam potentia receptiva sive essentia et esse sive actus essendi sibi invicem proportionantur atque respondent. Potentia activa est potentia immediata operandi; agere autem est actus proprius et immediatus praedictae potentiae. Simili modo essentia est potentia immediata essendi; esse vero est actus proprius et immediatus huiusce potentiae.

(31) *Op cit.*, I, 90. 2 ad 1.
(32) *Comp. theol.*, I, 18; ed. R. Verardo, O. P., n.° 35.
(33) *Summa contra Gentiles*, I, 43. 2.
(34) *Summa theol.*, I. 50, 2 ad 4.
(35) *In I Sent.*, d. 8, 5, 1 arg. 2 sed contra.

542. Omnino ergo ad rem scribit S. Thomas: "*semper actus proportionatur ei cuius est actus. Sicut* autem ipsum esse est actualitas quaedam essentiae, *ita* operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis. Secundum enim hoc utrumque eorum est in actu; essentia quidem secundum esse, potentia vero secundum operari" (36). "Actio enim est proprie actualitas virtutis, *sicut* esse est actualitas substantiae vel essentiae" (37).

Et ideo ad particularia descendens, concludit: "*eodem modo* comparatur intellectus ad intelligere *sicut* essentia ad esse" (38); "*ita* se habet intelligere ad intellectum in actu *sicut* esse ad ens [= essentiam] in actu" (39).

543. Et inde argumentum: ita se habet essentia ad esse in omni re creata sicut se habet potentia activa ad agere. Atqui in omni creatura realiter distinguuntur potentia activa et agere: tum quia saepe realiter separantur, eo quod semper retinemus potentias operativas, v. g. intellectum et voluntatem, quin tamen semper actu intelligamus aut velifus; tum etiam quia actus multiplicantur quin multiplicentur potentiae respectivae, siquidem uno solo intellectu multoties intelligimus, unaque sola voluntate pluries volumus. Ergo in omni re creata realiter distinguuntur essentia et esse (40).

2. Intra ipsam seriem causae efficientis et finalis

544. Eademque analogia proportionalitatis propriae viget in alia serie causae efficientis et finalis, ita quidem ut secundum ordinem finium sit ordo agentium et vicissim.

Sicut ergo in ordine causarum efficientium causa prima est causa pura et per essentiam, dum causae secundae sunt causae causatae et per participationem a causa prima, ita sane ut ipsa sit maxima causa extensive et intensive, cum se extendat ad omnes causas et effectus, et quidem fortius atque efficacius quam omnes causae secundae: ita etiam in ordine causarum finalium finis ultimus est finis purus et per essentiam, ceteri vero fines intermedii et non ultimi sunt fines finiti et per

(36) *De spiritualibus creaturis*, 11c.
(37) *Summa theol.*, I, 54, 1c.
(38) *Comp. theol.*, I, 30 n.° 62.
(39) *Summa theol.*, I, 34, 1 ad 2.
(40) Praedictum argumentum suggerunt haec praeclara verba S. Doctoris: "sicut se habet essentia ad esse ita posse ad agere. Ergo permutatim, sicut se habent esse et agere ad invicem ita se habent potentia et essentia. Sed in solo Deo idem est esse et agere. Ergo in solo Deo idem est potentia et essentia. Anima ergo non est suae potentiae" (*De Anima*, 12, arg. 1 sed contra).

participationem a fine ultimo simpliciter, qui pariter est maximus finis extensive et intensive, cum eius influxus se porrigat ad omnes fines et omnia media, et quidem vehementius atque efficacius quam ceteri omnes fines intermedii et proximi.

545. Quam ob rem Angelicus iterum: "ultimus finis *hoc modo* se habet in movendo appetitum, *sicut* se habet in aliis motionibus primum movens. Manifestum est autem quod causae secundae moventes non movent nisi secundum quod moventur a primo movente. Unde secunda appetitibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primum appetibile" (41).

Etenim "*sicut* in causis efficientibus virtus primae causae manet in omnibus causis sequentibus, *ita* etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis. Unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem: sicut medicus, dum colligit herbas actu, intendit conficere potionem, nihil fortasse de sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis seipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quae propter seipsum facit manet intentio ultimi finis, qui Deus est" (42).

546. Nec solum adest proportionalitas haec, quod scilicet sicut se habet finis ad finem, puta fines secundarii et proximi ad finem ultimum, ita se habet causa efficiens ad causam efficientem, nempe causae secundae et proximae ad causam primam —quod est considerare series integras causarum hinc et inde—, verum etiam comparando particulariter singula membra unius et alterius seriei. Et ideo sicut causae primae et universali respondet finis ultimus et universalis, ita causae secundae atque particulari correspondet finis secundarius et particularis.

547. Quam quidem analogiam perspicue tradit Doctor Communis scribens: "eodem ordine res referuntur in finem quo procedunt a principio, eo quod agens unusquisque ordinat effectum suum in finem aliquem; et ideo *secundum ordinem agentium est ordo finium*. In progressu autem rerum a principio invenitur unum rerum principium primum, sub quo inveniuntur alia principia propria, quae in diversis sunt diversa: *ita etiam* in referendo res ad finem invenitur ultimus finis omnibus communis, qui est ultimus finis, sed inveniuntur diversi fines proprii secundum diversitatem entium" (43).

(41) *Summa theol.*, I-II, 1, 6c.
(42) *De caritate*, 11 ad 2.
(43) *In II Sent.*, d. 38, 1c.

Et pressius alio in loco: "*sicut* est ordo in causis agentibus *ita etiam* in causis finalibus, ut scilicet secundarius finis a principali dependeat *sicut* secundarius agens a principali dependet" (44).

548. Equidem "*ad ordinem agentium sequitur ordo in finibus;* nam *sicut* supremum agens movet omnia secunda agentia, *ita* ad finem supremi agentis oportet quod ordinentur omnes fines secundorum agentium. Quidquid enim agit supremum agens, agit propter finem suum. Agit autem supremum agens actiones omnium inferiorum agentium movendo omnes ad suas actiones, et per consequens ad suos fines. Unde sequitur quod omnes fines secundorum agentium ordinentur a primo agente ad finem suum proprium" (45), qui hoc modo evadit finis communis omnium secundorum agentium.

549. Quod alibi clariori adhuc modo reddit, dicens: "*secundum ordinem agentium est ordo finium,* ita quod *primo agenti respondet finis ultimus, et proportionaliter per ordinem alii fines aliis agentibus.* Si enim consideretur rector civitatis et dux exercitus et unus miles, constat quod rector civitatis est prior in ordine agentium, ad cuius imperium dux exercitus ad bellum procedit, et sub quo est miles qui secundum ordinationem ducis exercitus manibus pugnat. Finis autem militis est prosternere hostem; quod ulterius ordinatur ad victoriam exercitus, quod est finis ducis; et hoc ulterius ordinatur ad bonum statum civitatis vel regni, quod est finis rectoris vel regis. Esse ergo quod est proprius effectus et finis in operatione primi agentis, oportet quod teneat locum ultimi finis" ceterorum sub eo agentium (46).

550. Et vicissim "*ordo finium est sicut ordo agentium. Quanto enim aliquod agens est superius et universalius, tanto et finis propter quem agit est universalius bonum:* nam omne agens agit propter finem et propter aliquod bonum. Et hoc manifeste apparet in rebus humanis. Nam rector civitatis intendit bonum aliquod particulare, quod est civitatis bonum: rex autem, qui est illo superior, intendit bonum universale, scilicet totius regni pacem" (47).

551. Eademque ratione sicut ad finem naturalem consequendum requiruntur et sufficiunt vires naturales agentis, ita ad finem supernaturalem merendum atque attingendum postulantur vires supernaturales

(44) *Summa contra Gentiles*, III. 109.
(45) *Op. cit*, III, 17, 6.
(46) *De Pot.*, 7, 2 ad 10.
(47) *De Malo*, 1, 1c.

gratiae, quin mere naturales sufficiant. Et hoc quidem valet pro toto ordine executionis, scilicet ab ipsa dispositione vel praeparatione ad gratiam habitualem usque ad consummationem eius in gloria.

552. Unde et Thomas, qui hanc applicationem ad ordinem supernaturalem expresse fecit, ait: "quod autem ad hoc [scilicet ad praeparationem ad gratiam] indigeamus auxilio Dei moventis, manifestum est. Necesse est enim, cum omne agens agat propter finem, quod omnis causa convertat suos effectus ad suum finem. Et ideo, *cum secundum ordinem agentium sive moventium sit ordo finium, necesse est quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis,* ad finem autem proximum per motionem alicuius inferiorum moventium: sicut animus militis convertitur ad quaerendum victoriam ex motione ducis exercitus, ad sequendum autem vexillum alicuius aciei ex motione tribuni. Sic igitur, cum Deus sit *primum movens simpliciter,* ex eius motione est quod *omnia in ipsum convertantur* secundum *communem* intentionem boni per quam unumquodque intendit assimilari Deo secundum suum modum... Sed homines *iustos* convertit *ad seipsum* sicut ad *specialem* finem quem intendunt et cui cupiunt adhaerere... Et ideo *quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse nisi Deo ipsum convertente.* Hoc autem est praeparare se ad gratiam, quasi ad Deum converti... Unde patet quod homo *non potest se praeparare ad lumen gratiae suscipiendum nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis*" (48).

553. Uno verbo, "converti ad beatitudinem ultimam [= ad Deum ut est finis ultimus supernaturalis] est supra naturam", et non sufficiunt vires naturales hominis vel angeli (49). Et hac de causa homo sanus et angelus per vires suas naturales possunt "Deum diligere super omnia prout est principium et finis *naturalis* boni", non autem "secundum quod est obiectum beatitudinis" aeternae "et secundum quod homo habet quandam societatem spiritualem cum Deo", prout nempe est principium et finis boni supernaturalis, sed ad hoc requiritus caritas, quae est ex gratia Dei (50).

554. Et sic plene intelliguntur quae alibi dicit congruenter: "*finis* ad quem res creatae ordinantur est *duplex. Unus* qui *excedit proportionem naturae creatae et facultatem:* et hic finis est vita aeterna, quae in divina visione consistit; quae est supra naturam cuiuslibet creaturae... *Alius* autem est *finis naturae proportionatus, quem scilicet res creata potest*

(48) *Summa theol.*, I-II, 109, 6c.
(49) *Op cit.*, I, 62, 2 ad 2.
(50) *Op. cit.*, I-II, 109, 3 ad 1. Cf. 60, 5 ad 4.

attingere secundum virtutem suae naturae. Ad illud autem ad quod non potest aliquid virtute suae naturae pervenire, *oportet quod ab alio transmitattur*" (51), scilicet a Deo per gratiam, iuxta illud Apostoli: gratia Dei vita aeterna (Rom. 6, 23). "Unde nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem *nisi mota a supernaturali agente,* et hoc dicimus *auxilium gratiae*" (52).

(51) *Op. cit.*, I, 23, 1c.
(52) *Op. cit.*, I, 62, 2c.

SECTIO III

CONSECTARIA DUO TRADITAE DOCTRINAE

555. Ex hac porro ordinis consideratione atque divisione facile est eruere nonnullas conclusiones maximi momenti, tum circa notionem ac divisionem scientiae vel philosophiae, tum etiam circa bonum commune universitatis creaturarum.

CAPUT I

PROPRIA INDOLES ATQUE DIVISIO PHILOSOPHIAE

ART. 1

NOTIO ET DIVISIO PHILOSOPHIAE SUMITUR EX CAUSIS

556. Philosophia namque, si nomen ipsum iterpretari velis, idem est ad *studium sapientiae* (1), sive amor vehemens atque assidua mentis applicatio ad scientiam comparandam (2). Scientia autem est cognitio "norerum per suas causas (3). Et quia, ut ex dictis patet (ns. 44-45), "nomen causae ordinem quemdam importat et in causis ordo ad invicem invenitur" (4), ad philosophiam qua scientiam pertinet ex causis veritatem

---

(1) "Neque enim quidquam aliud est φιλοσοφία si interpretari velis quam studium sapientiae" (T. CICERO, *De Officiis*, lib. 2, cap. 2; t. III. p. 327).

(2) "*Studium* autem est animi assidua et vehemens ad aliquam rem magna cum voluntate applicatio, ut philosophiae, poetices, geometriae, litterarum (T. CICERO, *De Inventione Rhetorica*, lib. 1, cap. 25; t. I, p. 28). Cf. S. THOMAS, *in I Metaph.*, lect. 3, n.° 56; *in Matth.*, 5, 6; ed. R. CAI, O. P., n.° 427, Taurini-Romae, 1951; *Summa theol.*, II-II, 186, 2 ad 1; 166, 1c.

(3) ARISTOTELES, *I Post.*, 2, 71b 13; S. THOMAS, in h. l. lect. 4, n.° 5. *Summa contra Gent.*, 94, 2.

(4) *In librum De causis*, prooem. S. THOMAE, p. 3, 12-13.

cognoscere definiendo et demonstrando (5), qua sapientiam vero ordinem perscrutari atque perpendere. "Sapientis enim est ordinare. Cuius ratio est, quia sapientia est potissima perfectio rationis, cuius proprium est congnoscere ordinem. Nam etsi vires *sensitivae* cognoscant res aliquas *absolute, ordinem tamen unius rei ad aliam cognoscere est solius intellectus aut rationis*" (6).

557. Diversae ergo partes philosophiae sumuntur secundum diversum modum definiendi et demonstrandi, atque ideo secundum diversa genera causarum quae in definitionem atque demonstrationem ingrediuntur.

Ut enim docet S. Thomas, "tota ratio divisionis philosophiae sumitur secundum definitionem et modum definiendi. Cuius ratio est, quia definitio est principium demonstrationis rerum" (7).

Art. 2

PHILOSOPHIA NATURALIS DEFINIT AC DEMONSTRAT PER OMNES CAUSAS

558. Quaedam ergo pars, ut physica sive *philosophia Naturalis*, quia considerat ens mobile sive corpus naturale, quod essentialiter constituitur ex materia prima et forma substantiali et necessario dependet ex movente et fine, definit atque demonstrat *per omnes causas.*

559. Nonnunquam quidem *definit* per causam materialem, v. gr. domus est operimentum quoddam ex lapidibus, lateribus et lignis; ira est accensio sanguinis circa cor. Aliquando autem per causam materialem et formalem simul, exempli gratia, domus est operimentum ex lapidibus, cemento et lignis constitutum sub forma quadrangulari, quo protegimur a pluviis, frigore et calore. Interdum vero per omnes causas simul, ut si praedictae definitioni addatur: iuxta regulas artis domificativae structum ad condignum hominis habitaculum (1).

560. Definitio ergo ex sola causa materiali est imperfecta; ex causa materiali et formali, perfectior (2); ex omnibus causis simul, perfectissima. Nam "si inveniretur aliqua definitio quae diceret esse rei secundum comparationem ad omnes causas ipsius proprias, esset perfectissima et una tantum" (3). Atque "ita definitio colligens finem et formam et materiam, comprehendit totum processum generationis naturalis" (4).

(5) "Nam sicut demonstrationes sunt ex causis ita et definitiones" (*In I Physic.*, lect. 1, n.° 5).
(6) S. THOMAS, *in I Ethic.*, lect. 1, n.° 1.
(7) *In I De Anima*, lect. 2, n.° 29.

(1) *Ibid.*, nis. 26-27; in *I Post.*, lect. 16, n.° 5.
(2) *In I De Anima*, lect., 2, n.° 27.

561. Eademque ratione pars haec philosophiae *demostrat* per omnes causas, ut ipse Thomas saepissime repetit. "Cum quatuor sint causae... ad *Naturalem* [Philosophiam] *pertinet et omnes cognoscere et per omnes naturaliter demonstrare,* reducendo questionem propter quid in quamlibet dictarum quatuor causarum, scilicet formam, moventem, finem et materiam" (5).

Ita vg. demonstrat hominem esse mortalem ex parte causae materialis, quia habet corpus corruptibile; per causam vero formalem demonstrat eius animam esse immortalem, quia est immaterialis et spiritualis; per causam efficientem autem demonstrat eum esse animal rationale, quia generatur ex alio animali rationali, sicut equus ex equo et quercus ex quercu; per causam denique finalem demonstrat animam eius plures habere potentias, et quidem numerosiores quam alia viventia inferiora, puta plantae et animalia bruta, quia eius anima dignior est et maioris boni capax, quod nonnisi pluribus motibus et operationibus assequi potest. Nam quatenus anima, idest animans corpus, debet habere plures facultates organicas tam vegetativas quam sensitivas; quatenus vero spiritus, hoc est, proportionem corporis excedens, habere debet plures facultates anorganicas, intellectum nempe et voluntatem. Et quidem organicae eius facultates tantae ac tales debent esse, ut congrue atque efficaciter subservire possint facultatibus superioribus. Unde et eius sensus interiores sunt multo perfectiores quam interiores sensus inferiorum animalium (6).

562. Et quia causa finalis est omnium prima atque potissima, ut supra ostensum est (ns. 511-519), consequitur demonstrationes ex vero ac reali fine esse quoque potissimas in hac parte philosophiae. Ita videmus partes et organa plantarum et animalium sic esse structas et disposita ut apprime exerceant functiones suas pro bono communi totius viventis, idest pro conservatione, evolutione et salute individuorum et speciei.

Qua de re Doctor Communis: "videmus autem in operibus naturae accidere vel semper vel frequenter quod melius est; sicut in plantis folia

(3) *In I Sent.*, d. 1, exp. textus. Cf. *in II Sent.*, d. 27, 2 ad 9.
(4) *In II Physic.*, lect., 15, n.° 5.
(5) *In II Physic.*, lect. 11, n.° 1. Cf. *ibid*, nis. 5-9; lect. 15, n.° 5.
(6) Cf. *Summa theol.*, I, 77, 2.

sic esse disposita ut protegant fructus, et partes animalium sic disponi ut animal salvari possit" (7).

563. Quod demonstrationis genus potissime contingit quando animam viventium perspectam habemus. Quia "sicut dicitur in II de Anima, 4, 415b 7, anima se habet ad corpus non solum in habitudine formae et finis, sed etiam in habitudine causae efficientis. Est enim comparatio animae ad corpus sicut comparatio artis ad artificiatum, ut dicitur in XIII de Animalibus [= de Generatione animalium, II, 4, 740b 25]. Quidquid autem explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite et originaliter in ipsa arte continetur. Et similiter *quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite in anima continetur.* Sicut ergo artis opus non esset perfectum si artificiato aliquid deesset eorum quae ars continet, ita nec homo posset esse perfectus nisi totum, quod in anima implicite continetur, exterius in corpore explicaretur; nec etiam corpus animae ad plenum proportionaliter responderet" (8).

Anima ergo plantarum et animalium, eo ipso quod est animans tantum et corpori immersa, non autem spiritus, explicat totam suam virtualitatem in corpore. Et ideo possumus eam perfecte cognoscere ex organis et functionibus corporis sui sicut causam ex effectibus, sicut formam ex materia et sicut finem ex mediis, ac vicissim.

564. At vero anima humana, cum non solum sit anima sed etiam *spiritus,* ideoque emergens a suo corpore illudque transcendens, non explicat totam virtualitatem suam in corpore, puta vim intelligendi et volendi, sed dispositionem tantum ac praeparationem ad illam, quia sensus sunt praeambula et quasi dispositiones ad operationes intellectus et voluntatis. Qua de causa animae inferiores plantarum et animalium, quae nonnisi animae sunt, totae sunt in toto corpore *totalitate virtutis;* quod non contingit in anima humana, "quia virtus eius capacitatem corporis excedit" (9), in quantum est spiritus. Est tamen tota in toto corpore totalitate virtutis in quantum est anima, idest animans atque informans corpus, nempe quantum ad eius virtutem vegetativam et sensitivam.

565. Quod et S. Thomas explicite docuit. "Si autem, inquit, accipiatur totalitas quantum ad virtutem et potestatem, sic non est tota in qualibet parte corporis nec etiam in toto, si *loquamur de anima homi-*

(7) *Summa contra Gentiles,* III. 3, 8
(8) *In IV Sent.,* d. 44, 1, 2, qla. 1c. Cf. *in II De Anima,* lect. 7, nis. 321-323.
(9) *De Spiritualibus creaturis,* 4c, in fine.

nis". Huic enim animae, "quia excedit corporis capacitatem, remanet virtus ad operationes quasdam sine communicatione corporis, sicut intelligere et velle. Unde intellectus et voluntas non sunt actus alicuius organi corporalis. Sed *quantum ad alias operationes, quas exercet per organa corporalia, tota virtus et potestas eius est in toto corpore,* non autem in qualibet parte corporis, quia diversae partes corporis sunt proportionatae ad diversas operationes animae. Unde secundum illam potentiam tantum est in aliqua parte quae respicit operationem quae per illam partem corporis exercetur" (10).

566. Semper tamen suprema ratio structurae et complexionis corporis organici sumitur ex anima eius, quia anima est *finis* corporis sicut forma materiae et actus potentiae. Unde iterum Aquinas: "cum materia sit propter formam et non e converso, *ex parte animae oportet accipere rationem quale debeat esse corpus cui unitur;* unde in II de Anima, 4, 415b 7, dicitur quod anima non solum est corporis forma et motor, sed etiam *finis*" (11). Et ideo unaquaeque species animae postulat et exigit corpus organicum specie distinctum. Unde corpus belluinum, etiam perfectissimi animalis, non potest animam humanam recipere neque ab ea informari; neque corpus humanum informari anima belluina. "Non est igitur possibile quod anima canis ingrediatur corpus lupi, vel anima hominis aliud corpus quam hominis". Immo nec anima unius hominis corpus alius hominis. Nam "quae est proportio animae hominis ad corpus hominis, eadem est porportio huius hominis ad corpus huius hominis. Non est igitur possibile animam huius hominis ingredi aliud corpus quam istius hominis" (12).

567. Consequenter structura organica corporis humani eiusque complexio tales esse debent ut congruenter serviant animae in operationibus suis, non solum vegetativis et sensitivis ut accidit in corporibus plantarum et animalium, sed etiam, idque potissime, in operationibus eius specificis et maxime propriis, intellectus scilicet et voluntatis. Quae quidem operationes indigent sensibus *ex parte obiecti,* quia humanus intellectus non habet naturaliter species intelligibiles inditas sicut angeli, sed debet eas acquirere per abstractionem intellectus agentis e sensibilibus a sensibus perceptis eique oblatis. Unde et experientia comperimus quod "deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum quae apprehenduntur secundum illum sensum, sicut caecus natus non potest habere notitiam de coloribus" (13).

(10) *De Anima,* 10 c, in fine.
(11) *De Anima,* 8c, initio. Cf. *Summa theol.,* I, 76, 1c.
(12) *Summa contra Gentiles,* II, 73, 3.
(13) *Summa theol.,* I, 84, 3c.

568. Oportet ergo "quod species intelligibiles a rebus exterioribus accipiat mediantibus potentiis sensitivis, quae sine corporeis organis operationes proprias habere non possunt. Unde et animam humanam necesse est corpori uniri. Si ergo propter hoc anima humana unibilis est corpori quia indiget accipere species intelligibiles a rebus mediante sensu, *necessarium est quod corpus cui anima rationalis unitur tale sit ut possit esse aptissimum ad repraesentandum intellectui species sensibiles ,ex quibus in intellectu intelligibiles species resultent. Sic ergo oportet corpus, cui anima rationalis unitur, esse optime dispositum ad sentiendum*" (14) secundum sensus exteriores et maxime secundum interiores.

569. Semperque redit idem principium. "Cum enim anima humana sit intellectiva in potentia, unitur corpori ut per sensus accipiat species intelligibiles quibus fit intelligens actu. *Non enim unio animae ad corpus est propter corpus, sed propter animam;* non enim forma est propter materiam, sed materia propter formam" (15).

570. Et quia sicut se habet tota anima ad totum corpus ita se habet pars potentialis animae ad partem corporis (16), ideo "*potentiae non sunt propter organa, sed organa propter potentias.* Unde non propter hoc sunt diversae potentiae quia sunt diversa organa, sed ideo natura instituit diversitatem in organis ut congruerent diversitati potentiarum" (17).

Talis ergo est organica structura oculi qualis requiritur ad videndum, et similiter structura auris ad audiendum, aliorumque organorum ceterorum sensuum ad functiones eisdem correspondentes.

Immo sicut in potentiis datur ordo causalitatis finalis in quantum vegetativae sunt propter sensitivas et inferiores propter superiores, ita et in organis respectivis. Homo namque est totum quoddam, et similiter organismus corporalis eius. "Si autem alicuius totius et partium

(14) *De Anima*, 8c. "*Anima unitur corpori propter intelligere, quod est propria et principalis eius operatio*, et ideo requirit quod corpus unitum animae rationali sit optime dispositum ad serviendum animae in his quae sunt necessaria ad intelligendum" (*ibid.*, ad 15).

(15) *De Malo* 5, 5c. Cf *Summa theol.*, I, 76, 5c.

(16) "Partes animae se habent ad partes corporis sicut tota anima ad corpus totum. Unde si pupilla esset animal, visus esset anima eius " (*In I Sent.*, d. 8, 5, 3c). "Si oculus esset animal, oporteret quod visus esset anima eius; quia visus est substantialis forma oculi, et oculus est materia visus, sicut corpus organicum materia animae" (*In II de Anima*, lect. 2, n.° 239). "Sicut oculus est aliquid compositum ex pupilla sicut materia et visu sicut forma, ita animal est compositum ex anima sicut forma et ex corpore sicut materia" (*ibid.*, n.° 241).

(17) *Summa theol.*, I, 78, 3c. Cf. *De Anima*, 13 ad 6.

eius velimus *finem* assignare, invenimus primo quidem quod singulae partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum; secundo vero quod pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum et pulmo propter cor; tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam, partes enim sunt quasi materia totius" (18).

571. Sumendo igitur totalitatem organicam corporis humani, quia "*finis* proximus humani corporis est anima rationalis et operationes eius: materia enim est propter formam, et instrumenta propter actiones agentis", dicendum est "quod Deus instituit corpus humanum in optima dispositione secundum convenientiam ad talem formam et ad tales operationes" (19).

Qua de causa, "quia ad bonam habitudinem potentiarum sensitivarum interiorum, puta imaginationis et memoriae et cogitativae virtutis, *necessaria est bona dispositio cerebri*, ideo factus est homo habens maius cerebrum inter omnia animalia secundum prop rtionem suae quantitatis: *et ut liberior sit eius operatio, habet caput sursum positum*, quia solus homo est animal rectum, alia vero animalia curva incedunt" (20).

572. Ut enim scribit alibi, uberius prosequens demonstrationem istam, "habere staturam rectam conveniens fuit homini propter quatuor. *Primo* quidem quia sensus sunt dati homini non solum ad vitae necessaria procuranda sicut aliis animalibus, sed *etiam ad cognoscendum.* Unde cum cetera animalia non delectentur in sensibilibus nisi per ordinem ad cibos et venerea, solus homo delectatur in ipsa pulchritudine sensibilium secundum seipsam. Et ideo, quia sensus praecipue vigent in facie, alia animalia habent faciem pronam ad terram quasi ad cibum quaerendum et providendum sibi de victu; homo vero habet faciem erectam, ut per sensus, et praecipue per visum qui est subtilior et plures differentias rerum ostendit, libere possit ex omni parte sensibilia cognoscere et caelestia et terrena, *ut ex omnibus intelligibilem colligat veritatem.*

573. *Secundo, ut interiores vires liberius suas operationes habeant*, dum cerebrum in quo quodammodo percipiuntur non est depressum, sed super omnes partes corporis elevatum.

574. *Tertio*, quia oporteret, si homo haberet pronam staturam, quod

(18) *Op. cit.*, I, 65, 2c.

(19) *Op. cit.*, I, 91, 3c.

(20) *De Anima*, 8c.

uteretur manibus loco anteriorum pedum, et sic *utilitas manuum ad diversa opera perficienda cessaret.*

575. *Quarto,* quia si haberet pronam staturam et uteretur manibus loco anteriorum pedum, oporteret quod cibum caperet ore, et ita haberet os oblongum, et labia dura et grossa, et linguam etiam duram ne ab exterioribus laederetur, sicut patet in aliis animalibus; et talis dispositio omnino *impederet locutionem, quae est proprium opus rationis*" (21).

ART. 3

LOGICA ET MATHEMATICA DEFINIUNT ET DEMONSTRANT PER SOLAM CAUSAM FORMALEM

576. In aliis vero partibus vel scientiis, ut in *Logica et in Mathematica,* solummodo dantur definitiones ac demonstrationes *per causam formalem.* Utraque enim est de secundis intentionibus quas ratio adinvenit in rebus secundum quod sunt intellectae. Res enim prout intellectae induunt modum abstractum a materia singulari vel sensibili, et ratione huiusce status universalitatem quandam praeseferunt atque praedicabilitatem, ita ut aptae sint inesse multis ac de illis praedicari.

577. Ad quod requiritur reflexio et comparatio. *Reflexio* quidem intellectus in res primo ac directe cognitas prout cognitas vel intellectas, idest prout statum induunt abstractum et immaterialem. *Comparatio* autem ad easdem res primo cognitas prout res sunt extra animam existentes, nimirum prout statum habent concretum in materia singulari et sensibili; vel etiam ad alias proprietates aut attributa quae eis conveniunt in statu abstractionis. Et huiusmodi attributa sive proprietates intellectae qua intellectae, puta universalitas et praedicabilitas, quas intellectus in eis adinvenit quaeque relationes rationis sunt, dicuntur entia rationis *obiective* —non mere effective neque subiective, quia tunc essent vel possent esse entia realia— et secundae intentiones intellectae.

578. Primae namque intentiones sunt attributa vel proprietates rei prout in se est, quas ideo intellectus detegit primo actu atque directo quo in rem extra animam fertur. Secundae vero appellantur proprietates vel attributa rei prout intellecta est, quasque proinde intellectus adinvenit secundo actu atque reflexo quo fertur in rem intra animam.

(21) *Summa theol.,* I, 91, 3 ad 3.

579. Non agitur ergo de intentione subiectiva prima vel secunda, qua scilicet intellectus primo vel secundo *intendit* sive applicat vires suas ad intelligendum per actum directum vel reflexum, sed de intentione *obiectiva* prima vel secunda, idest de obiecto intentionis subiectivae primae vel secundae. "*Prima* enim intellecta sunt res *extra animam,* in quae *primo* intellectus intelligenda fertur. *Secunda* autem intellecta dicuntur *intentiones consequentes modum intelligendi*: hoc enim *secundo* intellectus intelligit *in quantum reflectitur supra seipsum,* intelligens se intelligere et modum quo intelligit" (1).

"Sunt autem quaedam rationes quibus in re intellecta nihil respondet, sed ea quorum sunt huiusmodi rationes intellectus *non attribuit rebus prout in seipsis sunt, sed solum prout intellectae sunt,* sicut patet in ratione generis et speciei et aliarum intentionum intellectualium: nam nihil est in rebus quae sunt extra animae cuius similitudo sit ratio generis vel speciei.

Nec tamen intellectus est falsus: quia ea, quorum sunt istae rationes, scilicet genus et species, non attribuit rebus secundum quod sunt extra animam, sed solum secundum quod sunt in intellectu. Ex hoc enim quod intellectus *in seipsum reflectitur,* sicut intelligit res existentes extra animam, ita intelligit eas esse intellectas: et sic, sicut est quaedam conceptio intellectus vel ratio cui respondet res ipsa quae est extra animam, ita est *quaedam conceptio vel ratio cui respondet res intellecta secundum quod huiusmodi:* sicut rationi hominis vel conceptioni hominis respondet res extra animam, *rationi vero vel conceptioni generis aut speciei respondet solum res intellecta*" (2).

580. Licet ergo huiusmodi intentiones secundo intellectae non sint qua tales nec possint esse in rerum natura, quia "esse intentionis intellectae *in ipso intelligi consistit*" (3), non sunt tamen purae fictiones mentis vel potius imaginationis ut chimera, sed fundamentum habent, remotum quidem in re, proximum vero in intellectu (4).

(1) *De Pot.,* 7, 9c. Cf. *In I Sent.,* d. 23, 3c; d. 26, 1, 1 ad 1; *in III Sent.,* d. 6, 1, 1, qla. 1, nis. 23-24.

(2) *De Pot.,* 7, 6c.

(3) *Summa contra Gentiles,* IV, 11, § Dico autem intentionem intellectam.

(4) "Aliquando enim hoc quod intellectus concipit est *similitudo rei existentis extra animam,* sicut hoc quod concipitur de hoc nomine *homo,* et talis conceptio intellectus *habet fundamentum in re immediate,* in quantum res ipsa ex sua conformitate ad intellectum facit quod intellectus sit verus et quod nomen significans illum intellectum proprie de re dicatur.

Aliquando autem hoc quod significat nomen non est similitudo rei existentis extra animam, sed *est aliquid quod consequitur ex modo intelligendi rem quae est extra animam, et huiusmodi sunt intentiones quas intellectus noster adinvenit;* sicut significatum huius nominis *genus* non est similitudo alicuius rei extra animam existentis, sed ex hoc quod intellectus intelligit animal ut in pluribus specie-

581. Et huiusmodi secundae intentiones intellectae sunt proprium obiectum *Logicae,* quae, ut ait S. Doctor, est "de secundo intellectis" (5). Nam "ens est duplex: ens scilicet rationis et ens naturae. Ens autem rationis dicitur *proprie* de illis *intentionibus quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei* et similium, *quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur.* Et huiusmodi, scilicet *ens rationis, est proprium subiectum Logicae*" (6). Ens vero reale est obiectum aliarum scientiarum, quae de primo intellectis occupantur, ut philosophia Naturalis et philosophia Prima. Metaphysica enim est de ente *reali* communi, quia versatur "circa *ipsas res* communes". Logica vero est de ente *rationis* communi, quia versatur circa *secundas intentiones rationis* "quae ad omnes res se habent" (7).

582. Et aliquid simile contingit in *Mathematica,* quae in hac parte merito a Thoma aequiparatur Logicae. "Et *simile* est, inquit, de aliis quae consequuntur ex modo intelligendi, *sicut est abstractio mathematicorum et huiusmodi*" (8).

Abstrahit enim mathematica a materia singulari et sensibili, idest a corpore vel substantia physica eiusque accidentibus quae sensibus obiiciuntur, et solum considerat quantitatem abstractam continuam et discretam, idest magnitudinem et multitudinem,*ut mensurabilem vel numerabilem.* Quod quidem fit secundum rationes et proportiones, quae revera sunt relationes quantitatis dimensivae ad quantitatem dimensivam prout una est maior, minor vel aequalis alteri (9). Et sic mathematica tota est in adinveniendis huiusmodi relationibus, quasi intentionibus, entis mathematici, quod est mera et pura quantitas ut sic. Nec enim mathematica considerat quantitatem ut est primum accidens substantiae corporeae —hoc enim spectat ad philosophiam Naturalem—, sed unice et formaliter ut est pura quantitas, idest ut *mensurabilis* —trina *dimensio*— et divisibilis ac numerabilis.

583. Et hac de causa corpori vel quantitati mathematicae alia attributa vel proprietates conveniunt, et alia corpori sive quantitati physicae. Illa enim quantitas est augmentabilis et diminuibilis sive divisibilis in indefinitum; haec autem terminum habet definitum, cum quadam tamen latitudine, in augmento et diminutione.

bus, attribuit ei intentionem generis. *Et huiusmodi intentionis, licet proximum fundamentum non sit in re sed in intellectu, tamen remotum fundamentum est res ipsa.* Unde intellectus non est falsus qui has intentiones adinvenit" *(In I Sent.,* d. 2, 3c).

(5) *In librum Boëthii De Trinitate,* 6, 1 ad 3, p. 210, 14.

(6) *In IV Metaph.,* lect. 4, n.° 574.

(7) *In I Post.,* lect. 20, n.° 5. "Aliae scientiae sunt de rebus et aliae de intentionibus intellectis" *(Summa contra Gentiles,* IV, 11).

(8) *In I Sent.,* d. 2, 3c.

(9) Cf. *in V Metaphy.,* lect. 17, nis. 1006-1022.

Qua de re Thomas apposite: "licet corpus *mathematice* acceptum sit divisibile in infinitum, corpus tamen *naturale* non est divisibile in infinitum. *In corpore enim mathematico non consideratur nisi quantitas, in qua nihil invenitur divisioni repugnans.* Sed in corpore *naturali* invenitur *forma naturalis,* quae requirit *determinatam* quantitatem, *sicut et alia accidentia.* Unde non potest inveniri quantitas in specie carnis nisi infra aliquos terminos determinata" (10).

584. Insuper figurae geometricae ideales, secundum quod concipiuntur et definiuntur a geometra, non possunt examussim in re componi neque generari, quia superficies physica in qua describi debent non patitur geometricam acribeiam. "Unde non est idem iudicium quandoque de linea mathematica quod est de linea sensibili; sicut in hoc quod recta linea tangit sphaeram solum secundum punctum, quod convenit rectae lineae separatae [= mathematicae], non autem rectae lineae in materia", idest lineae physicae, puta lineae lapideae vel argenteae (11).

585. Itaque dicendum est quod huiusmodi praedicata sive proprietates aut intentiones quantitatis, quas mathematicus adinvenit, non conveniunt quantitati physicae quae est extra animam, sed quantitati ut intellectae et abstractae a statu reali physico, atque induenti statum ac modum idealem mathematicum. Quo fit, ut tales intentiones obiectivae sint entia quaedam rationis ad puram quantitatem limitata, et non sicut ens rationis logicum ad omnia se porrigens. Sunt ergo, sicut intentiones logicae, non merae fictiones chimericae, sed fundamentum habentes remotum quidem in quantitate physica, proximum autem in intellectu abstrahente quantitatem mathematicam cui tales intentiones natae sunt convenire.

586. Omnes tamen huiusmodi intentiones logicae et mathematicae, nempe universalitas, singularitas et praedicabilitas ex parte Logicae, atque divisibilitas et mensurabilitas ex parte Mathematicae, sunt *pure formales* et a materia abstrahentes, et ideo utraque scientia non definit neque demonstrat aliquid nisi per causam formalem.

(10) *In I Physic.,* lect. 9, n.° 9 Cf. *in II Sent.,* d. 14, 1 ad 4; d. 30, 2, 2c; *De Pot.,* 4, 1 ad 5. "Determinare *de dimensionibus* corporum *in quantum huiusmodi,* per se pertinet ad mathematicum" *(In I de Caelo,* lect. 2, n.° 7). "Omnes species quantitatis sunt mathematica quaedam" *(De Pot.,* 9, 7c).

(11) *In librum Boëthii De Trinitate,* 6, 2c, p. 216, 23-26.

587. Quae quidem conclusio pro scientia mathematica ex eo etiam comprobatur, quod mathematica omnis aut est de quantitate continua ut Geometria, aut de quantitate discreta ut Arithmetica.

588. *Geometria* autem considerat quantitatem continuam maxime ut figurabilem et mensurabilem. *Ut figurabilem* quidem, prout scilicet figuras quasdam geometricas induere potest, puta figuram trianguli, circuli, quadrati, sphaerae, pyramidis. *Ut mensurabilem* autem, prout tanta vel quanta dicitur, vg. linea trium vel quatuor palmorum, superficies viginti pedum, altitudo vel profunditas quindecim cubitorum.

Porro *figura* est *forma* quaedam, eo quod essentialiter est "*forma quanti in quantum huismodi* (12), idest "*quaedam forma circa quantitatem*" (13). Et ideo "figura abstrahit secundum suam rationem ab omni materia et forma sensibili, *cum sit quoddam mathematicum*" (14).

Et similiter *mensura* respectu mensurati habet rationem *formae*, cum sit principium cognitionis eius, siquidem "mensura nihil aliud est quam *id quo quantitas rei cognoscitur*" (15).

589. Quod quidem maxime apparet in *numeratione* quantitatis discretae quam *Arithmetica* considerat, quia unitas "est prima mensura numeri, qua omnis numerus mensuratur" (16). Unitas autem respondet *formae*, a qua unaquaeque res sicut habet esse, habet etiam unitatem (17).

Et inde est quod "unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem" (18). Divisio e contra atque pluralitas vel multitudo inde consequens, respondet potius materiae.

590. Iure igitur S. Thomas docet definitiones Logicae et Mathematicae esse pure formales, utpote in quibus nihil materiae ponitur. Ita est mere dialectica et pure formalis haec definitio irae: appetitus vindictae, quia in ea "nihil est ex parte corporis", sed "considerat formam tantum" (19). "Unde et logici definitiones dicuntur *formales*" (20). Et similiter "mathematica, ut par et impar, et rectum et curvum, et numerus et linea et figura, *definiuntur sine motu et materia*" (21). Eo

(12) *Summa theol.*, I, 7, 3c.
(13) *Op. cit.*, I, 7, 1 ad 2. "Figura est quaedam forma" *(De Pot.*, 6, 7 ad 13).
(14) *Summa contra Gentiles*, III, 105, 3. Cf. *in librum Boëthii De Trinitate*, 5, 3c, p. 184, 20-22.
(15) *In X Metaph.* lect. 2, n.° 1938.
(16) *In V Metaph.*, lect. 8, n.° 872.
(17) *Summa contra Gentiles*, II, 58, 2.
(18) *Summa theol.*, I, 11, 1c.
(19) *In I De Anima*, lect., 2, nis. 24, 27.
(20) *In librum Boëthii De Trinitate*, 4, 2c, p. 141, 28,
(21) *In II Physic.* lec. 3, n.° 7.

enim ipso quod abstrahunt a materia physica et sensibili et a qualitatibus activis et passivis, "in eorum definitionibus non ponitur materia sensibilis" neque motus (22).

591. Atque una simul Logicam et Mathematicam sumens, scribit: "principia quarundam scientiarum, ut Logicae, Geometriae et Arithmeticae, sumuntur *ex solis principiis formalibus* rerum ex quibus essentia rei dependet" (23). "Logicus et Mathematicus *considerant tantum res secundum principia formalia*. Unde nihil est impossibile in logicis et mathematicis nisi quod est contra rei *formalem rationem*" (24).

Et hac ratione, quia "in scientiis mathematicis proceditur per ea tantum quae sunt de essentia rei", huiusmodi scientiae "*demonstrant solum per causam formalem*" (25), et nullo modo per causam efficientem et finalem, cum abstrahant a materia et motu atque a qualitatibus activis et passivis. Ut enim profunde ait S. Thomas, "*agere et pati non convenit entibus secundum quod sunt in consideratione, sed secundum quod sunt in esse.* Mathematicus autem considerat res abstractas *secundum considerationem tantum. Et ideo illae res, prout cadunt in consideratione mathematici, non convenit esse principium et finis motus:* et ideo mathematicus non demonstrat per causas efficientem et finalem" (26).

592. Et quando scientiae mathematicae confluunt cum scientia physica, ut videre est in optica et in astronomia, quae ob id dicuntur *mixtae* vel *mediae* sive physico-mathematicae, id quod se habet ex parte mathematicae est *formale* respectu eius quod se tenet ex parte physicae. Tales enim scientiae "*magis sunt affines mathematicis*, quia in earum consideratione id quod est physicum est quasi materiale, *quod autem est mathematicum est quasi formale*: sicut musica considerat sonos, non in quantum sunt soni, sed secundum quod sunt secundum numeros proportionabiles, et similiter est in aliis" (27).

(22) *In librum Boëthii De Trinitate*, 5, 1c, p. 165, 27-28. "Non recipiunt in sui definitione materiam" (*Op. cit.*, 5, 3, arg. 2 sed contra, p. 181, 8).
(23) *Summa contra Gentiles*, II, 25, 10.
(24) *De Pot.*, 6, 1 ad 11.
(25) *In librum Boëthii De Trinitate*, 6, 1c, p. 207, 1-2.
lect. 4, nis. 375, 385;
(26) *Op. cit.*, 5, 4 ad 7, p. 199, 14-19. Cf. *in III Metaph.*, lect. 4, nis. 375, 385; *Summa theol.*, I, 5, 3 ad 4. "Mathematica accipiuntur ut abstracta *secundum rationem*, cum tamen non sint abstracta *secundum esse*. Unicuique autem convenit habere causam *agentem* secundum quod habet *esse*. Licet ergo ea quae *sunt* mathematica habeant causam agentem, *non tamen secundum habitudinem quam habent ad causam agentem cadunt sub consideratione mathematici*. Et ideo in scientiis mathematicis non demonstratur aliquid per causam agentem" (*Summa theol.*, I, 44, 1 ad 3).
(27) *In librum Boëthii De Trinitate*, 5, 3 ad 6, p. 189, 2-6. Cf. *Summa theol.*, II-II, q. 2 ad 3.

Art. 4

PHILOSOPHIA MORALIS DEFINIT ATQUE DEMONSTRAT PER OMNES CAUSAS

593. In scientia vero *Morali* dantur definitiones et demonstrationes *per omnes causas*, ita tamen ut pro causis materiali et formali non sumantur materia et forma presse dictae, quia moralitas non est substantia corporea composita ex materia et forma, sed sensu quodam largiori et analogo pro materia *in qua* vel *circa quam*, scilicet pro subiecto psychico vel objecto materiali, et pro objecto formali specificante atque pro ipso especificato —actu vel habitu virtutis et vitii.

594. Et hac de causa virtus, cuius consideratio maxime ad scientiam moralem pertinet, perfecte definitur per quatuor causas hisce verbis: *bona qualitas mentis qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quod si agatur de virtute naturali vel acquisita, loco verborum: quam Deus in nobis sine nobis operatur, poni debent: *quam nos ipsi propriis actibus comparamus.* Causa enim efficiens huius virtutis sicut et causa habitus —virtus enim est habitus operativus bonus— sunt actus nostri, ut experientia constat. Nam citharizando efficiuntur citharistae, pingendo pictores, et sic de aliis (1).

595. Hinc S. Thomas egregie: "ista definitio *perfecte complectitur totam rationem virtutis.* Perfecta enim ratio uniuscuiusque rei colligitur *ex omnibus causis eius.* Comprehendit autem praedicta definitio *omnes causas virtutis.*

Causa namque *formalis* virtutis, sicut et cuiuslibet rei, accipitur ex eius genere et differentia, cum dicitur *qualitas bona.* Genus enim virtutis *qualitas* est; differentia autem, *bona.* Esset tamen convenientior definitio si loco qualitatis, *habitus* poneretur, qui est *genus propinquum.*

Virtus autem *non habet materiam ex qua*, sicut nec alia accidentia, *sed habet materiam circa quam et materiam in qua,* scilicet *subiectum.* Materia autem *circa quam* est *obiectum* virtutis, quod non potuit in praedicta definitione poni, eo quod per obiectum determinatur virtus ad speciem, hic autem assignatur definitio virtutis in communi. *Unde ponitur subiectum loco causae materialis,* cum dicitur quod est bona qualitas *mentis.*

Finis autem virtutis, cum sit habitus *operativus, est ipsa operatio.*

596. Sed notandum est quod habituum operativorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi; aliqui vero quandoque ad bo-

(1) Cf. *Summa theol.* I-II, 51, 1; 63, 2; *De Virtutibus in communi*, 9.

num et quandoque ad malum, sicut opinio quae se habet ad verum et falsum. *Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum.* Et ideo, ut *discernatur* virtus ab his quae *semper* se habent *ad malum,* dicitur: *qua recte vivitur;* ut autem *discernatur* ab his quae se *habent quandoque ad bonum, quandoque ad malum,* dicitur: *qua nemo male utitur.*

Causa autem *efficiens* virtutis *infusae,* de qua definitio datur, *Deus est.* Propter quod dicitur: *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quae quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus et acquisitis et infusis" (2).

597. Cuius ratio fundamentalis est, quia Scientia Moralis subalternatur proprie Psychologiae in sensu pleno et classico acceptae. Ita enim se habet Moralis ad Psychologiam sicut Medicina ad Physiologiam, Biogiam, et Anatomiam (3). Atqui Medicina proprie subalternatur praedictis scientiis de corpore humano (4). Ergo et Moralis subalternatur proprie Psychologiae sive scientiae de anima humana.

598. Unde iterum Thomas: "*non possumus perfecte ad scientiam moralem pervenire nisi sciamus potentias animae.* Et inde est quod Philosophus in Ethicis attribuit quaslibet virtutes diversis potentiis animae" (5). Cum enim virtutes et vitia sint habitus operativi subiectati in potentiis animae rationalibus vel rationem aliquo modo participan-

(2) *Summa theol.*, I-II, 55, 4c. Cf. *in II Sent.*, d. 27, 2c.

(3) "*Sic* ergo se habet politicus [et moralista] ad considerandum de Anima *sicut* medicus ad considerandum de corpore, cuius sanitatem quaerit. Unde manifestum est quod oportet politicum aliqualiter cognoscere ea quae pertinent ad animam, *sicut* medicus qui curat oculos et totum corpus oportet quod considerет de oculis et de corpore toto. Et tanto magis hoc pertinet ad politicum ut consideret animam cuius virtutem inquirit, quanto est melior ipsa quam scientia medicinae... Et ideo oportet quod eius consideratio sit magis completa. Videmus autem quod excellentes medici multa tractant circa cognitionem corporis, et non solum circa medicinales operationes. Unde politicus habet aliquam considerationem de anima" *(In I Ethic.*, lect. 19, n.º 227).

(4) "Aliqua scientia continetur sub alia *dupliciter.* Uno modo *ut pars ipsius,* quia scilicet subiectum eius est pars aliqua subiecti illius, sicut planta est quaedam pars corporis naturalis. Unde scientia de plantis continetur sub scientia naturali ut pars. Alio modo continetur una scientia sub alia *ut ei subalternata,* quando scilicet in superiori scientia assignatur *propter quid* eorum de quibus scitur in inferiori solum *quia,* sicut musica [= musicologia] ponitur sub arithmetica.

Medicina ergo non est pars subiecti scientiae naturalis secundum illam rationem qua est subiectum medicinae. Quamvis enim corpus sanabile sit corpus naturale, non tamen est subiectum medicinae prout est sanabile a natura, sed prout est sanabile ab arte. Sed quia in sanatione quae fit etiam per artem, ars est ministra naturae, quia ex aliqua naturali virtute sanitas perficitur auxilio artis, inde est quod *propter quid* de operatione artis oportet accipere ex proprietatibus rerum naturalium. Et propter hoc *Medicina subalternatur Physicae*" *(In librum Boëthii De Trinitate*, 5, 1 ad 5, p. 170-171.

(5) *In I de Anima*, lect. 1, n.º 7; ARISTOTELES, *Ethica Nicom.* 1, 13, 1102a 18-25.

tibus, non possunt perfecte cognosci neque definiri ignorantis potentiis illis. Neque rursus earum actus, qui a potentiis una cum habitibus egrediuntur. Quod si de habitibus naturalibus et acquisitis fiat sermo, hi naturalibus potentiis animae, quibus insunt, subordinantur.

599. Uno verbo, moralitas, idest bonitas vel malitia moralis, est accidens quoddam actus et habitus humani psychologici sine quo dari non potest, cum sit veluti proprium atque immediatum subiectum *quo* eius. Qua ratione esse morale actus humani comparatur ad esse naturale vel psychologicum eius "*sicut quale* ad *substantiam*" (6). Et ideo ethica non induit proprie loquendo rationem scientiae nisi accipiat principia a psychologia eique continuetur. Haec enim duo cumulative requiruntur ad scientiam subalternatam presse dictam, scilicet accipere principia propria a scientia subalternante, et cum eadem connecti et continuari.

600. Ideo scribit Doctor Communis quod scientiae subalternatae "supponunt *conclusiones* probatas in superioribus scientiis [= subalternantibus] *et eis utuntur pro principiis...:* sicut Perspectiva, quae est *de linea visuali* et subalternatur Geometriae, a qua etiam supponit quae probantur *de linea in quantum linea*, et per illa *tamquam per principia probat conclusiones* quae sunt *de linea in quantum visualis*" (7).

Et rursus ait "quod ille qui habet scientiam subalternatam non *perfecte* attingit ad rationem sciendi nisi in quantum eius cognitio *continuatur* quodammodo cum cognitione eius qui habet scientiam subalternantem" (8).

601. Quod quidem maxime obtinet quando unus idemque homo utramque possidet scientiam. Secus enim non videbit qui habet subalternatam sua principia, quia non videt conclusiones subalternantis, sed eas tenebit per fidem tantum. Quod si haec fides sit mere humana, non sufficit ad fundandam *scientiam* subalternatam, quia fides humana est *infra* scientiam (9). At vero si divina sit, eam satis superque fundare valet, quia talis fides nititur verbo Dei falli et fallere nescii. Unde veritas atque certitudo divinae fidei est incomparabiliter maior quam certitudo et veritas non solum scientiae, sed etiam cuiuscumque virtutis intellectualis acquisitae. Et hac de causa theologia sacra viatorum,

(6) *De Malo*, 2. 6 ad 3.

(7) *In I Sent.*, prolog. 3, qla. 2c.

(8) *De Verit.*, 14, 9 ad 3.

(9) Fides namque humana, licet sit "opinio vehemens", idest firmata vel fortificata rationibus, tota nititur in verbis hominis testificantis, qui fallibilis est, et ideo non excedit limites opinionis quae non est virtus intellectualis, sed est infra scientiam (*In III Sent.*, d. 23, expos. textus, n.° 301; *ibid.*, d. 23, 2, 2, qla. 3 ad 1, n.° 159; *in I Sent.*, prol. 3, qla. 3c; *De Verit.*, 14, 2c; *Summa theol.*, II-II, 129, 6c).

quae subalternatur theologiae Dei et beatorum ab eaque per fidem divinam accipit propria principia quae sunt articuli fidei, est vera atque authentica scientia (10).

Perfectus ergo moralista debet ipse apprime callere psychologiam humanam et universam anthropologiam, ut possit scientiam suam possidere et applicare modo vere scientifico, et non mere empirico.

602. Porro Psychologia, utpote pars quaedam integralis Philosopiae Naturalis (11), definit ac demonstrat per quatuor causas, ut patet ex dictis (ns. 558-575). Ergo similiter Ethica debet per eas omnes definire et demonstrare.

Et sic videmus S. Thomam plura de anima, de potentiis, de habitibus, de passionibus ac de actibus eius disseruisse in Commentario suo super III librum Sententiarum, in Quaestionibus disputatis de Virtutibus et de Malo, ac praesertim in I et II P. Summae theologiae, ut exinde fundamenta sumeret vere scintifica ad res morales pertractandas.

603. Ex natura enim animae humanae qua rationalis et spiritualis ideoque libero gaudens arbitrio, principia haurit moralis considerationis, quia "nullus motus ponitur in genere moris nisi habita comparatione ad voluntatem...; et ideo *ibi incipit genus moris ubi primo dominium voluntatis invenitur*" (12). Voluntas autem in ratione est et a ratione fluit, atque ex utraque participat appetitus sensitivus, qui libertate quadam gaudet. Et ideo moralitas, idest bonitas vel malitia moralis, quae primo convenit actibus et habitibus voluntatis liberae, ab ipsa voluntate profluit atque extenditur ad actus et habitus potentiarum ab ea dependentium et motarum, nempe ad intellectum et ad appetitum sensitivum, immo et ad ipsa membra corporis prout voluntate libera moventur in bonum vel malum opus exercendum (13).

604. Maxime vero Scientia Moralis definit ac demonstrat per causam *finalem*, eo quod bonitas et malitia moralis definiuntur secundum conformitatem vel disconformitatem obiecti, actus et habitus ad regulas et principia morum, quae ex fine potissime sumuntur.Et hoc ideo, quia finis est proprium atque formale obiectum voluntatis (14). Finis autem

(10) *Summa theol.*, I, 1, 2c; II-II, 1, 5 ad 2.

(11) "Terminus considerationis Scientiae Naturalis est circa formas quae quidem sunt aliquo modo separatae, sed tamen esse habent in materia. Et huiusmodi formae sunt *animae rationales*, quae quidem sunt separatae in quantum intellectiva virtus non est actus alicuius organi corporalis sicut virtus visiva est actus oculi, sed in materia sunt *in quantum dant esse naturale tali corpori*" (*In II Physic.*, lect. 4, n.° 10).

(12) *In II Sent.*, d. 24, 3, 2c.

(13) Cf. *Summa theol.*, I-II, 74, 1-5.

(14) "In obiecto alicuius potentiae est duo considerare, scilicet illud quod est materiale et illud quod formaliter complet rationem obiecti. Sicut patet in visu,

se habet in agilibus et voluntariis sicut principium in speculabilibus (15). Ac praesertim finis ultimus totius humanae vitae, qui rationem habet supremi principii universi ordinis moralis. Et hac ratione Aristoteles incipit suam Ethicam Nicomacheam et S. Thomas secundam partem Summae theologiae a fine ultimo, quasi a summo principio totius ethicae considerationis naturalis et supernaturalis.

605. Hoc autem principium accipit philosophus moralis a psychologia, ut scite animadverti Averroes (16), quia talis est proprius finis animae humanae adeoque totius hominis quale est proprium eius principium et causa, Constat autem solum Deum esse causam efficientem animae humanae per creationem, eo quod ipsa spiritualis est et corpus suum transcendens. Solus ergo Deus est finis proprius et ultimus animae humanae totiusque humanae vitae.

606. Theologus vero moralis, qui hanc veritatem ex philosophia supponit, e fonte altiori divinae revelationis directe ebibit: Ego sum alpha et omega, principium et *finis*, dicit Dominus (Apoc. 1, 8). Et Christus Dominus: Ego sum via, *veritas et vita* (Joan. 14, 6). Quod et Benedictus XII atque Concilium Vaticanum I expresse definiunt (17). Quibus Leo XIII congruenter presseque: "omnino finis homini, Deus" (18). Et Pius XI: "Deus est universitatis rerum principium et *finis*, et virtutum omnium una veluti *meta* extra quam mens hominis non potest quiescere, iuxta grandem sententiam Augustini; fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te" (19).

607. Et universaliter actus humani tam in esse psychologico quam in esse morali specificantur ex fine. Actus quidem in esse psychologico ex solo fine operis; in esse autem morali, ex fine operis et ex fine operantis simul, licet ordine quodam. Nam secundum ordinem generationis vel executionis, specificatur per prius ex fine operis, quia hoc ordine

quia color est visibile in potentia, et non efficitur visibile in actu nisi per actum lucis. Similiter dico quod illud quod *formaliter* complet rationem voliti est *finis*, ex quo est ratio boni...; sed ea quae sunt ad finem se habent materialiter ad obiectum voluntatis, ut scilicet sint volita per ordinem finis sicut color videtur per actum lucis" *(In I Sent.*, d. 45, 2 ad 1).

(15) *Summa theol.*, I, 82, 1c; I-II, 8, 2c; 9, 3c.

(16) "Moralis enim suscipit ab hac scientia [De Anima] ultimum finem hominis in eo quod est homo" *(Commentarium magnum in Aristotelis de Anima libros*, I, 2; ed. F. Stuart Crawford, p. 5, 26-27. Cambridge, Massachusetts, 1953).

(17) Constitut. dogmatica *Benedictus Deus*, Denz. n.° 530; *Conc. Vat. I*, Denz. n.° 1786.

(18) Enc. *Tametsi futura prospicientibus*, 1-XI-900; Acta ed. Bonne Presse, t. 6, p. 154.

(19) Enc. *Divini illius Magistri*, 23-XII-929; AAS. 22 (1930) 51.

est prior species psychologica quam moralis, quae in specie morali salvatur, siquidem "semper prius salvatur in posteriori" (20): at secundum ordinem intentionis libere agentis, prior est species moralis (21).

608. Quare Thomas congruenter: "in moralibus *forma* actus attenditur principaliter *ex parte finis*. Cuius ratio est, quia principium moralium actuum est *voluntas, cuius obiectum et quasi forma est finis. Semper autem forma actus consequitur formam agentis*" (22). Et ideo "sicut actus in communi recipit speciem ab obiecto, ita actus *moralis* recipit speciem ab obiecto *morali*" (23).

Et sic patet quod "in naturalibus et *moralibus*... *praecipue* demonstrationes *ex fine* sumuntur" (24).

Art. 5

Metaphysica definit quoque ac demonstrat per omnes causas

609. Tandem *Metaphysica* definit quoque ac demonstrat *per omnes causas*. Non quidem per causam materialem neque formalem presse dictas quarum est proprie philosophia Naturalis, quasque Metaphysica transcendit, cum abstrahat ab omni materia; bene vero si sensu ampliori et analogico accipiantur, pro potentia nempe et actu, quae dividunt ens finitum et omne genus eius. Potentia enim habet rationem subiecti receptivi, actus vero rationem perfectionis receptae, et ambo simul analogiam cum materia et forma ad invicem comparatis.

Metaphysica ergo maxime definit atque demonstrat per causam *formalem*, eo quod obiectum eius *directum* est ens reale ut essentia commune decem praedicamentis. Et ratione talis obiecti vocari solet, post Goclenium, *Ontologia* (1).

610. Quod autem ens reale hoc modo sumptum talem reddat sensum apud S. Thomam, constat ex verbis eius explicitis pluribus in locis, quorum nonnulla placet in medium adducere. Distinguit ergo duplicem acceptionem fundamentalem huius nominis *ens:* aliam entis *in anima*, et tunc "*significat compositionem quam anima facit*", idest affirma-

(20) *Summa theol.*, I, 60, 1c.

(21) Cf. *Op. cit.*, I-II, 1, 3; J. M. Ramírez, O. P., in h. 1, *De hominis beatitudine*, t. I, p. 251-278. Matriti, 1942.

(22) *Summa theol.*, II-II, 23, 8c.

(23) *De Malo*, 2, 6 ad 2.

(24) *In V Metaph.*, lect. 1, n.° 762.

(1) "Ontologia, idest philosophia de ente seu transcendentibus" *(Lexicon philosophicum*, v. abstractio, p. 16. Francofurti, 1613).

tionem vel pradicationem ut sic, nempe quid pure mentale sive logicum, quod aequivalet enti rationis; aliam entis *extra animam* sive prout est in rerum natura, et tunc "significat *essentiam rei extra animam existentis*" (2).

Ens ergo reale sive extra animam "significat *essentiam* rerum *prout dividitur per decem genera*" (3); "significat *naturam decem generum*" (4); "significat *essentiam* rei, et *dividitur per decem praedicamenta*" (5); "hoc nomen *ens*, secundum quod importat *rem...*, sic significat *essentiam* rei, et *dividitur per decem genera:* non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus esse, sed substantiae quidem per se, aliis autem aliter" (6); "nomen *rei* exprimit *quidditatem* sive *essentiam* entis" (7); "significat *entitatem* rei *prout dividitur per decem praedicamenta, et sic convertitur cum re*" (8).

611. Itaque ens reale ut res sive ut essentia est ens transcendens praedicamenta eisque commune, in quae tamen dividitur analoga divisione sicut analogum in analogata. Et distinguitur tum ab ente rationis, quod non habet esse obiectivum nisi in intellectu, utpote quod *totum consistit in intelligi* (9); tum ab ipso esse existentiae, quod reale quidem est, sed ab essentia realiter distinctum. Essentia igitur omnis creaturae non est esse actualis existentiae, sed potius *res cui debetur vel competit tale esse:* sive in alio sicut in subiecto, ut convenit accidenti; sive non in alio vel non in subiecto, ut competit substantiae.

(2) *In I Sent.*, d. 19, 5, 1 ad 1; *in II Sent.*, d. 37, 1, 2 ad 2. "Esse dicitur dupliciter, scilicet prout significat veritatem compositionis et secundum quod significat actum essentiae" *(In I Sent.*, d. 18, expos. textus).

"Ens dicitur dupliciter. *Uno modo* quod significat *essentiam rei extra animam existentis*, et hoc modo non potest dici ens *deformitas peccati*, quae *privatio* quaedam est: privationes enim essentiam non habent in rerum natura. *Alio modo* secundum quod significat *veritatem propositionis*, et sic deformitas dicitur esse, non propter hoc quod in re esse habeat, sed quia intellectus *componit* privationem cum subiecto *sicut formam quamdam*. Unde sicut ex compositione formae ad subiectum vel ad materiam relinquitur quoddam esse substantiale vel accidentale, ita etiam intellectus compositionem privationis cum subiecto per quoddam esse significat. *Sed hoc esse non est nisi esse rationis*, cum in re potius sit non esse" *(In II Sent.*, d. 37, 1, 2 ad 3). "*In nullo praedicamento ponitur aliquid nisi res extra animam existens*. Nam *ens rationis dividitur contra ens divisum per decem praedicamenta*" *(De Pot.*, 7, 9c).

(3) *In I Sent.*, d. 19, 5, 1 ad 1 ."Uno enim modo dicitur ens *quod per decem genera dividitur*, et sic ens *significat aliquid in natura existens*, sive sit substantia ut homo, sive accidens ut color" *(Op cit.*, d. 34, 1c).

(4) *De Malo*, 1, 1 ad 19. Cf. *De Pot.*, 7, 2 ad 1.

(5) *Summa contra Gentiles*, III, 9, in fine.

(6) *Quolib.* 2, 3c. Cf. *Quolib.* 9, 3c.

(7) *De Verit.*, 1, 1c.

(8) *Summa theol.*, I, 48, 2 ad 2.

(9) *Summa contra Gentiles*, IV, 11.

Quam ob rem Aquinas scribit: "*esse non potest esse essentia substantiae vel accidentis*. Non est ergo definitio substantiae, ens per se sine subiecto; nec definitio accidentis, ens in subiecto. Sed *quidditati seu essentiae* substantiae *competit* habere esse non in subiecto; et *quidditati sive essentiae* accidentis *competit* habere esse in subiecto" (10).

612. Ergo ens reale *ut essentia*, commune omnibus praedicamentis in eaque divisibile, est obiectum directum Metaphysicae in ea parte quae Ontologia audit. Atqui essentia nominat causam *formalem*, quia "*essentia* significat quiditatem *ut est forma totius*" (11). "Unde et *per modum formae significatur essentia, ut puta humanitas*" (12). Immo et ipsa "*divinitas* significatur in Deo ut habens se ad Deum *per modum causae formalis*" (13).

Et ideo merito concludit: "in quantum haec scientia est considerativa *entis*, considerat maxime *causam formalem*" (14).

613. Definit quoque ac demonstrat per causam *quasi materialem in qua*, quia haec ipsa essentia praedicamentalis comparatur ad esse existentiae ut recipiens ad receptum sive ut potentia receptiva ad actum receptum.

Et sic, loquendo de anima rationali, quae est forma substantialis incorruptibilis et per se subsistens independenter a corpore, ait S. Thomas: "ipsa enim *essentia* formae comparatur ad *esse sicut potentia ad proprium actum*. Et ita in formis per se subsistentibus invenitur et potentia et actus, in quantum ipsum esse est actus formae subsistentis quae non est suum esse" (15). Ac proinde "in anima est *sicut materiale* ipsa simplex *essentia, formale autem* in ipsa est *esse participatum*" (16).

614. Et similiter de formis separatis, quae angeli dicuntur: "quidditas enim et substantia ipsius Intelligentiae est quaedam forma subsistens et immaterialis; sed quia ipsa non est suum esse sed est subsistens in esse participato, *comparatur ipsa forma subsistens ad esse participatum sicut potentia ad actum et ut materia ad formam*" (17). Et sic "ipsa *substantia* Angeli quodammodo se habet ad *esse* eius ut *materia* ad *formam*" (18).

(10) *Summa theol.*, III, 77, 1 ad 2. Cf. I, 3, 5 ad 1; *Summa contra Gentiles*, I, 25, 4; *De Pot.*, 7, 3 ad 4; *Quodlib.* 9, 5 ad 2.

(11) *In I Sent.*, d. 23, 1c.

(12) *Summa contra Gentiles*, I, 21, 4.

(13) *De Verit.*, 23, 1 ad 3.

(14) *In III Metaph.*, lect. 4, n.º 384.

(15) *De Anima*, 6c.

(16) *Summa theol.*, I, 90, 2 ad 1.

(17) *In librum De causis*, propos. 9, p. 64, 9-13.

(18). *Quodlib.* 9, 6 ad 3.

615. Atque exinde *demonstrat limitationem et finitudinem omnis essentiae praedicamentalis,* quia scilicet "nullus actus invenitur finiri nisi per potentiam, quae est vis receptiva" (19). "Actus igitur in nullo existens nullo terminatur" (20), ac proin "*esse non receptum in aliquo non est finitum,* immo absolutum. Ergo omnis creatura, cum habeat esse finitum, habet esse receptum in aliquo; et ita oportet quod habeat *duo ad minus, scilicet esse et id quod esse recipit*" (21).

616. Postremo Metaphysica demonstrat *per causam efficientem et finalem.* Nam eo ipso quod ens reale commune omnibus praedicamentis eaque transcendens, in ipsa tamen analogice divisum atque in eis omnibus essentialiter imbibitum, est ens ut essentia realiter distinctum ab esse eius, ad quod se habet ut potentia receptiva ad actum receptum sive ut participans esse ad esse participatum; —necessario consequitur tale ens esse ab alio efficienter causatum. Non enim tale ens vel essentia potest sibi ipsi dare esse veluti causa efficiens presse vel reductive dicta, ad modum dimanationis vel resultantiae, sicut proprium intelligitur dimanare a forma vel substantia specifica.

617. Non quidem per modum efficientiae *proprie* dictae, quia esse est maius ac perfectius quam nuda essentia, sicut actus potentia. Nulla autem causa efficiens potest producere effectum superiorem se, quia "semper in causa est aliquid nobilius quam in causato" (22), et "effectus non potest extendi ultra suam causam" (23). Ad principium nempe causalitatis efficientis spectat effatum illud: "nulla res potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet quod causa potior sit effectu" (24); aut etiam: "nihil agit ultra suam virtutem" (25).

618. Neque per modum efficientiae *reductive* sumptae, tum quia dimanatio est *accidentium propriorum* a substantia specifica, esse autem non est accidens substantiae praedicamentalis, sed reductive, reductione tamen impropria, est in categoria substantiae in qua recipitur; tum etiam quia nihil dimanat ab eo in quo non continetur formaliter aut eminenter, quia nemo dat quod non habet, et esse non continetur hoc modo in nuda essentia.

(19). *Comp. theol.*, I, 18, n.° 35.
(20) *Summa contra Gentiles*, I, 43, 2.
(21) *In I Sent.*, d. 8, 5, 1, arg. 2 sed contra.
(22) *In I Sent.*, d. 2, 1 ad 1.
(23) *Summa contra Gentiles*, I, 43, 8.
(24) *Summa theol.*, I-II, 112, 1c.
(25) *Op. cit.*, I-II, 114, 3c.

619. Ergo esse debet advenire essentiae praedicamentali ab alio. Non autem ab alia nuda essentia praedicamentali, quia omnis talis essentia est in eadem impotentia et indigentia; et quod sibi tribuere non potest, nec aliis largiri valet. Igitur necessario debet ei advenire ab ente extra et supra omnem essentiam praedicamentalem existente, idest ab ente per essentiam, sive ab ente cuius essentia sit realiter atque identice suum proprium esse. In tali namque ente nulla est potentia passiva vel receptiva, neque consequenter ullus actus receptus. Nulla ergo limitatio vel finitudo, sed absoluta infinitas omnis perfectionis et actualitatis, videlicet actus purus vel esse purum. Et hoc ens est Deus ipse, iuxta illud Ex. 3, 14: Ego sum qui sum.

620. Licet ergo esse ab alio causatum non conveniat enti reali in tota sua latitudine sumpto, quia secus omne ens reale esset ab alio causatum, ne excepto quidem ipso Deo, convenit tamen omni enti praedicamentali, idest compositio reali compositione ex essentia et esse sicut ex potentia receptiva et actu recepto vel sicut ex participante et participato; et ideo omne ens praedicamentale est ens per participationem. "Omne autem quod est per participationem causatur ab eo quod est per essentiam" (26). Unde sicut est contra rationem entis per essentiam quod sit causatum, ita etiam est contra rationem entis per participationem quod sit incausatum. Tantum enim repugnat enti per essentiam esse causatum sicut esse per participationem: eodemque iure tantum repugnat enti per participationem esse incausatum sicut esse per essentiam. Utrobique esset contradictio in terminis.

Ideo S. Thomas nervose ait: "*hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse eius,* quia esse subsistens non est esse creatum" (27). Et iterum: "non solum non est impossibile a Deo aliquid creari, sed *necesse est ponere a Deo omnia creata esse*" (28).

621. Consequenter, "licet habitudo ad causam non intret definitionem entis quod est causatum, tamen *consequitur ad ea quae sunt de eius ratione;* quia ex hoc quod aliquid per participationem est ens, *sequitur* quod sit causatum ab alio. *Unde huiusmodi ens non potest esse quin sit causatum,* sicut nec homo quin sit risibilis. Sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter, propter hoc invenitur aliquod ens non causatum" (29).

(26) *Op. cit.*, I, 61, 1 c. Cf. *ibid.*, 44, 1c; *Summa contra Gentiles*, II, 15 per totum; *De Pot.*, 3, 5c; *Comp. theol.*, I, 68, n.° 117.
(27) *Summa theol.*, I, 7, 2 ad 1.
(28) *Op. cit.*, I, 45, 2c.
(29) *Op. cit.*, I, 44, 1 ad 1. Cf. *Summa contra Gentiles*, II, 52, 4.

Aliis verbis: "licet causa prima, quae Deus est, *non intret essentiam rerum creatarum,* tamen *esse, quod rebus creatis inest, non potest intelligi nisi ut deductum ab esse divino,* sicut nec *proprius* effectus potest intelligi nisi ut deductus a causa *propria*" (30).

622. Neque tamen essentia quae recipit esse est incausata, sed simul cum esse causatur a Deo. Nam "ex hoc ipso quod quidditati esse attribuitur, non solum esse sed et ipsa quidditas creari dicitur; quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura sed creatrix essentia" (31). Hoc enim est de ratione creationis, ut producat totum id quod ad creaturam pertinet, idest potentiam receptivam et esse receptum sive essentiam et esse simul, quia creatio est productio creaturae ex nihilo. Nihil ergo infectum praesupponit, sed totam creaturam compositam ex essentia et esse simul producit. In quo creatio radicitus distinguitur a simplici productione agentis creati, qui formam et compositum efficit, non autem materiam primam, quam semper praesupponit.

623. Ex quibus omnibus apparet quam recte et profunde S. Thomas dicat quod ens reale ut essentia divisum in praedicamenta est ens creatum, non ens increatum, neque ens in tota sua latitudine prout de creatore et de creatura analogice praedicatur (32).

624. Et cum tale ens creatum commune decem praedicamentis atque compositum ex potentia et actu, qui dividunt ens illud et quodlibet genus entis sub eo contentum, sit obiectum proprium ac directum Metaphysicae, necessario sequitur causam propriam talis esse, nempe Deum, non cadere sub ista scientia nisi indirecte et in obliquo, scilicet ut causam propriam obiecti sui directi. In quo Metaphysica toto caelo differt a Theologia sacra, quae de ipso Deo tractat directe ut de proprio obiecto, dum de ente creato non agit nisi in obliquo, prout scilicet est effectus Dei vel ad Deum quoquo modo relatum.

Quam ob rem scitissime scribit: "theologia sive scientia divina est duplex. *Una* in qua considerantur res divinae, *non tanquam subiectum scientiae sed tanquam principia subiecti:* et talis est theologia quam philosophi prosequuntur, quae alio nomine *Metaphysica* dicitur. *Alia* vero quae *ipsas res divinas considerat propter seipsas ut subiectum scientiae,* et haec est theologia quae in *Sacra Scriptura* traditur" (33).

(30) *De Pot.*, 3, 5 ad 1.
(31) *Ibid.*, ad 2.
(32) Divisio entis in substantiam et accidens, ideoque in decem praedicamenta, "est *divisio entis creati*" (*In I Sent.*, d. 8, 4, 2 ad 1).
(33) *In librum Boëthii De Trinitate*, 5, 4c, p. 195, 6-11.

625. Nec enim Deus est per se notus vel primo cognitus nobis naturali cognitione, sed potius "ultimo cognitus" (34), cum vel eius existentiam non cognoscamus nisi per demonstrationem ex creaturis sicut causam primam ex effectibus, iuxta illud Apostoli: invisibilia Dei a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur (Rom. 1, 20). Multoque minus intima eius natura est nobis immediate cognita per vires naturales et secundum modum naturalem cognoscendi intellectus nostri. Quo in sensu dictum est quod Deum nemo vidit unquam (Joan 4, 12), quia invisibilis est (I Tim. 1, 17).

626. Non esset autem Metaphysica vera scientia, multoque minus sapientia, nisi causas proprii sui obiecti, nedum proximas, verum et ultimas ac maximas haberet perspectas. Et ideo ipsa propria indoles Metaphysicae postulat ut ad Deum usque se porrigat veluti ad propriam et primam causam sui proprii obiecti, quod est ens commune ut essentia analogice continens praedicamenta in eaque divisibile ut analogum in analogata sua.

627. In quo apparet *unitas* huiusce scientiae, non obstante infinita distantia materiali inter Deum et creaturas. Nam, ut scite animadvertit S. Thomas, "quaelibet scientia debet inquirere principia et causas sui subiecti, quae sunt eius in quantum huiusmodi" (35). Et ideo "*eiusdem scientiae* est considerare causas proprias alicuius generis et genus ipsum, sicut Naturalis considerat principia corporis naturalis. Unde oportet quod ad *eamdem scientiam* pertineat considerare substantias *separatas* [= Deum, qui est substantia spiritualis re et essentia a mundo distincta, et super omnia quae praeter ipsum sunt et concipi possunt ineffabiliter excelsus] (36) *et ens commune, quod est genus cuius sunt praedictae substantiae communes et universales causae*" (37).

628. Quod si Deus est prima causa efficiens huiusce entis communis praedicamentalis, necessario etiam debet esse *finalis* causa eius: tum quia ordo finium respondet ordini agentium, tum insuper quia expresse dictum est: universa propter semetipsum operatus est Deus (Prov. 16, 4), et iterum: Ego sum alpha et omega, principium et finis (Apoc. 1, 8; 21, 6; 22, 13).

(34) *Op. cit.*, 1, 3, arg. 1 sed contra, p. 70, 11. Cf. *Summa theol.*, I, 2 per totum; 88, 3.
(35) *In VI Metaph.*, lect. 1, n.° 1145. Cf. *in V Metaph.*, lect. 1, n.° 749.
(36) *Conc. Vat. I*, Denz. n.° 1782.
(37) *In Metaph. Aristotelis*, prooem. S. Thomae. Cf. *in librum Boëthii De Trinitate*, 5, 4 ad 7; p. 199, 19-22.

629. Hoc autem semel dato, quod scilicet Deus sit prima causa efficiens et ultimus finis omnium rerum quae praeter ipsum sunt, videlicet actus purus et summum bonum, ei necesse est tribuere omnia quae actui puro et summo bono conveniunt. Et sic metaphysicus demonstrat causam primam non solum creare res omnes, verum etiam eas conservare in esse semel accepto, easque movere in omnibus operationibus suis, atque in omnibus esse immediate et intime praesentem, utpote quae a radice tenet ac sustentat omnia. Et cum ex alia parte sit omnium finis, demonstrat pariter Deum habere providentiam immediatam de omnibus et singulis creaturis, easque sapientissimo consilio regere ac gubernare, convertendo et dirigendo ad seipsum ut ad finem. Immo, cum finis sit causa causalitatis causae efficientis, bonitas ipsa Dei est veluti ratio motiva creationis rerum in quas copiosissime ac diversimode diffunditur. "Amor enim Dei est infundens et creans bonitatem in rebus" (38).

630. Maxime ergo metaphysicus, quatenus sapiens et scrutans primas radices et causas sui proprii obiecti, demonstrat per causam finalem, quia et ipse Deus primo movet omnia per modum finis, ut vel ipse Aristoteles perspexit (39).

Et S. Thomas congruenter dicit quod "nomen simpliciter sapientis illi soli reservatur cuius consideratio circa *finem universi* versatur, qui item est *universitatis principium*" (40).

631. Sed et intra proprium ac directum obiectum eius Metaphysica definit ac demonstrat per omnes causas. Per causam quidem *formalem*, quatenus considerat ens commune reale creantum *ut essentiam,* quod et distinguit in modos transcendentales, puta unum, verum et bonum, atque analogice dividit in praedicamenta.

632. Per causam vero quasi materialem *in qua,* in quantum unum ens est subiectum alterius, puta substantia completa quae est subiectum *quod* omnium accidentium, et accidentia priora sunt subiectum *quo* accidentium posteriorum, vg. quantitas qualitatum. Substantia enim eo quod in se est et in nullo alio inhaeret sicut in subiecto, est primum subiectum et fundamentum omnium accidentium. Secundario tamen et

(38) *Summa theol.*, I, 20, 2c. Cf. *ibid.*, 44, 4.

(39) *Metaph.*, XI, 10, 1075a-11-15. Cuius sensum S. THOMAS reddidit, dicens quod primae substantiae "quamvis ipsae sint immobiles secundum seipsas, sunt tamen causa motus aliorum *per modum finis;* et ideo *ad hanc scientiam,* in quantum est considerativa primarum substantiarum, *praecipue pertinet considerare causam finalem,* et etiam aliqualiter causam moventum" (*In III Metaph.*, lect. 4, n.º 384).

(40) *Summa contra Gentiles*, I, 1.

virtute substantiae unum accidens potest esse subiectum immediatum *quo* alius, puta quantitas qualitatis, nempe superficies coloris (41).

Unde Thomas apposite: "accidens per se non potest esse subiectum alterius accidentis, quia per se non est. Secundum vero quod est in alio, unum accidens dicitur esse subiectum alterius, in quantum unum accidens recipitur in subiecto, alio mediante, sicut superficies dicitur subiectum coloris" (42).

633. Per causam *finalem,* quatenus "accidentia sunt propter substantias, ut per ea perficiantur; in substantiis vero materia est propter formam", et singularia vel individua propter speciem, atque universaliter inferiora in entibus sunt propter superiora (43).

634. Per causam denique *efficientem,* quia "accidens naturale *causatur* ex principiis subiecti" (44), "cum subiectum sit *principium* accidentis quod de eo praedicatur et sit eo prius naturaliter" (45). Quam ob rem "figura et omnia accidentia consequuntur substantiam *sicut causam;* et ideo subiectum se habet ad accidentia non solum ut potentia passiva, sed etiam quodammodo *ut potentia activa*" (46).

635 Qua in re causa quasi materialis sive potentia passiva vel receptiva et causa efficiens vel activa proportionaliter se habent, quia sicut unum accidens non potest per se sustentare aliud accidens, sed vi substantiae in qua ipsummet sustentatur (47), ita neque unum accidens potest per se causare aliud accidens, sed per virtutem participatam a substantia.

Ut enim ad rem scribit S. Thomas, "*accidens ex seipso non habet virtutem producendi aliud accidens, sed a substantia potest unum accidens procedere mediante alio,* secundum quod illud praesupponitur in subiecto: *et ita etiam accidens non potest esse per se subiectum accidentis, sed subiectum mediante uno accidente subiicitur alteri;* propter quod dicitur superficies esse subiectum coloris" (48). Et sic "*omnibus accidentibus* communiter loquendo subiectum est *causa* quodammodo, in quantum scilicet accidentia in esse subiecti *sustentantur*" (49).

(41) *In III Sent.*, d. 33, 2, 4, qla. 1c, nis. 218-219.

(42) *Summa theol.*, III, 77, 2 ad 1. Cf. I, 77, 7 ad 2; I-II, 56, 1 ad 3; *Summa contra Gentiles* IV, 63 ad 3.

(43) *Summa contra Gentiles*, III, 75, 6.

(44) *De Malo*, 4, 2 ad 9.

(45) *In I Physic.*, lect. 11, n.º 10.

(46) *In librum Boëthii De Trinitate*, 5, 4 ad 4, p. 198, 7-10.

(47) *Summa theol.*, I-II, 56, 1 ad 3.

(48) *In I Sent.*, d. 4, 3, 3 ad 2.

(49) *Op. cit.*, d. 17, 1, 2 ad 2.

636. Duo namque conveniunt substantiae respectu accidentium, scilicet *substare* illis eaque *sustentare* vel sustinere. *Substat* quidem, quia accidentia sunt in ipsa, et ipsa non est in alio sicut in subiecto. *Sustentat* autem, quia ipsa se tenet et subsistit in se, atque ideo valet accidentia sustinere vel sustentare (50), siquidem "substantia est *fundamentum et basis* omnium aliorum entium" (51).

Dicit autem *quodammodo* causa vel potentia activa, quia substantia est causa efficiens propriorum et connaturalium accidentium per modum dimanationis vel resultantiae potius quam per modum productionis presse dictae.

637. Quae omnia unico veluti verbo contrahens, ait S. Doctor: "subiectum est *causa* proprii accidentiis, et *finalis,* et quodammodo *activa,* et etiam *materialis* in quantum est susceptivum accidentis. Et ex hoc potest accipi quod anima est causa omnium potentiarum sicut finis et sicut principium activum, quarumdam autem [scilicet spiritualium sive anorganicarum] sicut susceptivum" (52).

638. *Et inde sequitur earum ordo.* Quia enim "essentia animae comparatur ad potentias sicut *principium activum et finale,* et sicut *principium susceptivum* vel seorsum per se vel simul cum corpore; agens autem et finis est perfectius, susceptivum autem in quantum huiusmodi est minus perfectum; —consequens est quod potentiae animae quae sunt *priores* secundum ordinem *perfectionis* et naturae sint principia aliarum per modum *finis* et *activi* principii. Videmus enim quod sensus est propter intellectum, et non e converso. Sensus etiam est quaedam deficiens participatio intellectus. Unde secundum naturalem originem quodammodo est ab intellectu, sicut imperfectum a perfecto.

639. Sed secundum viam *susceptivi* principii, *e converso,* potentiae *imperfectiores* inveniuntur *principia respectu aliarum:* sicut anima secundum quod habet potentiam *sensitivam* consideratur sicut *subiectum et materiale* quoddam respectu intellectus. Et propter hoc *imperfectiores* potentiae sunt *priores in via generationis;* prius enim animal generatur quam homo" (53).

(50) "*Esse* commune quoddam est et *non determinat* aliquem modum essendi; *subsistere* autem dicit *determinatum* modum essendi, prout scilicet aliquid est ens per se, non in alio sicut accidens; *substare* autem idem est quod *sub alio poni.* Inde patet quod *esse* dicit id quod est *commune omnibus generibus, sed subsistere et substare* id quod est *proprium primo praedicamento* secundum *duo* quae sibi conveniunt, quod scilicet sit ens *in se* completum, et iterum quod omnibus aliis accidentibus *substernatur,* scilicet *in substantia* esse habeant" (*In I Sent.*, d. 23, 1c).

(51) *In III Sent.*, d. 23, 2, 1 ad 1, n.° 117.

(52) *Summa theol.*, I, 77, 6 ad 2.

(53) *Op. cit.*, I, 77, 7c.

640. Unaque simul complectens universam istam materiam de causis per quas definiunt ac demonstrant diversae partes philosophiae, concludit: "*Mathematica* non demonstrat nisi per causam *formalem; Metaphysica* demonstrat per causam *formalem et finalem praecipue,* et etiam *agentem; Naturalis* autem *per omnes causas*" (54).

Art. 6

UNIVERSA PHILOSOPHIA UT SAPIENTIA REDUCITUR AD CONSIDERATIONEM ORDINIS

641. In omnibus ergo et singulis partibus philosophiae pro suo quaeque modo datur ordo causarum per quas definiunt ac demonstrant. Qui quidem ordo est id quod maxime perfectum et formale est in illis. Propter quod consideratio atque perpensio huiusce ordinis praecipue spectat ad philosophiam *ut sapientiam,* quia sapientis est potissime cognoscere ordinem et omnia secundum ipsum disponere (1). Ordo itaque est proprium atque formale obiectum Sapientiae. Et ideo secundum diversam habitudinem sapientiae ad ordinem, distinguuntur partes eius, quae revera sunt partes philosophiae.

642. Porro sapientia se habet ad ordinem dupliciter. Uno modo *active,* in quantum ipsa facit ordinem quem considerat. Alio modo quasi *passive,* quatenus ipsa non facit talem ordinem, sed considerat tantum ordinem aliunde ei oblatum vel obiectum.

Et si quidem ipsa faciat ordinem quem considerat, necessario is debet esse universalis, sicut exigit propria indoles philosophiae, et consequenter pertinere debet ad ordinem consequentem actus facultatum spiritualium sive anorganicarum, nempe intellectus et voluntatis, quae solae universalium sunt. Nam facultates organicae sunt tantum particularium et singularium, sicut et exteriores operationes membrorum corporis.

643. Ordo igitur quem Sapientia *considerando facit* in operationibus *voluntatis* libere agentis tam elicitis quam imperatis, sive sint circa finem sive circa media, prout scilicet rectae vel pravae sunt, idest conformes vel disconformes regulae morum quae est recta ratio, pertinet ad philosophiam *Moralem.*

644. Ordo autem quem Sapientia considerando facit in operationibus *rationis,* idest in secundis intentionibus rerum intellectarum ut intellec-

(54) *In I Physic.*, lect. 1, n.° 5.

(1) "Sicut dicit Philosophus in principio Metaphysicae (I, 2, 982a 18), sapientis est ordinare. Cuius ratio est quia sapientia est potissima perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem" (*In I Ethicor.*, lect. 1, n.° 1).

tarum, est duplex. Alius *rerum omnium*, secundum rationem universalitatis vel singularitatis sive superioritatis et inferioritatis, et consequenter praedicabilitatis de pluribus vel de uno tantum; et hic ordo est ordo formaliter logicus, atque ad Logicam sive philosophiam *Rationalem* spectat.

645. Alius vero est *quantitatum tantum*, secundum puram rationem mensurabilitatis aut numerabilitatis tantum, et nullo modo secundum rationem accidentis primi substantiae physicae sive corporeae, idest secundum meras rationes et proportiones magnitudinis ad magnitudinem vel numeri ad numerum; et talis ordo est formaliter mathematicus —geometricus vel arithmeticus—, et ad *Mathematicam* pertinet.

646. Ordo tandem quem Sapientia *considerat tantum et non facit*, est ordo obiectivus in rebus ipsis extra animam constitutus. Qui rursus geminus est. Alius *physicus*, in rebus corporalibus et sensibilibus mundi huius adspectabilis; et huiusmodi ordo est proprium obiectum philosophiae *Naturalis*. Alius autem *metaphysicus*, rerum scilicet immaterialium et insensibilium sive praecisive sive positive, puta entis et non-entis, actus et potentiae, substantiae et accidentis, essentiae et esse, Dei et creaturae; et talis ordo pertinet ad *Metaphysicam*.

647. Ordo igitur ex causis secutus, consideratus secundum diversam habitudinem ad rationem sapientialem, radix et fundamentum constituit divisionis philosophiae in partes suas sicut analogi in sua analogata (2).

---

(2) S. Thomas ipse hanc radicem divisionis philosophiae conceptis verbis docuit. "Ordo, inquit, *quadrupliciter* ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo *quem ratio non facit sed solum considerat*, sicut est ordo rerum naturalium. *Alius* autem est ordo *quem ratio considerando facit in proprio actu*, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum quae sunt voces significativae. *Tertius* autem est ordo *quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus* autem est ordo *quem ratio considerando facit in exterioribus rebus*, sicut in arca et domo.

Et quia consideratio rationis per habitum perficitur, *secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae*. Nam ad philosophiam *Naturalem* pertinet considerare ordinem rerum *quem ratio humana considerat, sed non facit*; ita quod sub Naturali philosophia comprehendamus et Metaphysicam. Ordo autem quem ratio *considerando facit in proprio actu*, pertinet ad *Rationalem* philosophiam, cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem, et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. Ordo autem *actionum voluntariarum pertinet ad considerationem Moralis* philosophiae. Ordo autem *quem ratio considerando facit in rebus exterioribus* constitutis per rationem humanam, pertinet *ad artes mechanicas*" (*In I Ethic.*, lect. 1, nis. 1-2).

CAPUT II

BONUM COMMUNE TOTIUS UNIVERSITATIS CREATURARUM

648. Alia sequela huiusce vestigationis ordinis, eaque praecipua, est vera notio boni communis immanentis totius universitatis creaturarum.

Art. 1

UNIVERSITAS CREATURARUM COMPLECTITUR OMNIA PRAETER SOLUM DEUM

649. Intelligimus autem nomine totius huiusmodi universitatis omnia omnino creata tam corporalia quam spiritualia, tam visibilia quam invisibilia, tam naturalia quam supernaturalia, solo Deo excepto.

650. "*Angeli* enim —ait S. Thomas— *sunt quaedam pars universi*, Non enim constituunt per se unum universum, sed tam ipsi quam creatura corporea in constitutionem unius universi conveniunt" (1). Sunt tamen principalior atque nobilior pars (2).

651. Et similiter *homines*, licet sint angelis naturaliter inferiores; siquidem "comparatur homo ad creaturarum universitatem *sicut pars ad totum*" (3), et "inter omnes creaturas *principalius* ordinantur ad bonum universi creaturae *rationales*" (4). Nam "omnis creatura corporalis, quantumcumque sit magna quantitate, est tamen inferior homine, ratione intellectus" (5). Quo fit, ut homo medium teneat inter partem supremam et infimam totius universi, nempe inter angelos et corpora, cum sit "quasi horizon et confinium spiritualis et corporalis naturae" (6).

---

(1) *Summa theol.*, I, 61, 3c. Cf. *ibid.*, ad 2; a. 4c; 50, 1c; *De Pot.*, 3, 18c et ad 16.

(2) *Summa contra Gentiles*, II, 93 4; 98, 2; III, 112, 4.

(3) *Summa theol.*, I-II, 2, 8 ad 2.

(4) *Op. cit.*, I, 23, 7c.

(5) *In II Sent.*, d. 1, 2, 3 ad 3.

(6) *In III Sent.*, prol. S. Thomae. Cf. *Summa contra Gentiles*, II, 68; IV, 55 ad 3; *in librum De Causis*, prop 2, p. 16, 10-15; prop. 9, p. 61, 9-11.

652. Cum ergo Beata Virgo ad genus humanum pertineat, utpote ex anima rationali et humano corpore constituta, proculdubio ipsa quoque est pars quaedam universi. Immo et Humanitas Christi sive Christus ut homo, qui revera per omnia similis factus est nobis excepto peccato (Heb. 2, 17; 4, 15). Unde et "homo *univoce* dicitur de Christo et aliis hominibus, alias non esset eiusdem speciei" (7).

653. Neque excludenda sunt entia supernaturalia creata et participata, ut gratia virtutum et donorum et gloria sive beatitudo formalis craturarum. Gratia namque habitualis et virtutes ac dona ipsam consequentia, causas habent efficientem, finalem, materialem *in qua*, siquidem iustis inhaerent, et formalem, quae non est iustitia Dei qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit (8). Gratia autem est semen gloriae, dicente Apostolo (Rom. 6, 23); gratia Dei vita aeterna. Et ideo ipsa vita aeterna a creaturis sanctis participata suas causas habet, cum sit essentialiter quid creatum (9).

654. Solus ergo Deus non est pars universi, sed extra et supra totam creaturarum universitatem. Ideo Angelicus iterum: "*Deus non est aliqua pars universi, sed supra totum universum,* praehabens in se eminentiori modo totam universi perfectionem" (10). Et sic "Deus est *extra ordinem totius creaturae*" (11).

Art. 2

BONUM EIUS CONSISTIT IN ORDINE

655. Iam vero "bonum universi est bonum *ordinis,* sicut bonum exercitus" (1). Et quidem tale bonum "consistit in duplici ordine, scilicet in ordine *partium* universi *ad invicem* et in ordine *totius* universi *ad finem qui est ipse Deus;* sicut etiam est in exercitu ordo partium exercitus ad invicem secundum diversa officia, et est ordo ad bonum ducis quod est victoria. *Et hic ordo est praecipuus, propter quem est primus ordo*" (2).

---

(7) *In III Sent.*, d. 6, 3, 1, arg. 1 sed contra, n.º 105. Cf. *ibid.*, d. 2, 1, 3, qla. 1c. n.º 64; qla. 3, arg. 2 sed contra, n.º 62; d. 7, 1, 1 ad 3, n.º 36; *Summa contra Gentiles*, IV, 49 ad 11.

(8) *Conc. Trident.* DENZ., nis. 799-800.

(9) Cf. *Summa theol.*, I-II, 3, 1.

(10) *Op. cit.*, I, 61, 3 ad 2. Cf. I, 4, 2; 14, 6.

(11) *Op. cit.*, I, 28, 1 ad 3.

(1) *De Sustantiis separatis* cap. 10, n.º 66. Cf. cap. 14, n.º 86; De Pot., 6, 1 ad 7.

(2) *In I Sent.*, d. 44, 2c. "Duplex est bonum universi. Quoddam *separatum,* scilicet Deus qui est sicut dux in exercitu; et quoddam *in ipsis rebus,* et hoc

656. Utrumque est bonum commune. Deus quidem, quatenus principium et finis omnium creaturarum ordinisque ipsarum inter se, est bonum commune transcendens (3); ipse autem ordo sive coordinatio creaturarum inter se, est bonum commune immanens. Ut enim ad rem ait Aquinas. "optimum in rerum universitate est *bonum ordinis:* hoc enim est *bonum commune,* cetera vero sunt singularia bona" (4). Et ideo est melius quam bonum singularum creaturarum, sicut bonum totius est melius quam bonum partium singularum. Unde Thomas apposite: "bonum ordinis diversorum est melius quolibet illorum ordinatorum per se sumpto; est enim formale respectu singularium, sicut perfectio totius respectu partium" (5).

657. Immo est optimum inter omnia creata et maximum bonum post Deum. Quare Thomas iterum: "*optimum in omnibus entibus causatis est ordo universi, in quo bonum universi consistit;* sicut et in rebus humanis bonum gentis est divinius quam bonum unius" (6). Unde est "quasi ultima forma" totius universi (7). Et sic "*post bonitatem divinam,* quae est finis a rebus separatus, *principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi*", quae in eius *ordine* consistit (8), eodem S. Doctore dicente: "optimum in rebus creatis est *perfectio universi,* quae *consistit in ordine* distinctarum rerum; in omnibus enim perfectio totius praeeminent perfectioni singularum partium" (9).

Art. 3

ORDO UNIVERSI TOTUS FUNDATUR IN ORDINE ET CONNEXIONE CAUSARUM

658. Porro ordo universi "ordine et connexione *causarum* contexitur" (1), ita quidem ut occasionalistarum positio —Mutakalimum inter arabos— dicentium Deum immediate omnia et singula operari, quin

---

est *ordo* partium universi, sicut ordo partium exercitus est bonum exercitus" *(De Spiritualibus, creaturis,* 8c. Cf. *in II Sent.*, d. 1, 2, 3c; *De Verit.*, 5, 3c; *De Pot.*, 1, 2 ad 1; *Summa theol.*, I, 103, 2 ad 3).

(3) "Deus est bonum *commune* totius universi et omnium partium eius" *(Quolib.*, 1, 8c). "Bonum autem summum, quod est Deus, est bonum *commune,* cum ex eo universorum bonum dependeat" *(Summa contra Gentiles*, III, 17, 5. Cf. *Summa theol.*, I, 60, 5c et ad 3 et 5; II-II, 26, 3c).

(4) *De substantiis separatis*, cap. 10, n.º 66.

(5) *Summa contra Gentiles*, II, 45, 7.

(6) *Op. cit.*, II, 42, 2; ARISTOTELES, *Ethic. Nic.*, I, 2, 1094b. Cf. *in I Sent.*, 32, 2, 2c.

(7) *Op. cit.*, II, 42, 4.

(8) *Summa theol.*, I, 22, 4.

(9) *Summa contra Gentiles*, II, 44, 1.

(1) *De Verit.*, 11, 1c.

ulla creatura aliquid operetur et causet, "*stulta* sit, quia *ordinem* tollit universi" (2). Consequenter "*ordo* universi attenditur secundum quod una creatura *agit* in aliam, et secundum quod una *fit ad similitudinem alterius*, et secundum quod una est *finis* alterius" (3): quatenus scilicet "partes universi habent *ordinem* ad invicem secundum quod una *agit* in alteram, et est *finis* alterius, et *exemplar*" (4).

659. Quod quidem triplex genus causae non est exclusive sumendum, quia etiam genus causae materialis et genus causae formalis conferunt ad ordinem universi. Ad hunc enim ordinem requiritur ordinatorum multitudo, una cum eorum distinctione et inaequalitate, quae ex causis formali et materiali, sensu stricto vel latiori aceptis, sumuntur. Unde rursus S. Thomas: "forma universi consistit *in distinctione et ordine* partium eius" (5), quandoquidem "bonum et optimum universi consistit in *ordine* partium eius ad invicem, qui sine *distinctione* esse non potest. Per hunc enim ordinem universum in sua totalitate constituitur, quae est optimum ipsius" (6). Distinctio autem formalis vel essentialis, quae potissima est in ordine universi, secum fert semper *inaequalitatem* (7).

660. Qua in re semper prae oculis habendum est id quod sapienter tradidit Aquinas, dicens "quod *a qualibet causa derivatur aliquis ordo in suos effectus*, cum quaelibet causa habeat rationem principii. Et ideo *secundum multiplicationem causarum multiplicantur et ordines, quorum unus continetur sub altero sicut et causa continetur sub causa.* Unde causa superior non continetur sub ordine causae inferioris, sed e converso. Cuius exemplum apparet in rebus humanis. Nam ex patrefamilias dependet ordo domus, qui continetur sub ordine civitatis, qui procedit a civitatis rectore, cum et hic contineatur sub ordine regis a quo totum regnum ordinatur" (8).

661. Et quidem talis subordinatio vel concatenatio ordinum inter se intelligenda est non solum intra idem genus causae quatenus causa

---

(2) *In II Sent.*, d. 1, 1, 4c.
(3) *Summa theol.*, I, 47, 3 ad 3. Qui textus una cum toto articulo, licet solum inveniatur in Cod. 138 bibliothecae Casiniensis, ut notant editores leonini, videtur omnino authenticus, cum ad ipsum expresse provocet ipse S. Thomas in quaestioni sequenti, a. 1 ad 5.
(4) *Op. cit.*, I, 48, 1 ad 5.
(5) *Summa contra Gentiles*, II, 39, 5.
(6) *Op. cit.*, II, 39, 6.
(7) *Summa theol.*, I, 47, 2c.
(8) *Op. cit.*, I, 105, 6c. Cf. *Summa contra Gentiles*, III, 98, initio.

inferior et particularis continetur sub causa superiori et universali, verum etiam inter diversa genera causarum, in quantum et ipsa ordinem habent inter se et sunt ad invicem causae in diverso genere, praesertim respectu causae finalis, quae causa causarum merito appellatur.

Quo fit, ut ordo immanens totius universi creaturarum et partium eius inter se debeat intelligi atque explicari non solum per unum genus causae iuxta diversos modos eius, sed etiam, et quidem praecipue, per omnia genera causarum simul sumpta et inter se mutuo ordinata.

662. Possumus autem distinguere in ordine totali universitatis creaturarum duplicem seriem fundamentalem: aliam rerum naturalium, aliam supernaturalium.

I

Ordo rerum naturalium

663. Quod naturalium seriem spectat, eam in triplicem classim commode distribuitur, nempe in res pure corporales sive terrestres sive caelestes, in res pure spirituales quas angelos dicimus, et in res ex corpore et spiritu conflatas quas homines appellamus (9).

1. Ordo rerum pure corporalium

664. Res pure corporales, si ex amussim considerare velimus, infinitas propemodum varietates complectuntur. Ut enim scite animadvertit Doctor Communis, "ille qui *perfecte* cognoscit res aliquas, potest *usque ad minima* et actus et virtutes et naturas earum distinguere; qui autem cognoscit eas *imperfecte*, non potest distinguere nisi *in universali*, quae quidem *distinctio* fit *per pauciora.* Sicut qui *imperfecte* cognoscit *res naturales*, distinguit earum ordines *in universali*, ponens in uno ordine caelestia corpora; in alio corpora inferiora inanimata; in alio plantas; in alio animalia. Qui autem *perfectius* cognosceret res naturales, posset *distinguere et in ipsis corporibus caelestibus diversos ordines, et in singulis aliorum*" (10).

665. Nostrum non est in praesentiarum considerare ordinem singularum rerum pure corporalium in concreto, quia id muneris est particularium scientiarum naturalium. Alioquin sermo noster indefinite protraheretur. Satis ergo erit ipsa genera causarum inspicere atque definire, ex quibus ordo rerum mere corporalium quoad fundamentalia dependet.

---

(9) *Summa theol.*, I, 50, prol.
(10) *Op. cit.*, I, 108, 3c.

666. Hisce ergo in rebus duo sunt: substantia et accidentia naturalia.

A. *Ordo substantiarum*

667. Et quidem in substantia duo iterum reperiuntur, scilicet species et individua. Species autem respondet formae, individua vero materiae. Principium namque individuationis est materia, speciei autem forma (11). Ita ergo se habent individua eiusdem speciei ad speciem suam sicut materia ad formam sive ut causa materialis ad causam formalem. Constat autem causam formalem esse superiorem materiali, quae ideo formali subordinatur. Ergo similiter species sunt superiores individuis, et consequenter ordo individuorum est sub ordine specierum.

668. In serie igitur substantiarum pure corporalium, ordo specierum est principalis et per se spectans ad bonum universi, dum ordo individuorum est mere secundarius et non pertinens per se ac directe ad tale bonum, sed solummodo indirecte atque reductive, ratione speciei sub qua continentur: quod est pertinere ad bonum ordinis universi quasi per accidens et ratione alterius.

Quam ob rem S. Thomas: "*perfectio*, inquit, *universi essentialis non attenditur in individuis* quorum multiplicatio ordinatur ad perfectionem speciei, *sed in speciebus per se*" (12). Etenim "oportet quod superiores universi partes magis de bono universi participent, quod est *ordo*. Perfectius autem participant ordinem ea in quibus est ordo *per se* quam ea in quibus est ordo *per accidens* tantum. Manifestum est autem quod in omnibus *individuis unius speciei* non est ordo nisi *secundum accidens:* conveniunt enim in natura, et differunt secundum principia individuantia et diversa accidentia, quae *per accidens* se habent ad naturam speciei. Quae autem *specie* differunt, ordinem habent *per se* et secundum essentialia principia" (13).

"Universi enim perfectio attenditur quantum ad species, non autem quantum ad individua, cum continue universo plurima individua addantur praeexistentium specierum" (14). Ac praecise "ad hoc sunt plura individua in una specie in rebus corruptibilibus, ut natura speciei, quae non potest perpetuo conservari in uno individuo, conservetur in pluribus" (15).

(11) "Materia est principium individuationis" (*Summa theol., I*, 86, 3c). "Per formam unumquodque in specie constituitur" (*op. cit.*, I, 5, 5c). "Denominatio fit a forma, quae dat speciem rei" (*In I Periherm.*, lect. 8, n.° 9).
(12) *In II Sent.*, d. 3, 1, 4 ad 3.
(13) *De spiritualibus creaturis*, 8c.
(14) *Summa contra Gentiles*, II, 84 ad 3.
(15) *Op. cit.*, II, 93, 3. Cf. *Op. cit.*, II, 45, 5; *Summa theol.*, I, 47, 2c.

669. Forma autem non solum est principium essendi, verum etiam agendi, quia "unumquodque agens agit per suam formam" (16), et sic "agens per naturam agit per suam formam naturalem" (17), et producit sibi simile in specie, sicut equus equum et homo hominem (18). Non tamen causat ipsam speciem, sed solum individuum vel individua, quia secus causaret seipsum, cum et ipsum sub specie contineatur. Individua tamen producit propter speciem, ut scilicet species conservetur et perficiatur.

670. Atque ita "tres causae possunt incidere in unum, scilicet forma, finis et efficiens, sicut patet in generatione ignis. Ignis enim generat ignem: ergo ignis est causa efficiens in quantum generat. Et iterum ignis est forma in quantum facit esse actu quod prius erat in potentia. Et iterum est finis in quantum est intentus ab agente et in quantum terminatur ad ipsum operatio agentis...

Sciendum tamen est quod *finis* incidit cum *forma* in *idem numero; quia illud idem numero quod est forma generati est finis generationis.* Sed cum *efficiente* non incidit in idem numero, sed *in idem specie.* Impossibile enim est ut faciens et factum sint idem numero, sed possunt esse idem specie: ut quando homo generat hominem, homo generans et generatus sunt diversi numero, sed idem specie" (19).

B. *Ordo accidentium*

671. Similiter accidentia naturalia sunt duplicis classis: alia *spe-*
ciei, quae *et propria* dicuntur, et respondent *formae;* alia *individui*, quae
commune nomen accidentis retinent et contingenter adveniunt substan-
tiae, et *materiae* respondent.

"Accidentia —ait S. Thomas— quae consequuntur *materiam* sunt ac-
cidentia *individui*, secundum quae etiam individua eiusdem speciei
differunt ad invicem; accidentia vero quae consequuntur formam sunt
propriae passiones generis vel *speciei*, unde inveniuntur in omnibus par-
ticipantibus naturam generis vel speciei, sicut risibile consequitur in
homine *formam*, quia risus contingit ex aliqua apprehensione animae
hominis" (20).

Et alio in loco: accidens "quod consequitur *speciem*... pertinet ad

(16) *Summa theol.*, I, 3, 2c.
(17) *Summa contra Gentiles*, II, 92, 2. Cf. *Summa theol.*, I, 47, 1 ad 1.
(18) *Summa theol.*, I, 4, 3c; 19, 3c; 27, 2. "Omne producens aliquod per suam actionem, *producit sibi simile quantum ad formam qua agit:* sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem" (*Op. cit.*, I, 41, 5c).
(19) *De principiis naturae*, cap. 4, p. 97-98. Cf. *in II Physic.*, lect. 11, n.° 2.
(20) *De ente et essentia*, cap. 7; ed. L. BAUR, p. 56-57. Münster in Westf, 1926.

formam; accidens vero quod est *individui,* non consequens totam speciem, consequitur *materiam,* quae est individuationis principium" (21).

672. Illa causantur per emanationem vel naturalem resultantiam ex principiis speciei et ordinantur ad bonum eius ut ad finem; haec vero causantur ex principiis individui, cooperante quandoque exteriori causa, quae in bonum vel in malum individui vergere potest. Qua de causa S. Thomas ait quod illis assignari potest causa finalis, non vero his, nisi materialis: quia revera "intentio naturae est principaliter ad speciem conservandam; unde quamvis generatio terminetur ad hunc hominem, tamen intentio naturae est quod generet hominem" (22)

673. Verumtamen accidentia naturalia non pertinent per se neque principaliter ad ordinem et perfectionem universi, sed ratione speciei vel individui ad quae reducuntur sicut in principia et causas. Quod quidem, ut per se patet, valet maxime de accidentibus individui. Verum etiam de ipsis accidentibus speciei asserendum est, multo magis quam de substantiis individuis; quia semper accidentia quaecumque naturalia sunt infra substantias, et ordo atque perfectio universi potius est in substantiis quam in accidentibus.

674. Ex quibus omnibus id necessario consequitur, ordinem ac bonum universi, vel in ipsis rebus pure corporalibus, maxime in speciebus sive formis substantialibus repositum esse, ut S. Thomas praeclare dicit: "ex diversitate *formarum* sumitur *ratio ordinis rerum*" (23).

675. Requidemvera, ut constat ex supra dictis cum de ordine secundum causam formalem ageremus (ns. 104-117), formae vel species vel essentiae sunt essentialiter inaequales et gradatim constitutae, ita ut una sit alia perfectior, absque solutione tamen continuitatis, in mineralibus, in plantis et in animalibus, iuxta effatum illud a Pseudo Dionysio acceptum: supremum infimi attingit infimum supremi (24). Atque ita summa specierum varietas gradatim disposita unitatem quamdam ordinis eamque pulcherrimam constituit, quam vel ipsi philosophi pagani iure κόσμον appellabant (25).

676. "Ex hac enim diversitate formarum secundum quas rerum spe-

(21) *Summa theol.,* I. 54, 3 ad 2. Cf. *ibid.,* 100, 1c; *in I Sent.,* d. 3, 4, 2c; *De Verit.,* 3, 8c; *De Anima,* 18c; 12 ad 7; *De Spiritualibus creaturis,* 11c; *De Malo,* 5, 5c; *In I Post.,* lect. 14, n.° 2.

(22) *De Verit.,* 3, 8c; *De Anima,* 18c; 12 ad 7.

(23) *Summa contra Gentiles,* III, 97.

(24) *De divinis nominibus,* cap. 7, § 3. MG. III, 872.

(25) Videsis elegantem mundi sensibilis descriptionem apud T. CICERONEM, *De natura deorum,* lib. II, cap. 37-39, 45,-53; ed. cit., t. II, p. 587-590, 594-601.

cies diversificantur, sequitur et *operationum diversitas*", ac proin *agentium,* quia unumquodque agit secundum formam vel speciem suam.

Indeque etiam consequitur *finium* naturalium varietas et ordinatio, quia ordo finium respondet ordini agentium. "Quia enim per propriam actionem res quaelibet ad proprium finem pertingit, necesse est et proprios fines diversificari in rebus" ex quo ponimus diversa agentia secundum diversas formas vel species.

677. Et quia agens disponit materiam super quam operatur secundum exigentiam finis et formae, quia materia est propter formam sicut propter finem proprium atque immanentem, "necesse est quod diversis formis *diversae materiae* respondeant".

678. Rursus, cum inferiora se habeant ad superiora sicut imperfecta ad perfecta, et ideo sicut materialia ad formalia —materia enim se habet ad formam sicut potentia ad actum, ac proin sicut imperfectum ad perfectum—, "oportet quod *illa, quorum formae sunt perfectiores et minus materiales, agant in illa quae sunt magis materialia, et quorum formae sunt imperfectiores*". Superiora igitur et potentiora naturaliter influunt in inferiora et minus valida, ut ea compleant atque perficiant; sicut sol luce, calore et radiatione suis mirum in modum influit in agentia terrestria, ut debito ac potenti modo proprias exerceant operationes suas. Quo in sensu Aristoteles (Physica, I,, 2, 194b 13) praeclare dixit: ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος.

679. Quin etiam formarum diversitas rationem reddit vel accidentium diversitatis, quandoquidem "ex diversitate formarum et materiarum et agentium sequitur *diversitas proprietatum et accidentium.* Cum enim substantia sit causa accidentium sicut perfectum imperfecti, oportet quod ex diversis principiis substantialibus diversa accidentia propria consequantur. Rursus, cum ex diversis agentibus sint diversae impressiones in patientibus, oportet quod secundum diversa agentia diversa sint accidentia quae ab agentibus imprimuntur" (26).

680. Iure igitur dixit Aquinas quod "secundum haec duo invenitur *ordo* in rebus, secundum scilicet quod una est *melior* alia et secundum quod una ab alia *movetur*" (27).

681. Cum autem ordo finium respondeat ordini agentium, semel dato superiora agere in inferiora, necesse est concludere inferiora esse

(26) *Summa contra Gentiles,* III, 97.

(27) *Summa theol.,* I, 103, 4 ad 1.

propter superiora sicut propter finem, mineralia nempe propter vegetalia, vegetalia propter animalia, et animalia propter hominem. Hinc Thomas: "ea quae sunt imperfecta in natura ordinantur ad perfecta sicut ad finem. Unde... cum animalia habeant vitam imperfectam respectu vitae humanae quae simpliciter perfecta est, et plantae respectu animalium; —plantae sunt propter animalia praeparatae eis in cibum a natura, animalia vero propter hominem necessaria ei ad cibum et ad alia auxilia" (28). Nimirum "animalia et plantae ad vitam animalem hominis ordinantur" (29).

2. Ordo rerum ex corpore et spiritu coalescentium

682. Homo autem non est purum animal, licet perfectius ceteris, sed classim specialem constituit ratione animae vel formae substantialis eius, quae spiritualis substantia est et universa corpora transcendit. Ut enim Aquinas docet, "omnis creatura corporalis quantumcumque sit magna quantitate, est tamen *inferior homine ratione intellectus*" (30); quia "substantiae intellectuales et incorporeae, inter quas sunt animae separatae [et separabiles], *excedunt totum ordinem corporum*" (31).

683. Et ratione huius excessus, inferiores creaturae inserviunt homini non solum qua animali ad nutrimentum, vestimentum et adiumentum in labore producendi et procurandi victum, sed etiam obiective qua rationali ad cognoscendum auctorem earum ipsiusque hominis, et consequenter diligendum ac religiose colendum. Quo in sensu S. Thomas iterum: "omnia corporalia propter hominem facta esse creduntur. Unde et omnia dicuntur ei esse subiecta (Psalm. 8, 7-9). Serviunt autem ei *dupliciter:* uno modo ad sustentationem *vitae corporalis;* alio modo ad profectum *divinae cognitionis*, in quantum homo per ea quae facta sunt, intellecta, invisibilia Dei conspicit" (32).

684. Anima namque humana, utpote "perfectisima omnium formarum, est finis omnium formarum naturalium et habet operationem omnino execedentem materiam neque fit per organum corporale, scilicet intelligere" (33). Et ideo non continetur in potentia materiae neque est

(28) *De Pot.*, 5, 9c.
(29) *Ibid.*, arg. 2 sed contra. "Finis ultimus omnium Deus est. Sunt tamen et fines alii sub isto fine secundum quod una creatura ad aliam ordinatur, imperfectiora scilicet ad perfectiora, ut materia ad forman, elementa ad mixta, plantae ad animalia, animalia ad homines" (*Summa theol.*, I, 47, 3 ad 3, e Cod. Casiniensi 138. Cf. etiam I, 65, 2c; *in II De Anima*, lect. 7, n.° 323).
(30) *In II Sent.*, d. 1, 2, 3 ad 3.
(31) *Summa contra Gentiles*, II, 83, 6.
(32) *In IV Sent.*, d. 48, 2, 1c; *Rom.* 1, 20.
(33) *De Spiritualibus creaturis*, 2c.

educibilis ex ipsa per actionem generantis, sed solum est producibilis per creationem "a potentissimo agente, scilicet Deo" (34).

685. Homo igitur non est pars quaecumque universi creaturarum, sed pars quaedam principalis ad quam partes aliae ordinantur, ipsa vero directum atque immediatum ordinem habet ad solum Deum ut ad finem suum proprium. Eo enim ipso quod est principalis pars universi, dum ipsum complet in perfectione sua, mundum universum creaturarum transcendit ex parte causae efficientis eius, et consequenter finalis eius.

686. Quam ob rem merito scribit Aquinas. "homo ordinatur ad perfectionem universi *ut essentialis pars ipsius*, cum in homine sit aliquid quod non continetur virtute nec in elementis nec in caelestibus corporibus, scilicet *anima rationalis*. Corpus etiam hominis ordinatur ad hominem, non secundum animalem vitam sed ad perfectionem naturae ipsius" (35).

Quandoquidem "in bono universi *sicut principale* continetur *rationalis natura* quae est capax beatitudinis, *ad quam omnes aliae creaturae ordinantum*" (36).

Unde et "similitudo divinae bonitatis, quantum ad nobilissimas participationes ipsius, non resultat in universo nisi *ratione nobilissimarum partium eius, quae sunt intellectuales naturae*" (37).

687. Cuius rationem profundissime reddidit hisce verbis: "*universum* est perfectius in bonitate quam intellectualis creatura *extensive et diffusive*; sed *intensive et collective* similitudo divinae bonitatis magis invenitur in *intellectuali creatura*, quae est capax summi boni" (38).

Et ideo iure concludit: "*secundum ordinem finis, nihil homine existit altius nisi solus Deus*, in quo solo perfecta hominis beatitudo consistit" (39).

3. Ordo rerum pure spiritualium

688. Quod autem dicitur de homine, id a fortiori asserendum de angelis, qui hominibus naturaliter superiores sunt, et "in summo rerum vertice constituti" (40). In ipsis ergo invenitur semper ordo per se, quia cum sint formae purae et absque ulla materia, specifice differunt atque

(34) *Ibid.*, ad 8.
(35) *De Pot.*, 5, 10c.
(36) *De Caritate*, 7 ad 5.
(37) *In II Sent.*, d. 16, 2 ad 3.
(38) *Summa theol.*, I, 93, 2 ad 3.
(39) *Summa contra Gentiles*, IV, 54, 1. Cf. *Summa theol.*, I-II, 2, 8 ad 2.
(40) *Summa contra Gentiles*, II, 46, 1.

essentialiter inaequales sunt inter se. Unde in eis tot sunt species quot individua, neque haec intra eandem speciem multiplicantur, ut contingit in substantiis compositis ex materia et forma.

689. Huiusmodi tamen multiplicatio ac distincto formalis non esset possibilis, nisi talis forma vel essentia realiter differret ab eius esse, respectu cuius rationem induat potentiae receptivae. Quo fit, ut *pluralitas*, quae omnino requiritur ad ordinem in creatis, radicem habeat in eorum essentia quatenus potentia receptiva τοῦ esse sibi debiti; *inaequalitas* autem, quae est alia eiusdem ordinis conditio, rationem habeat in praedictae essentiae puritate formali, quae non patitur multiplicationem mere numericam intra eandem speciem. Et sic ordo ac "perfectio universi maxime consistit in substantiis separatis" (41).

690. Neque tamen huiusmodi substantiae sunt paucae numero, quin potius excedere videntur multitudinem omnium rerum materialium hominumque. "Et huius ratio est, quia cum *perfectio universi* sit illud quod *praecipue* Deus intendit in creatione rerum, *quanto aliqua sunt magis perfecta tanto in maiori excessu sunt a Deo creata.* Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum *magnitudinem*, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum *multitudinem*... Unde rationabile est quod substantiae immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter" (42).

691. Et quidem planum est non solum hominem, sed et angelos habere rationem *finis* respectu rerum corporalium et irrationalium intra ambitum totalitatis universi. Ut enim sapienter argumentatur S. Thomas, "quandocumque sunt aliqua ordinata ad finem aliquem, si qua inter illa ad finem pertingere non possunt per seipsa, oportet ea ordinari ad illa quae finem consequuntur, quae propter se ordinantur in finem. Sicut finis exercitus est victoria quam milites consequuntur per proprium actum pugnando, qui soli propter se in exercitu quaeruntur; omnes autem alii ad alia officia deputati, puta ad custodiendum equos, ad parandum arma, propter milites in exercitu quaeruntur. Constat autem ex praemissis cap. 17 finem ultimum universi *Deum esse, quem sola intellectualis natura consequitur in seipso, eum scilicet cognoscendo et amando,* ut ex dictis cap. 25 patet. *Sola igitur intellectualis natura est propter se quaesita in universo, alia autem omnia propter ipsam*" (43).

---

(41) *Op. cit.*, II, 93, 4.

(42) *Summa theol.*, I, 50, 3c. "*Ordo universi* exigere videtur ut illud quod est in rebus nobilius excedat quantitate vel numero ignobiliora: ignobiliora enim videntur esse propter nobiliora. Unde oportet quod nobiliora, quasi propter se existentia, multiplicentur quantum possunt" *(Summa contra Gentiles,* II, 92, 3).

(43) *Summa contra Gentiles*, III, 112, 3.

692. Sed et inter angelos et creaturas inferiores datur ordo causalitatis *efficientis*. Haec enim est lex universalis rerum universum constituentium et divinae gubernationis sese rebus gubernatis attemperantis, ut superiora agant in inferiora et inferiora regantur a superioribus. Agunt enim superiores angeli in inferiores, eos illuminando et confortando; ac insuper omnes inferiores reguntur imperio angeli supremi (44). Agunt et in homines, eos quoque illuminando et custodiendo (45). Agunt etiam in creaturas mere corporales, influendo in superiores easque movendo, ut et ipsae in inferiores agant.

Ut enim optime ait S. Thomas, "in omnibus coordinatis ad invicem prima agunt in posteriora, et non e converso. Sed substantiae spirituales sunt priores corporalibus, utpote primo principio propinquiores. Ergo per actionem spiritualium gubernantur corporales, et non e converso" (46). Et sic Deus "inferiora per superiora dispensat. Corporalia quidem per spiritualia...; inferiores vero spiritus per superiores...; inferiora etiam corpora per superiora" (47).

693. Et quidem superiori et efficaciori modo angeli influunt in res corporeas quam ipsae vires physicae superiorum corporum in inferiora. Nam "*id quod potest virtus inferior, potest superior, non eodem modo sed excellentiori modo,* sicut intellectus cognoscit sensibilia excellentiori modo quam sensus. *Et sic angelus excellentiori modo transmutat materiam corporalem quam agentia corporalia, tamquam causa superior*" (48).

694. Ceterum huiusmodi lex causalitatis efficientis ordinatae superiorum in inferiora, necessario sequitur ex ordinata causalitate formali ipsarum rerum. Etenim "*cum actio sequatur naturam rei, quorumcumque naturae sunt ordinatae oportet quod etiam actiones sub invicem ordinentur.* Sicut patet in rebus corporalibus: quia enim inferiora corpora naturali ordine sunt infra corpora caelestia, actiones et motus eorum subduntur actionibus et motibus caelestium corporum" (49).

---

(44) Cf. *Summa theol.*, I, 106, 1.

(45) Op. cit. I, 111. 1; 113, 1.

(46) *De Verit.*, 5, 8, arg. 6 contra.

(47) *Summa contra Gentiles*, III, 83. "Hoc habet ordo divinae providentiae non solum in angelis sed etiam in toto universo, quod inferiora per superiora administrentur" *(Summa theol.,* I, 112, 2c).

(48) *Summa theol.*, I, 110, 2 ad 2. Cf. *De operationibus occultis naturae*, n.° 8; Opuscula philosophica, ed. J. PERRIER, O. P., p. 207-208. Parisiis, 1949.

(49) *Summa theol.*, I, 109, 2c.

695. Et sic habetur ordo universi secundum causam efficientem, in quo alia sunt mota et non moventia, alia sunt moventia et non mota, alia denique moventia mota. Vel, ut ait S. Doctor, "in universo est aliquid rectum et non regens, sicut ultima corporum; aliquid etiam non rectum sed regens, scilicet Deus. Ergo aliquid est regens et rectum, quod est medium inter utraque. Ergo Deus mediantibus creaturis superioribus regit inferiores" (50).

696. Huc accedit quod "*superiora in entibus sunt exemplaria inferiorum.* Substantiae autem separatae sunt supra res naturales. Ergo sunt exemplaria rerum naturalium" (51).

697. Et sic ordo universi naturalis totus consistit in ordine causarum unius creaturae in aliam, maxime autem in ordine causae formalis, finalis et efficientis. Ipsae namque creaturae superiores, quae maximas partes habent in tali ordine, in ceteras omnes influxum exercent causae finalis, efficientis et exemplaris, ac insuper propria sua forma vel essentia ordinem per se et principalem constituunt universi, quem suo modo formae vel species rerum corporalium participant atque imitantur.

698. Et licet in hoc ordine universi contineatur etiam ordo effectuum —coalescit enim totus huiusmodi ordo ex ordine causarum et ex ordine effectum—, maxime tamen ac fundamentaliter consistit in ordine causarum, ex quo ordo effectum dependet. Unde Thomas: "nobilior est ordo causarum quam effectuum, sicut et causa potior est effectu" (52).

II

ORDO RERUM SUPERNATURALIUM

699. Sed ultra hanc seriem ordinatam rerum naturalium datur in universo alia longe superior, scilicet series rerum supernaturalium; quia "bonum gratiae unius maius est quam bonum naturae totius universi" (53), et minima actio Christi hominis "plus valet quam totum bonum naturae humanae" (54). Unde et "ordo gratiae non habet alium

(50) *De Verit.*, 5. 8, arg. 10 sed contra.
(51) *De Anima*, 18, arg. 7 sed contra.
(52) *Summa contra Gentiles*, III, 77, 6.
(53) *Summa theol.*, I-II, 113, 9 ad 2.
(54) *In III Sent.*, d. 1, 1, 2 ad 6, n.° 45.

superiorem ordinem" in tota rerum creatarum universitate (55). Cum quo tamen stat quod inter ordinem naturalem et supernaturalem nulla est oppositio, sed mutua harmonia atque concentus secundum analogiam quandam proportionalitatis. Uterque enim ex divina sapientia procedit, quae semper et in omnibus ordinatissime procedit. Et ideo rectissime S. Thomas ait: "gratia et virtus *imitantur* naturae ordinem, qui est ex divina sapientia institutus" (56).

Sicut ergo natura et naturalia, atque idcirco naturalis ordo rerum, ex causis naturalibus dependent et per eas explicantur, ita proportionali modo gratia et virtutes totusque ordo supernaturalis ex causis supernaturalibus intelligi ac explicari debent. Qua de re plura diximus supra, loquentes de causa formali et de causa exemplari (ns. 288-489).

700. Nunc autem satis sit considerare ordinem *gratiae,* ad quam proprie vel reductive pertinere videntur omnia spectantia ad ordinem rerum supernaturalium creatarum.

701. Et quidem est duplex quasi genus gratiae: aliud gratiae gratum facientis, aliud gratiae gratis datae.

Gratia gratum faciens non tantummodo gratis accipitur a Deo absque meritis praecedentibus, verum etiam gratum facit habentem, quia immediate ac formaliter iustificat vel sanctificat ipsum, filiumque Dei adoptivum constituit et heredem vitae aeternae. Quod quidem, ut per se patet, intelligendum est de gratia habituali, cui primo ac perfecte convenit hoc nomen; non autem de gratia mere actuali disponenti subiectum ad iustificationem, cui solum convenit reductive, quasi moventi ad iustitiam, et ideo tantum confert subiecto *fieri* gratum, non vero *esse.*

1. **Ordo gratiae gratis datae**

702. Sed gratia gratis data, licet gratis etiam a Deo accipiatur praeter merita et exigentias naturae, non tamen reddit gratum subiectum in quo recipitur *in facto esse* sicut gratia habitualis, neque *in fieri* sicut gratia actualis dispositiva. Verumtamen et ipsa ordinatur ad sanctificationem aliorum hominum, non ipsius qui eam recipit, quia datur *ad utilitatem* (I Cor. 12, 17), ut scilicet per eam "unus homo cooperetur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur" (57), sive ad hoc quod iustificetur et sanctificetur, idest ut Deo flat gratus.

(55) *Summa theol.*, I, 112, 2c.
(56) *Op. cit.*, II-II, 31, 3c.
(57) *Op. cit.*, I-II, 111, 1c.

703. Concurrit ergo ad iustificationem aliorum, non formaliter ut gratia habitualis, sed efficienter; neque tamen interius producens ipsam gratiam vel dispositiones interiores ad eam recipiendam, sed exterius tantum ac ministerialiter docendo vel persuadendo verbis vel factis ut divinam revelationem accipiant. Atque ita concurrunt ad aliorum instructionem per doctrinam intrepida et supereminens convictio veritatum fidei una cum congruenti earum expositione externa per sermonem sapientiae et scientiae; per facta vero talem doctrinam efficaciter confirmantia concurrunt miracula, prophetiae et cognitio secretorum cordis.

704. Itaque gratia data est gratia quaedam diminuta respectu gratiae gratum facientis, ad quam comparatur sicut medium ad finem (58), sicut gratia mere exterior ad interiorem (59), et sicut accidens ad substantiam. Unde et analogice tantum conveniunt in ratione communi gratiae et supernaturalitatis, cum gratia gratum faciens sit supernaturalis quoad substantiam, dum gratis data sit tantum supernaturalis quoad modum.

705. Quae quidem *analogia est attributionis intrinsecae ad unum finem et ad unam formam quae revera in idem incidunt*. Nam gratiae gratis datae se habent ad gratiam gratum facientem ut media ad finem et ut causantes dispositiones exteriores iustificationis ad formam ipsam gratiae habitualis iustificantis. Unde S. Thomas ad ordinem expresse provocat in hisce duobus generibus pendendis: "sicut Apostolus dicit ad Rom. 13, 1, quae a Deo sunt *ordinata* sunt. In hoc autem ordo rerum consistit, quod quaedam per alia in Deum reducuntur, ut Dionysius dicit in libro Caelestis Hierarchiae, cap. 4, § 3; MG. 3, 181. Cum igitur gratia ad hoc ordinetur ut homo reducatur in Deum, *ordine* quodam hoc agitur, ut scilicet quidam per alios in Deum reducantur" (60). Ordo quidem immediate causalitatis efficientis, qui tamen radices habet ultimas in ordine causalitatis formalis et finalis. Quo in ordine gratia gratum faciens est *dignior* et nobilior gratia gratis data (61). Et quamvis haec sit exterior respectu prioris, non est tamen analoga per meram denominationem extrinsecam, sed per veram participationem intrinsecam gratiae analogice communis utrique generi gratiae; quia gratia gratis data non est gratia mere denominative, sed vere et realiter.

706. *Inter ipsa autem miracula quidam ordo invenitur* secundum causalitatem efficientem et secundum causalitatem finalem.

(58) *Op. cit.*, I-II, 111, 5c.
(59) *Op. cit.*, II-II, 6, 1.
(60) *Op. cit.*, I-II, 111, 1c.
(61) *Op. cit.*, I-II, 111, 5.

707. Secundum causalitatem quidem *efficientem*, prout id, quod miraculose vel supernaturaliter fit, magis vel minus excedit facultatem operativam causarum efficientium naturalium sive creatarum. Et sic Thomas distinguit triplicem gradum. *Primus* et maximus est quando id, quod a Deo fit, "nullo modo natura facere potest", sicut quod duo corpora sint simul vel quod corpus humanum dotes gloriosas induat: eumque appellat miraculum "*quantum ad substantiam facti*" *vel rem factam*. *Secundus* gradus est quando in quod fit non excedit omnem facultatem naturae absolute loquendo, sed tantum *ratione subiecti in quo fit*, sicut resurrectio mortuorum qua iterum in vitam revocantur. "Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo". *Tertius* denique gradus est quando id quod fit non excedit facultatem causarum naturalium quantum ad rem quae fit neque quantum ad subiectum in quo fit, sed solum "*quantum ad modum et ordinem faciendi*, sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae in talibus", idest absque applicatione pharmaci et sine protracta mora convalescentiae (62).

708. Hisce tamem miraculis non tollitur neque intercipitur proprie loquendo *ordo* causarum secundarum ad proprios effectus, ac proin neque ordo universi perturbatur, sed solummodo interrumpitur *cursus* naturae consuetus. Ut enim optime escribit S. Doctor, "licet Deus faciat aliquem effectum praeter actionem causae naturalis, non tamen tollit *ordinem* causae ad suum effectum: unde et in igne fornacis remanebat *ordo ad comburendum*, licet non combureret [de facto] tres pueros in camino" (63). Et ideo "quando Deus agit aliquid contra *cursum* naturae, non tollitur totus *ordo* universi, sed *cursus* qui est ex ordine unius particularis rei ad aliam" (64).

709. Secundum causalitatem etiam *finalem* ordo miraculorum reperitur. Miracula enim sunt potissima *motiva credibilitatis* divinae revelationis. "Operatur enim ea Deus *ad hominum utilitatem*. Et hoc dupliciter: uno quidem modo ad *veritatis* praedicatae confirmationem; alio modo ad demonstrationem *sanctitatis* alicuius, quem Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis" (65). Semper tamen "fiunt *ad gratiae ostensionem*, propter quam solam fiunt miracula" (66).

(62) *Op. cit.*, I, 105, 8c; *Summa contra Gentiles*, III, 101.
(63) *De Pot.*, 6, 1 ad 20.
(64) *Ibid.*, ad 21. Cf. *ibid.*, ad 7.
(65) *Summa theol.*, II-II, 178, 2c.
(66) *De Pot.*, 6, 2 obl. 5.

710. Cum autem gratia et veritas per Iesum Cristum facta sint, qui est Verbum incarnatum (Joan. 14, 17), ipsa "incarnatio Verbi est *miraculum miraculorum,* ut sancti dicunt, quia est maius omnibus miraculis, *et ad istud miraculum omnia alia ordinantur.* Et propter hoc non solum est inducens ad alia credendum, sed etiam alia miracula inducunt ad hoc quod ipsum credatur. Nihil enim prohibet unum miraculum inducere ad finem alterius, sicut resurrectio Lazari inducit ad futuram resurrectionem credendam" (67).

2. Ordo gratiae gratum facientis

711. Quod si modo consideremus gratiam *gratum facientem habitualem,* eius possumus omnia causarum genera signare, e quibus ordo ipsius dependet.

712. *Finalis* quidem est gloria Dei, Christi hominis qua caput totius corporis mystici quod est Ecclesia, et ipsorum iustorum utpote quae in idem incidit cum eorum beatitudine formali. Ideo Thomas: "vita gratiae non habet rationem finis, sed rationem eius quod est ad finem. Unde ad vitam gratiae non dicitur aliquis eligi nisi in quantum vita gratiae ordinatur ad *gloriam*" (68).

713. *Efficiens* autem *physica,* propria et principalis, est ipse Deus; instrumentalis vero coniuncta Humanitas Christi, ac separata Novae Legis sacramenta.

714. *Moralis* autem sive *meritoria universalis* est quidem principalis et de condigno ex toto rigore iustitiae ipse Christus homo, sub quo et quasi secundaria atque de congruo Beata Virgo, Mater eius et nostra.

715. *Formalis* vero est gratia ipsa habitualis, qui est habitus quidam entitativus deificans animas nostras, sive formaliter praebens eis esse quoddam divinum, quo regeneramur in filios Dei adoptivos.

716. Quasi *materialis in qua* est ipsa essentia animae secundum potentiam eius obedientialem.

717. *Exemplaris* tandem est ipsa divina natura quam participamus et imitamur, ut vera imago supernaturalis et recreationis eius, similis imagini increatae Filii Dei naturalis, cui pro modo nostro conformamur ut fratres eius et filii Dei adoptivi.

718. Insuper ex gratia ipsa habituali ordinate procedunt per quandam quasi connaturalem emanationem omnes virtutes infusae ac dona Spiritus Sancti, quibus opera salutaria et meritoria vitae aeternae exercemus.

(67) *Ibid.,* ad. 9.
(68) *Summa theol.,* I, 24, 2 ad 3.

719. Qui quidem causarum et gratiae ordo, multo sane pulchrior quam ordo naturae, docetur quoad substantiam et fundamentalia elementa a Concilio Tridentino hisce verbis praeclarissimis: "iustificationis causae sunt:

finalis quidem gloria Dei et Christi ac vita aeterna;

efficiens vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat (I Cor. 6, 11) signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae (Ephes. 1, 13-14).

meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici (Rom. 5, 10), propter nimiam caritatem qua dilexit nos (Ephes. 2, 4), sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit;

instrumentalis item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit iustificatio;

demum unica *formalis* causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustus facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitia in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult (I Cor. 12, 11), et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem" (69).

720. Utraque tamen series fundamentalis rerum creatarum, naturalium scilicet et supernaturalium, ordinata est inter se, tum secundum causam formalem, tum praesertim secundum causam finalem.

721. Secundum causam *formalem* quidem, quia supernaturalia incomparabiliter execedunt in perfectione omnia naturalia, quandoquidem "gratia elevat hominem ad vitam quandam quae est *supra conditionem omnis naturae creatae.* Est enim esse gratiae supra esse naturale et hominis et angeli, quae sunt supremae creaturae" (70). Et ideo "vita naturalis *quasi nihil* est in comparatione ad vitam gratiae" (71). Unde secundum hoc genus causae, totus ordo creaturarum naturalium est sub ordine rerum creatarum supernaturalium, idest totus ordo naturae est sub ordine gratiae.

(69) Denz, n.° 799.
(70) *In IV Sent.,* d. 5, 1, 3, qla. 1c, n.° 46. "Perfectio gratiae est dignior perfectione naturae" *(In IV Sent.,* d. 31, 1, 3c).
(71) *De duobus praeceptis caritatis et decem Legis praeceptis,* de quarto praecepto; *Opuscula theol.,* t. II, n.° 1245, ed. R. Spiazzi, O. P., Taurini-Romae, 1954.

722. Praesertim vero tota subordinatur gratiae et gloriae secundum causam *finalem*, quia scilicet totus ordo naturae est propter ordinem gratiae et gloriae sicut propter finem. Gloria enim angelorum et hominum "est finis operationis ipsius naturae per gratiam adiutae" (72). Est namque perfectio gloriae "ultima rerum consummatio" (73).

723. Et sic "omnes creaturae corporales ordinantur ad spirituales, et totus motus deserviens generationi et corruptioni ordinatur ad generationem hominis" (74), et tota generatio hominis ordinatur ad complendum numerum electorum. "Ponimus enim quod motus caeli est *propter implendum numerum electorum*. Anima namque rationalis quolibet corpore nobilior est, et ipso caelo. Unde nullum est inconveniens si ponatur *finis motus caeli multiplicatio rationalium animarum*" (75).

724. Et quidem "completio numeri electorum secundum doctrinam fidei non ponitur secundarius finis motus caeli, sed *principalis*, licet non ultimus, quia finis ultimus uniuscuiusque rei est bonitas divina" (76). "Ut intelligamus quod Deus ex nihilo universas creaturas in esse producens, *primam universi perfectionem*, quae *consistit in partibus essentialibus universi et diversis speciebus, per seipsum instituit. Ad ultimam* vero *perfectionem*, quae erit *ex consummatione ordinis beatorum, ordinavit diversos motus et operationes creaturarum:* quosdam quidem *naturales*, sicut motum caeli et operationes elementorum per quas materia praeparatur ad susceptionem *animae rationalis;* quosdam vero *voluntarios*, sicut *angelorum* ministeria, qui mittuntur *propter eos qui hereditatem capiunt salutis*" (77). "Ultima ergo perfectio, quae est *finis totius universi, est perfecta beatitudo sanctorum*" (78).

725. Itaque diligentibus Deum et a Deo electis ac praedestinatis omnia cooperantur in bonum. "Ad cuius evidentiam, ait S. Thomas, considerandum est quod *quidquid fit in mundo*, etiamsi malum sit, *cedit in bonum universi;* quia, ut Augustinus dicit in *Enchiridion*, cap. 11 (ML. 40, 236), Deus est adeo bonus, quod nihil mali esse permitteret, nisi esset adeo potens quod ex quolibet malo posset elicere aliquod bonum.

---

(72) *Summa theol.*, I, 62, 3 ad 3.
(73) *In IV Sen.*, d. 47, 2, 2, qla. 1c.
(74) *In Heb.*, 1, 12, lect. 5, n.° 75.
(75) *De Pot.*, 5, 5c.
(76) *Ibid.*, ad 6.
(77) *Ibid.*, ad 13. Cf. *ibid.*, a. 6 c; a. 9 ad 8; *in II Sent.*, d. 32, 2, 2, arg. 2 sed contra.
(78) *Summa theol.*, I, 73, 1c.

Non autem semper cedit malum in bonum eius in quo est, sicut corruptio unius animalis cedit quidem in bonum universi in quantum per corruptionem unius generatur aliud, non tamen in bonum eius quod corrumpitur: quia *bonum universi est a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur omnes partes universi*.

726. *Et eadem ratio esse videtur circa ordinem nobilissimarum partium ad alias partes,* quia malum aliarum partium ordinatur in bonum nobilissimarum. Sed quidquid fit circa nobilissimas partes non ordinatur nisi in bonum ipsarum; quia *de eis propter se cura habetur, de aliis autem propter ipsas:* sicut medicus infirmitatem pedis sustinet ut curet caput.

727. *Inter omnes autem partes universi excellunt sancti Dei*, ad quorum quemlibet pertinet quod dicitur Matth. 24, 23: super omnia bona sua constituet eum. Et ideo *quidquid accidit vel circa ipsos vel circa alias res, totum in bonum eorum cedit;* ita quod verificatur quod dicitur Prov. 11, 29: qui stultus est serviat prudenti, quia scilicet etiam mala peccatorum in bonum iustorum cedunt. Unde et Deus specialem curam de iustis habere dicitur, secundum illud Psalmi 33, 16; oculi Domini super iustos, in quantum scilicet sic de eis curat, quod nihil mali circa eos esse permittit quod non in eorum bonum convertat" (79).

III

ORDO TOTIUS UNIVERSITATIS CREATURARUM A DEO ET AD DEUM

728. Cum quo tamen stat quod tam homines sancti in terra quam angeli et animae beatae in caelo, sunt partes totius universitatis creaturarum; et ideo clauduntur sub ordine universali sive bono communi immanenti totius universi. Haec enim universitas, sicut nomine ipso patet (80),unum quoddam constituit, non quidem unitate substantiae, sed "unitate *ordinis*", secundum quod singulae partes eius sunt ordinatae inter se, et omnes simul ad Deum. Quo fit, ut omnia sint "ordinata uno ordine et ad unum", quod est primum atque universale principium totius ordinationis (81).

"*Ipsa enim unitas universi procedit ab unitate divinae mentis*, sicut forma domus quae est in materia provenit ex forma domus quae est in mente artificis" (82).

---

(79) *In Rom.*, 8, 20, lect. 6, nis. 696-697.
(80) "Pulchritudo universitatis..., quae profecto *ab uno* cognominata est" (S. Augustinus, *De ordine*, lib. 1, cap. 2, n.° 3; ML. 32, 979).
(81) *Summa theol.*, I, 47, 4c et ad 1.
(82) *In librum Dionysii De divinis nominibus*, cap. 13, lect. 2, n.° 979. Cf. *ibid.*, cap. 11. lect. 2, n.° 908.

729. Necesse est ergo quod ordo totius universitatis creaturarum inter se reducatur ad Deum sicut ad propriam causam exemplarem, efficientem et finalem.

730. *Exemplarem* quidem, quia Deus est agens per intellectum, et ideo omnium eorum quae condidit habet in se ideam exemplarem intellectam, ad cuius imaginem et similitudinem facta sunt. Ergo "necesse est est quod ipse habeat *ideam ordinis universi*" (83).

731. *Efficientem* quoque: tum quia huiusmodi ordo est id quod *optimum et maximum* est in rebus creatis, et optimum effectus reduci debet in causam primam sicut in causam propriam; tum etiam quia talis ordo est bonum *commune* totius universi creaturarum, et effectus communis est proprius causae communis sive universalis, quae solus Deus est.

Unde Thomas congruenter: "id quod est optimum in rebus causatis reducitur ut in primam causam in id quod est optimum in causis; oportet enim effectus proportionales esse causis. Optimum autem in omnibus entibus causatis est *ordo universi;* in quo bonum universi consistit, sicut et in rebus humanis bonum gentis est divinius quam bonum unius (I Ethic., II, 8; 1094b). *Oportet igitur ordinem universi sicut in causam propriam reducere in Deum*" (84).

Et alio in loco: "effectus suis causis proportionaliter respondent, ut scilicet effectus in actu causis actualibus attribuamus et effectus in potentia causis quae sunt in potentia; et similiter effectus particulares causis particularibus, universalibus vero universales" (85). Cum igitur ordo universi sit bonum commune eius, respondere debet causae communi rerum omnium creatarum, nempe Deo. Et ideo "*id quod maxime curat Deus in rebus creatis est ordo universi*" (86).

732. *Finalem* denique, quia tam multiplices atque diversae res creatae non suscipiunt ordinationem ad invicem nisi propter ulteriorem ordinationem earum omnium ad unum finem simpliciter ultimum et transcendentem, qui Deus est. Unitas enim ordinis immanentis in tanta rerum diversitate non habet rationem sufficientem in ipsis rebus tam disparibus, sed in aliqua causa exteriori una, quae eas ad unitatem reducat propter finem unum ei proprium, qui est ipsamet, quique eo ipso est etiam communis omnium finis.

---

(83) *Summa theol.*, I, 15, 2c.
(84) *Summa contra Gentiles*, II, 42, 2.
(85) *Op. cit.*, II, 21, 3.
(86) *Op. cit.*, III, 64, 9.

"Ordo namque ad finem est fini propinquior quam ordo partium ad invicem, *et quodammodo causa eius*" (87). Quia "omnium diversorum ordinatorum ad invicem, ordo eorum ad invicem est propter ordinem eorum ad aliquid unum: sicut ordo partium exercitus ad invicem est propter ordinem totius exercitus ad ducem" intuitu victoriae, quae est finis proprius ducis et communis totius exercitus (88). "Unde si non esset ordo ad ducem, non esset ordo partium exercitus ad invicem" (89). Non esset autem ordo ad ducem, nisi esset ordo ad finem ducis proprium cum exercito suo, qui est victoria.

733. Et sic etiam omnes partes universi creaturarum ad invicem ordinatae, idest totus ordo immanens universi, est propter ultimum finem extra et supra ipsum positum, qui Deus est. Qua de causa S. Thomas, de tota creaturarum universitate et de omnibus eius partibus, ne exceptis quidem superioribus ac principalioribus, ait: "universitas creaturarum ad quam comparatur homo ut pars ad totum, non est ultimus finis, sed ordinatur in Deum sicut in ultimum finem. Unde bonum universi non est ultimus finis hominis, sed ipse Deus" (90).

734. Hoc exigit universale principium correlationis et proportionis inter causam finalem et causam efficientem, vi cuius ordo finium respondet ordini agentium. Quia ergo totius ordinis universi est una causa efficiens prima, nempe Deus, necesse est quod etiam sit una causa finalis prima in suo genere, nimirum unus finis ultimus omnium rerum, qui ipsemet Deus est. Ergo "finis *quidam* universi est aliquod *in ipso* existens, scilicet *ordo ipsius universi*. Hoc autem bonum non est *ultimus* finis, sed *ordinatur ad bonum extrinsecum ut ad ultimum finem*" (91), nempe ad Deum.

735. Deus ergo, qui omnia in numero, pondere et mensura disposuit (92); qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (93); qui sapientia sua fundavit terram, et sua prudentia

---

(87) *De Verit.*, 5, 1 ad 9.
(88) *Summa contra Gentiles*, I, 42, 6.
(89) *De Verit.*, 5, 4c.
(90) *Summa theol.*, I-II, 2, 8 ad 2.
(91) *Op. cit.*, I, 103, 2 ad 3. Cf. *ibid.*, corp., et *in II Sent.*, d., 38, 1c. "Duplex bonum ordinis invenitur in universo: unum quidem secundum quod totum universum ordinatur ad id quod est extra universum, sicut exercitus ordinatur ad ducem; aliud secundum quod partes universi ordinantur ad invicem, sicut et partes exercitus. Secundus autem ordo est propter primum. Deus autem ex eo quod vult *se ut finis* est, vult *alia*, quae ordinantur in ipsum *ut in finem*" (*Summa contra Gentiles*, I, 78, 3).
(92) *Sap.*, 11, 21.
(93) *Ibid.*, 8, 1.

stabilivit caelos (94): —magna et mirabilia et valde bona sapientissime fecit, iuxta illud: vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona (95); et illud: quam magnificata sunt opera tua, Domine!; omnia in sapientia fecisti (96).

736. Ex quo sequitur totum universum et singulas eius partes esse ordinatissima; quia omnia haec sunt effectus sapientiae infinitae, cuius est ordinatissime agere et ordinatissime disponere atque gubernare omnes eius effectus, siquidem sapientis est ordinate agere et ordinare omnia ad ipsum quoquo modo pertinentia (97). Unde "quidquid est in mundo totum *ordinatum est*" (98), "in quo quaelibet pars suum locum *ordinatissime* tenet" (99). Et sic "partes mundi sunt *optime et ordinatissime* dispositae secundum suam naturam" (100).

737. Quam ob rem S. Augustinus, commentans verbum Psalmi paulo supra citatum, ait: "merito magna, merito excelsa opera Domini. Ubi facta sunt opera ista tam magna? Quae illa statio Dei ubi stetit, vel quae illa sessio ubi sedit, et ista operatus est? Qui locus ubi ista operatus est? Unde processerunt ista tam pulchra?

Si ad litteram accipias, omnis *ordinata* creatura, *ordinate* currens, *ordinate* pulchra, *ordinate* oriens, *ordinate* occidens, *ordinate* peragens omnia tempora, unde processit?... Quaero ubi fecit, locum non invenio; sed video quid sequatur: omnia *in Sapientia fecisti*" (101).

738. Et S. Thomas subiungit: "*quae sunt a Deo, ordinata sunt.* Cuius ratio est, quia Deus omnia per suam *Sapientiam* fecit, secundum illud Psalmi 103, 246; omnia *in sapientia* fecisti. Est autem proprium sapientiae *ordinate* omnia disponere, Sap. 8, 1: atttingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Et ideo oportet effectus divinos *ordinatos* esse, Job. 38, 33: numquid nosti *ordinem* caeli, et pones rationem eius in terra" (102).

IV

CONCLUSIO. ORDO TOTIUS UNIVERSI ET PERFECTIO HUMANI INTELLECTUS PER SAPIENTIAM

739. Equidem verum est nos in hac vita non posse totum ordinem universi et singularum partium eius ex amussim detegere atque perpen-

(94) *Prov.*, 3, 19; *Ier.* 10, 12.
(95) *Gen.* 1, 31.
(96) *Psalm.*, 103, 24
(97) ARISTOTELES, *Metphysica*, I, 2; 982a 18.
(98) *In I Sent.*, d. 39, 2, ad 5.
(99) *Summa theol.*, I, 49, 3c.
(100) *Quodlib.*, 4, 3, arg. sed contra.
(101) *Enarratio in Psalm. 103*, 24; Serm. III. n.° 25, ML. 37, 1377.
(102) *In Rom.*, 13, 1; lect. 1, n.° 1024.

dere, sicut non valemus ipsam divinam sapientiam perfecte comprehendere. Possumus tamen, divina revelatione praelucente, lineamenta fundamentalia cognoscere, ut apparet ex omnibus hucusque dictis; quorum veluti synthesim dedit S. Thomas ex analogia proportionalitatis inter artificem divinum et artificem humanum, hisce verbis praeclarissimis: "omne agens intendit facere aliquid finitum [=determinatum]... Quicumque autem intendit aliquam *determinatam* mensuram in suo effectu, excogitat aliquem *numerum* in partibus *essentialibus* eius quae *per se* requiruntur ad perfectionem totius. Non enim per se eligit aliquem numerum in his quae non principaliter requiruntur, sed solum propter aliud; sed in tanto numero accipit huiusmodi in quantum sunt necessaria propter aliud.

Sicut aedificator excogitat *determinatam* mensuram *domus*, et etiam *determinatum* numerum mansionem quas vult facere in domo, et *determinatum* numerum mensurarum parietis vel tecti; non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis.

Sic igitur considerandum est *in Deo* respectu *totius universitatis*, quae est eius effectus. Praeordinavit enim in qua *mensura* deberet esse *totum universum, et quis numerus* esset conveniens *essentialibus* partibus universi, quae scilicet habent aliquo modo ordinem ad *perpetuitatem:* quot scilicet sphaerae, quot stellae, quot elementa, quot species rerum. *Individua* vero *corruptibilia* non ordinantur ad bonum universi principaliter, sed quasi *secundario*, in quantum in eis salvatur bonum *speciei*. Unde, licet Deus sciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum vel culicum vel aliorum huiusmodi est per se praeordinatus a Deo, sed tot huiusmodi divina providentia producit quod sufficiunt ad specierum conservationem.

Inter omnes autem creaturas *principalius* ordinantur ad bonum universi creaturae *rationales*, quae, in quantum huismodi, *incorruptibiles* sunt; et *potissime* illae quae *beatitudinem* consequuntur, quae *immediatius* attingunt *ultimum finem*" (103).

740. Ex quibus id unum consequitur, summam sapientiam ac perfectionem humanam in eo sitam esse, ut cognoscamus quantum possibile est ordinem totius universi et causarum eius, qui revera est ordo ipsius divinae sapientiae. Tanto enim est perfectior humana sapientia quanto magis participat sapientiam divinam eique magis assimilatur; quod quidem obtinet melius ac profundius cognoscens ordinem totius universitatis creaturam et causarum eius.

(103) *Summa theol.*, I, 23, 7c. Cf. *ibid.*, ad 2.

741. Quam veritatem pro suo modo adinvenisse videtur Avicenna, ut patet ex his verbis: "dico igitur quod summa perfectio animae rationalis est ut fiat speculum intelligibile, et describatur in ea forma totius, et ordo intelligibilis in toto, et bonitas fluens in esse: et, ut incipiens a principio totius procedat ad substantias excellentiores spirituales absolutas, et deinde ad spirituales pendentes aliquo modo ex corporibus, et deinde ad animas moventes corpora, et postea ad corpora caelestia, et deinde ut haec omnia sint descripta in anima secundum dispositiones et vires eorum quousque perficiatur in ea dispositio esse universitatis, et sic transeat in speculum intellectum instar esse totius mundi, cernens id quod est pulchritudo absolute et bonitas absolute, et decor verus fiat unum cum ea insculpta exemplo eius et dispositione eius, et incedens secundum viam eius conversa in similitudinem substantiae eius" (104).

742. Ad quem proculdubio alludit S. Thomas, cuius verba, etsi aliquatenus longiora, exscribere placet. "Res aliqua invenitur perfecta dupliciter. *Uno modo secundum perfectionem sui esse, quod ei competit secundum propriam speciem.* Sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius rei, ideo in qualibet re creata huiusmodi perfectioni habitae in unaquaque re tantum deest de perfectione simpliciter quantum perfectius in aliis speciebus invenitur; ut cuiuslibet rei perfectio in se considerata sit imperfecta, *veluti pars perfectionis universi*, quae consurgit ex singularum rerum perfectionibus invicem congregatis.

Unde ut huic imperfectioni aliquod remedium esset, invenitur *alius modus perfectionis in rebus creatis, secundum quod perfectio, quae est propria unius rei, in altera invenitur: et haec est perfectio cognoscentis in quantum est cognoscens*, quia secundum hoc a cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem; et ideo in III de Anima, 8, (431b 21) dicitur *animam esse quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere.*

Et secundum hunc modum possibile est ut in una re totius universi perfectio exsistat. Unde haec est *ultima perfectio* ad quam *anima* potest pervenire *secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius.* In quo etiam *finem ultimum* hominis posuerunt, qui

(104) *Metaphysica*, tract. 9, cap. 7; ed. anastatica bibliothecea Collegii lovaniensis Societatis Iesu, ex ed. veneta 1508, folio 107ra. Lovanii, 1961 Quae fere ad litteram repetit in suo *Compendio Metaphysicae*, lib. 2, tract. 1, cap. 1, n.° 9, 230-231; ed. N. CARAME, Romae, 1926. Atque exinde excerpsisse videtur. ALGAZEL (*Metaphysica*, P. I, prop. 1, p. 2, 5-11; ed. J. T. MUCKLE, Toronto, 1933), quem exscripsit DOMINICUS GUNDISSALINUS (*De divisione philosophiae*, prol., p. 15-16; ed. L. BAUR, Münster, 1903).

secundum nos erit *in visione* Dei; quia, secundum Gregorium, quid est quod non videant qui videntem omnia vident?" (105).

743. Avicenna enim videtur loqui de perfectione et fine ultimo naturali, quem philosophus potest per proprias vires assequi philosophiam excolendo, ut ipse S. Thomas innuit alio in loco. "Cuiuslibet, inquit, existentis in potentia perfectio *naturalis* est ut in actum educatur. Intellectus autem possibilis *naturaliter* est in potentia ad intelligibilia. Unde antequam in actum educatur est imperfectus, perficitur autem cum in actum educitur, ut rerum notitiam habeat.

Et ideo quidam philosophi, attendentes *naturalem* perfectionem hominis, dixerunt *ultimam felicitatem* hominis in hoc consistere, quod *in anima describatur ordo totius universi*" (106).

744. Et propterea S. Thomas ipse, qui plus ceteris videtur attigisse ordinem totius universitatis rerum creatarum tam naturalium quam supernaturalium et causarum eius, quique in suis operibus mirabilem doctrinae ordinem adinvenit, ita ut merito *doctor ordinis* salutatus fuerit, *sapientissimus* est habendus.

Atque haec eius placita de ordine, quae ex verbis ipsius fere conteximus absque aliorum iniuria vel contemptu, valorem perpetuum retinere videntur, demptis fortasse paucis accidentalibus ornamentis.

(105) *De Verit.*, 2, 2c.
(106) *Op. cit.*, 20, 3c

NOTULA BIBLIOGRAPHICA

Colligimus tantum nonnulla opera quae plus minusve attingunt materiam hic directe pertractatam vel ad eam quoquo modo referuntur.

Anciaux, F., A. A. — *La cause exemplaire. Notion de cette cause et nature de sa causalité,* apud "Revue Augustinienne", 11 (1907) 685-709.

Bissen, J. M., O. F. M. — *L'exemplarisme divin selon Saint Bonaventure,* París, 1929.

Beaurecueil, J. M., de O. P. — *L'homme, image de Dieu selon Saint Thomas d'Aquin,* apud "Études et Recherches", 6 (1952) 45-86;9 (1955) 33-95.

Berg, C., van der, O. P. — *De ideis divinis.* Buscodoci. 1872.

— *Beatissima Virgo, imago Dei et Sanctissimae Trinitatis, iuxta mentem Doctoris Angelici.* Buscodoci, 1874.

Berg, L. — *Die Gottebenbildlichkeit in Moral subjet nach Thomas von Aquin,* Mainz, 1948.

Boyer, Ch., S. J. — *L'image de la Trinité, synthèse de la pensée augustinienne,* apud "Gregorianum", 27 (1946) 173-199; 333-352.

Camelot, Th., O. P. — *La théologie de l'image de Dieu,* apud "Revue des sciences philosophiques et théologiques", 40 (1956) 443-471.

Casares, J. — *Introducción a la Lexicografía moderna.* § 30, p. 74-91. Madrid, 1950.

Chambat, L., O. S. B. — *La "quarta via" de Saint Thomas,* apud "Revue Thomiste", nouv. sér., 11 (1928) 412-422.

Dubois, E., C. SS. R. — *De exemplarismo divino, seu doctrina de trino ordine exemplari et de trino rerum omnium ordine exemplato.* Romae, 1897.

Ercilla, J. de, S. J. — *De la imagen a la idea.* Madrid, 1959.

Eslick, L. I. — *The Thomistic Doctrine of the Unity of Creation,* apud "The New Scolasticisme", 13 (1939) 49-70.

Fabro, C., C. P. S. — *La nozione metafisica di partecipazione secondo San Tommaso d'Aquino.* Torino, 1950.

— *Partecipazione e causalitá secondo San Tommaso d'Aquino*. Torino, 1960.

García Alvarez, J., O. P. — *Los hábitos intelectuales y la perfección del conocimiento especulativo*. Caldas de Besaya, 1961.

García Bacca, D. — *De metaphysica multitudinis ordinatione et de tribus simpliciter diversis speciebus eiusdem, secundum Divi Thomae principia*, apud "Divus Thomas" (Piac.), 31 (1928) 83-109, 607-638;32 (1929) 43-56.

— *De rebus metaphysice perfectis*. Barcinone, 1930.

Geiger, L. B., O. P. — *La participation dans la philosophie de Saint Thomas*. Paris, 1953.

Giardini, F., O. P. — *Similutidine e principio di assimilazione*, apud "Angelicum", 35 (1958) 300-324.

— *Gradi di causalità e di similitudine*, ibid. 36 (1959) 26-50.

— *La struttura dell' ordine cosmico*, ibid. 37 (1960) 19-52.

Girardi, G., S. D. B. — *Metafisica della causa esemplare in San Tommaso d' Aquino*. Torino, 1954.

Hislop, I., O. P. — *Man, the Image of the Trinity, according to St. Thomas*, apud "Dominican Studies", 3 (1950) 1-9.

Horváth. A., O. P. — *Influxus Christi in evolutione imaginis Dei*, apud "Angelicum", 6 (1929) 125-142.

Hübscher, I., O. S. B. — *De imagine Dei in homine viatore, secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis*. Lovanii, 1932.

Isaie, G., S. J. — *La thèorie de la mesure et l' existence d'un maximum selom Saint Thomas d' Aquin*. Paris, 1940.

Joannes a S. Thoma, O. P. — *Isagoge ad D. Thomae theologiam. Explicatio connexionis et ordinis totius Sumae Theologicae D. Thomae per omnes eius materias*. "Cursus Theologicus", ed. Solesm., t. I, p. 143-209. Paris, 1931.

Kwant. R., O. E. S. A. — *De gradibus entis*. Paris, 1946.

Lafond, G., O. S. B. — *Le sens du thème de l' image de Dieu dans l' anthropologie de Saint Thomas d' Aquin*, apud "Recherches de science religieuse", 47 (1959) 560-569.

Legrand, J., S. J. — *L'Univers et l' Homme dans la philosophie de Saint Thomas*. Bruxelles, 1946.

Marling, M. J. — *The Order of nature in the philosophy of St. Thomas Aquinas*. Washington, 1934.

Matthijs, M., O. P. — *De imagine Dei in homine, secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis*. Pro manuscrip. dactyl. Romae. 1952.

Parente, P. — *Raporto tra partecipazione e causalità*, apud "Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aquinatis", 7 (1941) 157-172.

Paluscsák, P., O. P. — *Imago Dei in homine*. "Xenia Thomistica", tomo II, p. 119-154.

Pérez Muñiz, F., O. P. — *La "cuarta via" de Sto. Tomás para demostrar la existencia de Dios*, apud "Revista de Filosofía", 3 (1944) 385-433; 4 (1945) 49-101.

Ramírez, J. M., O. P. — *Doctrina S. Thomae Aquinatis de distinctione inter habitum et dispositionem*, apud "Studia Anselmiana", 7-8 (1938) 121-142.

Robertus a Sta. Teresia a Jesu Infante, O. C. D. — *De habitibus animam Trinitati assimilantibus*. Romae, 1958.

— *De inhabitatione SS. Trinitatis. Doctrina S. Thomae in Scripto super Sententiis*. Romae, 1960.

Rodríguez, V., O. P. — *Diferencia substancial y unidad específica entre las almas humanas*, apud "Estudios Filosóficos", 6 (1957) 153-157.

— *La cogitativa en los procesos de conocimiento y afección*, ibid., 6 (1957) 245-278.

— *La memoria humana, sus leyes y su educación*, ibid., 8 (1959) 249-270.

Rossi, A., C. M. — *Similitudo Dei in creaturis*, apud "Divus Thomas" (Piac.), 31 (1928) 417-448.

Schultes, R., O. P. — *De caritate ut forma virtutum*, apud "Divus Thomas" (Piac.), 31 (1928) 5-28.

Sparks, T. M., O. P. — *De divisione causae exemplaris apud S. Thomam*. Somerset, 1936.

Squire, A., O. P. — *The Doctrine of the Image in the De Veritate of St. Thomas*, apud "Dominican Studies", 4 (1951) 164-177.

Turiel, B., O. P. — *El hábito-cualidad*. Madrid, 1961.

Urmanovicz, V. — *De formatione virtutum a caritate*. Vilnae, 1931.

Utz, F. A., O. P. — *De connexione virtutum moralium inter se, secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis*. Vechta in Oldenburg, 1937.

Vespignani, A. M. — *Dell'esemplarismo divino. Saggio teoretico secondo i principi dell'Aquinate*. Parma, 1932.

Weber, J., O. P. — *Saint Thomas, le genie de l'Ordre*, Paris, 1934.

Williams, C., O. P. — *De multiplici virtutum forma, iuxta doctrinam S. Thomae Aquinatis*. Romae, 1954.

Wright, J. H., S. J. — *The Order of the Universe in the Theology of Thomas Aquinas*. Romae, 1957.

INDICES*

	Págs.
I. Index thomisticus … … … … … … … … … … … …	251
II. Index rerum alphabeticus … … … … … … … … …	267
III. Index rerum generalis … … … … … … … … … …	IX

* Indicantur paginae. Littera *n* notam designat in calce paginae adiectam.

INDEX THOMISTICUS

COMMENTARIA IN SACRAM SCRIPTURAM

Pag.

IN EVANGELIA
(ed. R. Cai, O. P.)

In Evangelium secundum Matthaeum

Cap. V, 6, n.° 427 . . . . . 186 n

In Evangelium secundum Joannem

Cap. I, 3, n.° 77 152

IN EPISTOLAS S. PAULI APOSTOLI
(ed. R. Cai, O. P.)

In Epistolam ad Romanos

Cap. VIII, 2; lect. 6, nis. 696-697 236
Cap. XIII, 1; lect. 1, n.° 1024 239

In I Epistolam ad Corinthios

Cap. IV, 16; lect. 3, n.° 223 163
Cap. XI, 1; lect. 1, n.° 683 153
Cap. XIII, 8; lect. 3, n.° 791 71
Cap. XV, 44; lect. 6, n°. 985 104 n

In Epistolam ad Ephesios

Cap. II, 10; lect. 3, n.° 99 . 115 n
Cap. V, 1; lect. 1, n.° 267 . 163

Pag.

In Epistolam ad Colossenses

Cap. I, 15-16; lect. 4, n.° 37. 152 n

In I Epistolam ad Thessalonicenses

Cap. IV, 13; lect. 2, n.° 95 . 155 n

In Epistolam ad Hebraeos

Cap. I, 12; lect. 15, n.° 75 . 235
Cap. VIII, 5; lect. 1, n.° 389 36
Cap. XI, 13; lect. 2, n.° 564 159

COMMENTARIA IN ARISTOTELEM

IN LIBROS PERIHERMENEIAS
(ed. leonina)

In librum I

Lect. 3, nis. 7-8 . . . . . 159 n
Lect. 8, n.° 9 . . . . . . 221 n
Lect. 13, n.° 3 . . . . . 81 n

IN LIBROS POSTERIORUM ANALYTICORUM
(ed. leonina)

In librum I

Lectio 3, n.° 1 98

Pag.

Lectio 4, n.° 5 186
Lectio 4, n.° 9 98
Lectio 4, n.° 15 98
Lectio 14, n.° 2 . . . . . . 223 n
Lectio 14, n.° 6 81
Lectio 16, n.° 5 . . 172, 173, 187
Lectio 19, nis. 2-3 75
Lectio 20, n.° 5 195
Lectio 27, n.° 3 75
Lectio 44, n.° 5 81

In librum II

Lectio 8, n.° 3 . . . . . 172, 173
Lectio 20, n.° 15 96

IN OCTO LIBROS PHYSICORUM
(ed. leonina)

In librum I

Lect. 1, n.° 5 . 17 n, 173, 187 n, 214
Lect. 9, n.° 9 196
Lect. 11, n.° 10 212
Lect. 13, n.° 9 . . . . 178 n
Lect. 15, n.° 3 165
Lectio 15, n.° 5 173

In librum II

Lectio 2, n.° 3 168
Lectio 2, n.° 5 168
Lect. 3, n.° 7 197
Lect. 4, n.° 9 168
Lect. 4, n.° 10 . . . . . 42, 202 n
Lect. 5. n.° 7 166
Lect. 5, n.° 11 . . . . . 170 n, 171
Lect. 11, n.° 1 188
Lect. 11, n..° 2 . . . . 222 n
Lect. 11, nis. 5-9 . . . . . . 188 n
Lect. 15, n.° 5 188

In librum III

Lect. 1, n.° 6 165
Lect. 5, n.° 15 9
Lect. 12, n.° 6 177

Pag.

In librum IV

Lectio 1, n.° 7 . . . . . . 164 n
Lect. 17, n.° 6 9

In librum V

Lectio 3, n.° 5 45
Lectio 7, n.° 7 8

In librum VII

Lectio 3, n.° 7 . . . . . . 164 n
Lect. 3, n.° 11 . . . . . . 164 n
Lect. 5, n.° 5 52

In librum VIII

Lectio 2, n.° 4 . . . 13 n, 26, 26 n
Lect. 8, n.° 3 . . . . . . 9 n

IN TRES LIBROS DE CAELO
(ed. leonina)

In librum I

Lectio 2, n.° 7 . . . . . . 196 n
Lectio 25, nis. 2-7 . . . . . 167 n

In librum II

Lectio 13, n.° 8 47

IN LIBROS DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE
(ed. leonina)

In librum I

Prooemium S. Thomae, n.° 1 . 9, 9 n
Lectio 10, n.° 9 . . . . . . 31 n

IN LIBROS METEOROLOGICORUM
(ed. leonina)

In librum I

Lectio 2, n.° 4 . . . . . . 170 n

Pag.

IN TRES LIBROS DE ANIMA
(ed. A. Pirotta, O. P.)

In librum I

Lectio 1, n.° 7 200
Lect. 2, n.° 24 197
Lect. 2, nis. 26-27 187
Lect. 2, n.° 27 . . . . . . 187, 197
Lect. 2, n.° 29 187

In librum II

Lect. 2, n.° 236 40
Lect. 2, n.° 239 . . . . . . 191 n
Lect. 2, n.° 241 . . . . . . 191 n
Lect. 5, n.° 279 63
Lect. 7, nis. 321-323 . . . . 189 n
Lect. 7, n.° 323 . . . . . . 226 n
Lect. 8, n.° 332 52
Lect. 13, nis. 383-396 . . . . 33 n

In librum III

Lect. 8, n.° 701 . . . . . . 72 n
Lect. 8, n.° 703 . . . . . . 72 n

IN LIBRUM DE MEMORIA ET REMINISCENTIA
(ed. A. Pirotta, O. P.)

Lect. 2, nis. 315 - 316 . . . . 72 n

IN DUODECIM LIBROS METAPHYSICORUM
(ed. R. Cathala, O. P.)

Prooemium S. Thomae . 99 n, 210

In librum I

Lect. 1, n.° 15 . . . . . . 66 n
Lectio 3, n.° 56 . . . . . . 186 n
Lect. 3, n.° 59 . . . . . . 99 n

Pag.

In librum III

Lect. 4, n.° 375 . . . . . . 198 n
Lect. 4, n.° 384 . . . . . . 211 n
Lect. 4, n.° 385 . . . . . . 198 n

In librum IV

Lect. 1, n.° 535 39
Lect. 1, nis. 527-539 . . . . 19 n
Lect. 1, n.° 537 . . . . . . 91 n
Lect. 1, n.° 539 . . . . . . 165 n
Lect. 1, nis. 539 - 543 . . . . 31 n
Lect. 4, n.° 574 195
Lect. 6, n.° 597 . . . . . . 77 n
Lect. 6, n.° 599 77
Lect. 6, n.° 601 75
Lect. 17, n.° 736 . . . . . . 96 n

In librum V

Lect. 1, n.° 749 . . . . . . 210 n
Lect. 1, n.° 751 . . . . 10 n, 16, 17
Lect. 1, n.° 762 204
Lect. 2, n.° 764 37
Lect. 2, n.° 775 . 174 n, 175, 176 n
Lect. 3, n.° 782 172
Lect. 3, n.° 786 . . . . . . 170 n
Lect. 6, n.° 827 166
Lect. 6, nis. 832-833 166
Lect. 6, nis. 836-837 . . . . 167 n
Lect. 6, n.° 838 81
Lect. 8, n.° 872 197
Lect. 9, n.° 879 165
Lect. 13, n.° 937 8
Lect. 14, nis. 954-956 . . . . 167 n
Lect. 16, n.° 997 53
Lect. 17, n.° 1.004 . . . . . 14 n
Lect. 17, n.° 1.005 6
Lect. 17, nis. 1.006-1.022 . . 195 n
Lect. 18, n.° 1.034 150
Lect. 18, nis. 1.036-1.038 . . 7 n

In librum VI

Lect. 1, n.° 1.145 210

Pag.

In librum VII

Lect. 8, n.° 1.445 145
Lect. 8, n.° 1.447 145

In librum VIII

Lect. 1, n.° 1.687 168

In librum IX

Lect. 1, nis. 1.779-1.780 . . 139 n

In librum X

Lect. 2, n.° 1.938 197
Lect. 5, n.° 2.027 150
Lect. 10, nis. 2.120-2.123 . . 44

In librum XI

Lect. 5, n.° 2.211 . . . . 74 n, 76
Lect. 12, n.° 3.377 6

IN DECEM LIBROS ETHICORUM
(ed. A. Pirotta, O. P.)

In librum I

Lect. 1, n.° 1 . . . . . 187, 214 n
Lect. 1, nis. 1-2 . . . . . . 215 n
Lect. 7, n.° 95 . . . 3, 19 n, 31 n
Lect. 19, n.° 227 . . . . . . 200 n

In librum II

Lectio 1, n.° 247 . . . . . . 69 n
Lect. 1, n.° 249 69

In librum VI

Lect. 5, n.° 1.179 78
Lect. 5, n.° 1.183 97
Lect. 6, n.° 1.184 . . . . . . 99 n
Lect. 7, n.° 1.195 97

Pag.

COMMENTARIA IN LIBRUM
PROCLI DE CAUSIS
(ed. H. D. Saffrey, O. P.)

Prooemium S. Thomae . . 19, 186
Propositio 2 . . . . 216 n
Proposit. 4 . . . . . . 4, 41, 45
Proposit. 9 206
Proposit. 14 . . . . 142 n
Proposit. 17 63
Proposit. 18 25

COMMENTARIA IN LIBRUM
DIONYSII DE DIVINIS
NOMINIBUS
(ed. C. Pera, O. P.)

Cap. 1, lect. 3, n.° 87 . . . 171
Cap. 2, lect. 4, nis. 176-177 . 121
Cap. 3, lect. 2, n.° 227 . . 171
Cap. 4, lect. 1, n.° 283 . . 15
Cap. 4, lect. 5, n.° 349 . . 161
Cap. 4, lect. 5, n.° 353 . . 161
Cap. 4, lect. 8, n.° 384 . . 161
Cap. 4, lect. 18, n.° 522 . . 149
Cap. 5, lect. 2, n.° 662 . . 158
Cap. 5, lect. 3, n.° 665 . . 38, 158
Cap. 7, lect. 1, n.° 705 . . 108
Cap. 7, lect. 2, n.° 714 . . 62
Cap. 13, lect. 2, n.° 979 . . 236

COMMENTARIA IN LIBRUM
BOETHII DE TRINITATE
(ed. B. Decker)

Cap. 2, expositio textus, n.° 6 . 55
Quaest. 1, art. 3, arg. 1 sed contra 210
Q. 2, a. 2 c 161
Q. 2, 2 ad 1 . . . . 99 n
Q. 2, 3 ad 1 103
Q. 3, 1 ad 4 161

Pag.

Q. 4, 2 c 197
Q. 5, 1 c 198
Q. 5, 1 ad 5 . . . . 200 n
Q. 5, 3, arg. 2 sed contra . 198 n
Q. 5, 3 c . . . . 197 n
Q. 5, 3 ad 6 198
Q. 5, 4 c 209
Q. 5, 4 ad 4 212
Q. 5, 4 ad 7 . . . . 198, 210 n
Q. 6, 1 ad 3 195
Q. 6, 2 c 196

SCRIPTUM SUPER SENTENTIIS
PETRI LOMBARDI

In librum I (ed. piana)

Prologus, a. 2 ad 2 . 35, 160, 165 n
Prolog., a. 3, qla. 1 c 103
Prolog., a. 3, qla. 2 c 201
Prolog., a. 3, qla. 2 ad 2 . . 128 n
Prolog., a. 3, qla. 3 c . . . . 201 n
Prolog., a. 4 c 34
Dist. 1, exposit. textus . . 160 n, 170, 188
D. 2, a. 1 ad 1 207
D. 2, a. 2 c 159, 160
D. 2, a. 3 c . . . . 194, 195, 195 n
D. 3, q. 2, a. 3 ad 1 . . . . 47 n
D. 3, 4, 2 c . . . . 223 n
D. 3, 4, 2 ad 4 . . . . . . 30 n
D. 3, 4, 2 ad 5 . . . . . . 125 n
D. 3, 4, 3 c 60
D. 4, 3, 3 ad 2 212
D. 8, 1, 3 c 170
D. 8, 2 ad 1 . . . . 209 n
D. 8, 5, 1, arg. 2 sed contra . 180, 207
D. 8, 5, 2 ad 5 50
D. 10, 4 c 54-55
D. 14, 2, 2 ad 2 162
D. 17, 1, 1, obi. 2 et resp. . 123 n
D. 17, 1, 1 ad 2 161
D. 17, 1, 1 c 160, 161
D. 17, 1, 2 ad 2 212
D. 17, 2, 2 ad 3 . . . . . . 108 n
D. 17, 2, 3 ad 4 . . . . . 81 n, 83
D. 18, expos. textus . . . . 205 n

Pag.

D. 19, 1, 1 c 15
D. 19, 5, 1 ad 1 205
D. 19, 5, 2 c 160
D. 19, 5, 2 ad 1 . . . . . . 22, 44
D. 19, 5, 2 ad 3 160
D. 19, 5, 2 ad 4 . . . 159 n, 160
D. 20, 3, qla. 1 c . . . . . 15, 16 n
D. 20, 3, qla. 2 . . . . . . 11 n
D. 21, 1, 2 c 9
D. 23, 1 c . . . . . . 206, 213 n
D. 23, 3 c . . . . 194 n
D. 24, 2, 2 c 98
D. 26, 1, 1 ad 1 . . . . . . 194 n
D. 28, 2, 1 c . . . . 142 n, 149 n
D. 28, 2, 1, obi. 2 . . . . . 149 n
D. 28, 2, 1 ad 4 . . . . . . 149 n
D. 32, 2, 2 c . . . . 218 n
D. 34, 1 c . . . . 205 n
D. 36, 2, 2 ad 1 152
D. 37, 1, 1 ad 4 25
D. 39, 2 ad 5 240
D. 42, 1, 1 c . . . . 139 n
D. 42, 1, 1 ad 1 . . . . . . 139 n
D. 42, 1, 2 c 75
D. 42, 2, 2 ad 6 75
D. 44, 2 c 217
D. 45, 2 ad 1 . . . . . 202-203 n

In librum II (ed. piana)

Prologus S. Thomae 161
D. 1, 1, 3 ad 5 26
D. 1, 1, 4 c 219
D. 1, 1, 5 ad 1 . . . . . . 27 n
D. 1, 2, 3 c . . . . 218 n
D. 1, 2, 3, ad 2 225
D. 1, 2, 3, ad 3 216
D. 3, 1, 4 c 45
D. 3, 1, 4 ad 3 . . . . . 154, 221
D. 3, 6, arg. 2 sed contra . . 47
D. 8, 1, 2 c 59
D. 9, 3 ad 1 . . . . 46, 48
D. 13, 2 c . . . . 54 n
D. 13 3 c . . . . 122 n
D. 14, 1 ad 4 . . . . 196 n
D. 16, 2 ad 3 226
D. 18, 1, 2 c 158
D. 20, 2, 2 ad 2 . . . . . . 61 n
D. 24, 1, 2 c . . . . . . 60 n, 62

Pag.

D. 24, 3, 2 c 202
D. 26, 1, obi. 5 et resp. . . . 123 n
D. 26, 4 c 124
D. 26, 4 ad 1 . . . . . 119, 119 n
D. 26, 4 ad 5 126
D. 26, 5 c . . . . 125 n
D. 26, 6 c 124
D. 27, 2 c . . . . 200 n
D. 27, 2 ad 9 . . . . 188 n
D. 29, 4 c 134
D. 30, 2, 2 c . . . . 196 n
D. 32, 2, 2, arg. 2 sed contra . 235 n
D. 36, 5 ad 5 28
D. 37, 1, 2 ad 2 205
D. 37, 1, 2 ad 3 . . . . 205 n
D. 38, 1 c . . . . 182, 238 n
D. 38, 2 c 20
D. 39, 2, 1 c . . . . 85 n
D. 39, 2, 1 ad 2 . . . . 85 n
D. 39, 2, 1 ad 5 85
D. 39, 3, 1 c 60

In librum III (ed. F. Moos, O. P.)

Prologus S. Thomae 216
D. 1, 1, 1 ad 3, n.° 19 177
D. 1, 1, 2 ad 6, n.° 45 229
D. 2, 1, 3, qla. 1, arg. 2 sed contra, n.° 62 . . . . 218 n
D. 2, 1, 3, qla. 1 c, n.° 64 . 218 n
D. 5, expos. textus, n.° 127 . 49
D. 6, 1, 1, qla. 1, nis. 23-24 . 194 n
D. 6, 3, 1, arg. 1 sed contra, n.° 105 217
D. 7, 1, 1 ad 3, n.° 36 . . 217 n
D. 9, 1, 1, qla. 2 c, n.° 25 . 91, 92
D. 10, 2, 1, qla. 3 c, n.° 77 . 37
D. 13, 1, 1 c, n.° 13 . . . 127 n
D. 14, 1, qla. 2, arg. 1 sed contra, n.° 16 . . . . . . 70 n
D. 14, 1, qla. 2 c, n.° 32 . . . 70 n
D. 14, 1, qla. 2 c, n.° 37 . . 77
D. 14, 1, qla. 2 ad 2, n.° 44 . 65 n
D. 14, 1, qla. 3 c, n.° 48 . . 77
D. 14, 1, qla. 3 ad 2, n.° 52 . 77
D. 23, 1, 1, obi. 5 71
D. 23, 1, 1 c, n.° 22 . . . . 65 n
D. 23, 1, 1 ad 5, n.° 31 . 88, 90 n
D. 23, 1, 2, qla. 4 c, n.° 74 . 121
D. 23, 1, 4, qla. 2 c, n.° 86 . 69, 86
D. 23, 1, 4, qla. 2 ad 3, n.° 93 . 89
D. 23, 1, 4, qla. 2 ad 4, n.° 94 . 90 n
D. 23, 1, 4, qla. 3 c, n.° 96 . 119 n
D. 23, 1, 4, qla. 3 ad 4, n.° 100 . 120
D. 23, 2, 1 ad 1, n.° 117 . . 213
D. 23, 2, 2, qla. 3 ad 1, n.° 159 . 201 n
D. 23, 2, 4, qla. 1, obi. 2 et resp., nis. 189, 201 . . . 120 n
D. 23, 3, 1, qla. 1 c, n.° 233 . 133
D. 23, 3, 1, qla. 1 ad 3, n.° 237 127
D. 23, 3, 2 ad 1, nis. 255-256 . 128 n
D. 23, 3, 3, qla. 1 ad 3, n.° 274 . . . . 120 n
D. 23, 3, 4, qla. 1, arg. 1 sed contra, n.° 280 106
D. 23, expos. textus, n.° 301 . 201 n
D. 24, 2, qla. 1, obi. 2 et resp., n.° 53 . . . . 128 n
D. 24, 3, qla. 3, n.° 98 135
D. 26, 1 129
D. 26, 2, 1, ad 3, n.° 90 . . 120 n
D. 26, 2, 2 ad 4, n.° 108 . . 120 n
D. 26, 2, 3, qla. 1, arg. 2 sed contra, n.° 111 . . . . . . 120 n
D. 27, 1 129
D. 27, 2, 1 c, n.° 108 . . . . 120 n
D. 27, 2, 4, qla. 2 ad 1, n.° 168 . 134
D. 27, 2, 4, qla. 3 c, n.° 175 . 133
D. 27, 2, 4, qla. 3 ad 1, nis. 176-177 . . . . 99, 157
D. 27, 2, 4, qla. 3 ad 1, n.° 177 . . . . 93 n, 161
D. 27, 2, 4, qla. 3 ad 2, n.° 178 . . . . 93, 100
D. 27, 2, 4, qla. 3 ad 2, n.° 180 126
D. 27, 2, 4, qla. 3 ad 3, n.° 182 . . . . 93 n
D. 27, 2, 4, qla. 3 ad 5, n.° 184 . . . . 91 n, 93
D. 30, 3 c 134
D. 30, 5 ad 1, n.° 76 127
D. 30, 5 ad 3, n.° 78 133
D. 33, 1, 1, qla. 1 ad 3, n.° 26 . 93
D. 33, 1, 1, qla. 2 ad 1, nis. 29-30 94
D. 33, 1, 2, qla. 2 ad 3, n.° 67 . 113

Pag.

D. 33, 2, 1, qla. 1 ad 2, nis. 139-140 89
D. 33, 2, 4, qla. 1 c, nis. 218-219 212
D. 33, 2, 4, qla. 2 ad 3, n.° 228 114
D. 33, 2, 4, qla. 3 ad 6, n.° 231 . . . . 66 n
D. 33, 2, 5, arg. 2 sed contra, n.° 250 90
D. 33, 2, 5 c, n.° 252 90
D. 33, 3, 1, qla. 1 c, n.° 268 . 46
D. 34, 1, 1, arg. 2 sed contra, n.° 17 121
D. 34, 1, 1 ad 3, n.° 42 . . 121
D. 34, 3, 1, qla. 1 c, nis. 278-279 . . . . 131-132 n
D. 34, 3, 1, qla. 1 ad 1, n.° 280 132
D. 34, 3, 1, qla. 2 c, nis. 284-285 131
D. 35, 2, 1, qla. 1 ad 1, n.° 114 130
D. 35, 2, 2, qla. 1 c, n.° 141 . 128
D. 35, 2, 2, qla. 3, arg. 2 sed contra, n.° 135 . . . . . 127, 131
D. 35, 2, 4, qla. 1, arg. 2 sed contra, n.° 177 127
D. 36, 2 c, n.° 33 135

In librum IV (D. 1-22, ed. F. Moos, O. P.; D. 23-50, ed. piana)

D. 1, 1, 1, qla. 5 ad 3, n.° 52 . 122
D. 3, 1, qla. 1 c, n.° 16 . . 170
D. 4, 1, 1 c, nis. 25-29 . . 136
D. 4, 1, 1 c, n.° 26 . . . . 54 n
D. 4, 1, 1 c, n.° 32 137
D. 4, 1, 1 ad 2, n.° 35 . . . 136
D. 4, 1, 3, qla. 1 c, n.° 64 . . 138
D. 4, 1, 3, qla. 3 c, n.° 72 . . 137
D. 4, 1, 4, qla. 3 c, nis. 99-100 138
D. 4, 1, 4, qla. 3 c, n.° 100 . 139
D. 5 1, 3, qla. 1, n.° 46 . . 234
D. 7, 2, 1, qla. 1 c, nis. 105-106 138 n
D. 7, 2, 1, qla. 1 c, n.° 105 . 139
D. 7, 2, 1, qla. 1 ad 1, n.° 107 139
D. 7, 2, 1, qla. 1 ad 3, n.° 110 . . . . . . 138 n, 139
D. 8, 2, 1, qla. 4 ad 1, n.° 170 . 147
D. 12, 1, 1, qla. 3 c, n.° 44 . 31 n
D. 12, 1, 1, qla. 3 ad 1, n.° 47 40 n
D. 12, 1, 2, qla. 1 c, n.° 71 . . 40 n
D. 15, 2, 2, qla. 2 c, n.° 246 . 46
D. 17, 1, 4, qla. 1 c, n.° 125 . 175
D. 18, 1, 2, qla. 1, nis. 52-53 . 123
D. 24, 1, 2, qla. 2 c 140
D. 24, 2, 1, qla. 1 c 140
D. 24, 2, 1, qla. 1 ad 2 . . . 46
D. 24, 3, 2, qla. 3 ad 3 . . . 14
D. 31, 1, 3 c . . . . 234 n
D. 38, 1, 2, qla. 1 46
D. 38, 1, 2, qla. 2 46
D. 44, 1, 2, qla. 1 c 189
D. 44, 2, 2, qla. 1, arg 1 sed contra 55
D. 44, 2, 2, qla. 1 c 55
D. 44, 3, 3, qla. 1 ad 4 . . . 47
D. 47, 2, 2, qla. 1 c 235
D. 48, 2, 1 c 225
D. 49, 2, 1 ad 6 . . . . . . 176 n
D. 49, 2, 2 c . . . . 33 n

QUAESTIONES DISPUTATAE
(ed. piana)

Quaestiones de Veritate

Q. 1, a. 1 c . . . . 74 n, 205
1, 2 c . . . . 91 n
1, 4 ad 2 sed contra 160
1, 4 ad 5 160
2, 1 c . . . . 122 n
2, 2 c 243
2, 3, obi. 20 . . . . 164 n
2, 11 c 122
2, 11 ad 8 . . . . 157-158 n
3, 1 . . . . 37 n, 38, 142, 143, 144
3, 2 c . . . 70, 147, 149-150 n, 152, 152 n, 153 n
3, 3 c 37, 38, 143, 145, 148
3, 3 ad 3 148
3, 3 ad 15 145
3, 3 ad 2 sed contra 148
3, 4 c 145
3, 5 ad 2 127
3, 6 ad 3 . . . . 37 n

Pag.

3, 8 c . . . 223, 223 n
4, 5 c . . . 152 n
5, 1 . . . 238
5, 1 ad 9 . . . 238
5, 3 c . . . 218 n
5, 8, arg. 10 sed contra . . . 120 n
8, 4 ad 13 . . . 151
8, 8 ad 1 . . . 36
8, 11 ad 13 . . . 87
9, 3 ad 6 . . . 175 n
10, 2 c . . . 70, 71
10, 5 ad 5 . . . 63
10, 6 ad 2 . . . 63
10, 9 ad 3 . . . 72
10, 9 ad 9 . . . 72 n
10, 10, titulus art. in capite Quaestionis . . . 75
10, 12, obi. 6 . . . 75
10, 12, obi. 10 . . . 75 n
10, 12, arg. 2 sed contra . . . 75
11, 1 c . . . 85 n, 218
12, 7 c . . . 109
14, 1 c . . . 109 n
14, 2 c . . . 201
14, 5 c . . . 127
14, 5 ad 6 . . . 127
14, 9 ad 3 . . . 201 n
14, 9 ad 4 . . . 120 n
15, 1 c . . . 59, 62
16, 1 c . . . 79-80
16, 1 ad 13 . . . 57 n, 65 n
16, 2 c . . . 75-76 n
16, 3 c . . . 77
18, 7 c . . . 69 n
20, 2 c . . . 71
20, 2, arg. 1 sed contra . . . 71
20, 2 ad 5 . . . 65 n
20, 3 c . . . 75-76 n, 243
21, 1 c . . . 61 n, 72
21, 1 ad 1 . . . 22
21, 1 ad 4 . . . 165 n
21, 4 c . . . 22 n
22, 2 c . . . 165
22, 12 c . . . 37 n, 169
23, 1 ad 3 . . . 206
24, 4 c . . . 160
24, 4 ad 1 . . . 160
24, 4 ad 3 . . . 160
24, 4 ad 5 . . . 160

Pag.

24, 4 ad 9 . . . 71
25, 5 ad 1 . . . 29 n
27, 1, obi. 1 et resp. . . . 123 n
27, 1 ad 4 . . . 122
27, 2 ad 7 . . . 119
27, 3 ad 9 . . . 114
27, 5 c . . . 124
27, 5 ad 5 . . . 126 n
27, 5 ad 17 . . . 125
27, 5 ad 18 . . . 125 n
27, 6 ad 5 . . . 162
27, 7 c . . . 149
28, 7 c . . . 171, 175
29, 3 c . . . 7

Quaestiones de Potentia

1, 1 c . . . 178
1, 2 ad 1 . . . 218
1, 3 c . . . 75
1, 3 ad 1 sed contra . . . 76
3, 1 ad 12 . . . 114
3, 5 c . . . 208 n
3, 5 ad 1 . . . 209
3, 5 ad 2 . . . 209
3, 7 ad 9 . . . 26 n
3, 8 ad 3 . . . 114
3, 16 ad 5 . . . 144
3, 16 ad 12 . . . 150
3, 18, obi. 16 . . . 15
3, 18 c . . . 216 n
3, 18 ad 16 . . . 216 n
4, 1 ad 5 . . . 196 n
4, 2 ad 20 . . . 71, 81
5, 5 c . . . 235
5, 5 ad 6 . . . 235
5, 5 ad 13 . . . 235
5, 6 c . . . 235 n
5, 9, arg. sed contra . . . 225
5, 9 c . . . 225
5, 9 ad 8 . . . 235 n
5, 10 c . . . 226
6, 1 ad 7 . . . 217 n, 232 n
6, 1 ad 11 . . . 198
6, 1 ad 20 . . . 232
6, 1 ad 21 . . . 232
6, 2, obi. 5 . . . 232
6, 2 ad 9 . . . 233
6, 6, obi. 1 . . . 37

Pag.

6, 6 ad 5 . . . 44
6, 7 ad 13 . . . 197 n
6, 8 c . . . 122 n
6, 9 c . . . 133
6, 9, obi. 12 . . . 162
6, 9 ad 12 . . . 162
7, 1 ad 8 . . . 147, 157 n
7, 2 ad 1 . . . 205 n
7, 2 ad 10 . . . 175 n, 183
7, 3 ad 7 . . . 119
7, 6 . . . 194
7, 7 c . . . 3, 32
7, 7 ad 2 . . . 3
7, 7 ad 6 . . . 168 n
7, 9 c . . . 194, 196 n, 205 n
7, 9 ad 7 . . . 14 n
7, 11 c . . . 14, 15 n
8, 1 c . . . 72 n
9, 1 c . . . 145 n
9, 3 ad 1 . . . 145 n
9, 5 c . . . 72 n
9, 7 c . . . 40 n
10, 1 c . . . 10
10, 3 . . . 11
10, 3 c . . . 15

Quaestiones de Malo

1, 1 c . . . 183
1, 1 ad 19 . . . 205
2, 3 c . . . 175
2, 6 ad 2 . . . 204
2, 6 ad 3 . . . 201
4, 2 ad 1 tertiae seriei obiectionum . . . 105
4, 2 ad 9 . . . 212
5, 5 c . . . 191, 223 n
16, 1 ad 2 . . . 66 n
16, 1 ad 3 . . . 122 n

Quaestio de Anima

1 ad 5 . . . 43 n
2 ad 12 . . . 43 n
2 ad 13 . . . 43 n
5 ad 10 . . . 61 n
6 c . . . 206
7 c . . . 42, 44, 49
8 c . . . 42 n, 174 n, 190, 191, 192
8 ad 15 . . . 191 n

Pag.

9 c . . . 38 n
10 c . . . 190
11 c . . . 47
12, arg. 1 sed contra . . . 181 n
12 ad 7 . . . 52 n, 223
12 ad 8 . . . 125 n
12 ad 12 . . . 30 n
13 ad 6 . . . 191 n
15 ad 17 . . . 72
18 c . . . 47, 52 n, 223 n
18, arg. 7 sed contra . . . 229
18, arg. 9 sed contra . . . 47

Quaestio de Spiritualibus Creaturis
(ed. W. L. Keeler, S. J.)

1 c . . . 38 n, 43 n
1 ad 18 . . . 43 n
1 ad 19 . . . 43 n
2 c . . . 41, 225
2 ad 4 . . . 43 n
2 ad 8 . . . 41, 43 n, 226
3 c . . . 47
3 ad 3 . . . 41
8 c . . . 8, 8 n, 42, 217-218 n, 221
11 c . . . 52 n, 125, 181, 223 n
11 ad 3 . . . 125 n
11 ad 12 . . . 125 n
11 ad 17 . . . 125 n

Quaestio de Virtutibus in communi

3 c . . . 29 n
4 c . . . 68
4 ad 4 . . . 43 n
4 ad 6 . . . 66, 67
4 ad 9 . . . 68
6 c . . . 90
8 c . . . 85 n
8 ad 10 . . . 85 n
8 ad 19 . . . 85 n
9 c . . . 92, 95 n, 114, 199 n
9 ad 1 . . . 69
9 ad 5 . . . 117
9 ad 7 . . . 118
9 ad 11 . . . 84, 85
10 ad 8 . . . 111 n
10 ad 13 . . . 115 n
10 ad 14 . . . 118

Pag.

11 c . . . . 108 n
11 ad 14 . . . . 108 n
12 ad 14 . . . . 89 n
12 ad 16 95
12 ad 21 . . . . 93 n

Quaestio de Caritate

1, obi. 1 et resp. . . . . . 123 n
3 ad 3 133
3 ad 8 37
3 ad 9 93
3 ad 19 126
7 ad 5 226
10 ad 4 117
11 ad 2 182

Quaestio de Virtutibus Cardinalibus

1 ad 3 . . . . 89 n
1 ad 11 90
3 c 134
4 c . . . . 111 n, 189

QUAESTIONES QUODLIBETALES

1, 8 c . . . . 218 n
2, 3 c 205
3, 6 c . . . . 8 n
3, 7 c 6
4, 1 c . . . . . 146, 152 n, 160
4, 3, arg. sed contra . . . 239
4, 23 ad 3 . . . . 27 n
5, 19 c . . . . 16, 19 n
6, 11 c 134
7, 2 c 33
8, 1 c 144
8, 2 . . . . . 38, 143 n, 154, 159
8, 2, arg. sed contra . . . 146 n
8, 2 ad 1 175
9, 1 c 25
9, 3 c 205
9, 6 ad 3 206

OPUSCULA

De Fallaciis (ed. J. Perrier, O. P.)

Cap. 5, n.° 9 . . . . . . 4, 32

Pag.

De ente et essentia (ed. L. Baur)

Cap. 1 51
Cap. 7 222

De principiis naturae
(ed. J. J. Pauson)

Cap. 2 . . . . 175, 178 n
Cap. 4 . . . 166 n, 170, 174, 222
Cap. 6 . . . . 19 n, 32

De natura materiae
(ed. J. M. Wyss, O. P.)

Cap. 1 . . . . . 27 n, 168-169 n

De operationibus occultis naturae
(ed. J. Perrier, O. P.)

N.° 8 . . . . 228 n

Responsio ad Joannem de Vercellis de articulis quadraginta duobus
(ed. R. Spiazzi, O. P. Opuscula philosophica)

Art. 25, n.° 793 2

De regno (ed. J. Perrier, O. P.)

Lib. 1, cap. 12, n.° 4 163

De Substantiis Separatis
(ed. J. Perrier, O. P.)

Cap. 5, n.° 24 178
Cap. 6, n.° 39 49
Cap. 10, n.° 66 . . . . . 217, 218
Cap. 14, n.° 86 . . . . . . 217 n

De duobus praeceptis caritatis et decem Legis praeceptis
(ed. R. Spiazzi, O. P. Opuscula theologica, t. II)

De quarto praecepto, n.° 1245 . 234

Pag.

Compendium Theologiae
(ed. R. Verardo, O. P. Opuscula theologica, t. I)

I, 18, n.° 35 . . . . . . 180, 207
I, 30, n.° 62 181
I, 60, n.° 117 . . . . 208 n

SUMMA CONTRA GENTILES
(ed. leonina)

Liber I

Cap. 1 211
Cap. 3, 2 50
17, in fine . . . . 30 n
21, 4 206
25, 4 206
32, 6 . . . . 17 n
33, 1 . . . . 13, 32
34, initio . . . . 17 n
34 13
43 31
43, 2 . . . . 180, 207
43, 8 207
56, 5 71
72, 2 60
75, 5 165
78, 3 338
94, 2 186
95 7

Liber II

4 . . . . 99 n
15 . . . . 208 n
15, 3 25
21, 3 237
25, 10 198
39, 5 219
39, 6 219
42, 2 . . . . 218, 237
42, 4 218
42, 6 238
44, 1 218
45, 5 . . . . 221 n

Pag.

45, 7 218
46, 1 226
52, 4 . . . . 208 n
58, 2 197
60, 1 61
68 . . . . 8, 216
73, 3 190
78, 3 78
79, 2 . . . . 51 n
81 ad 1 176
83, 6 225
83, 18 176
84 ad 3 221
92, 2 222
92, 3 . . . . 227 n
93, 4 . . . . 216, 227
97 . . . . 8 n, 45
98, 2 . . . . 23 n, 216

Liber III

189
8 205
9 183
17, 6 . . . . 24, 171 n
17, 7 174
18, 1 42
22 . . . . 99 n
25, 6 . . . . 51 n
42, 1 78
46, 3 70
51 16
58, 2 237
64, 9 26
65, 5 175
66, 3 51
69, 8 15
71, 2 212
75, 6 229
77, 6 9
82, 6 228
83 . . . . 51 n
84, 5 . . . . 42 n, 223-224
97 219
98 183
100 232
101 197
105, 3 53
105, 4 227
112, 3 . . . .

Pag.

112, 4 . . . 216
120, 10 . . . 41

Liber IV

7, 10 . . . 49 n
8, n.° 3 . . . 49 n
11 . . . 76 n, 194, 195 n, 205
14, n.° 7 . . . 31 n
23, 1 . . . 54
24, 3 . . . 49 n
29, 1 . . . 49 n
33, 3 . . . 176 n
49 ad 11 . . . 217 n
51, 1 . . . 226
53 . . . 31
55 ad 3 . . . 216 n
55 ad 4 . . . 42

SUMMA THEOLOGIAE
(ed. leonina)

Prima Pars

Q, 1, a. 2 c . . . 202
1, 3 ad 1 . . . 34
1, 3 ad 2 . . . 102
1, 4 . . . 103
1, 5 . . . 103
1, 5 ad 2 . . . 103
1, 6 c . . . 103
1, 6 ad 3 . . . 102, 110
1, 8 c . . . 97 n
1, 8 ad 2 . . . 103, 107
2, prologus . . . 35
2, 3 c . . . 16
2, per totum . . . 210 n
3, 2 c . . . 222
3, 3 ad 2 . . . 153 n
3, 4 c . . . 179 n
3, 5 ad 1 . . . 206 n
3, 7 ad 1 . . . 153 n
4, 1 c . . . 30, 150
4, 2 . . . 217 n
4, 3 c . . . 100 n, 222
5, 3 c . . . 74 n, 76 n, 76
5, 3 ad 1 . . . 170 n
5, 3 ad 4 . . . 198 n
5, 4 c . . . 170 n
5, 5 c . . . 221
5, 6 ad 3 . . . 13, 22 n
6, 4 c . . . 160
7, 1 c . . . 176
7, 1 ad 2 . . . 52 n, 197
7, 3 c . . . 52 n, 53, 197
11, 1 . . . 76, 197
13, prologus . . . 54
13, 2 ad 2 . . . 146 n
13, 3 . . . 48
13, 5 c . . . 3
13, 5, arg. sed contra . . . 3
13, 6 c . . . 17 n
13, 7 c . . . 151
13, 10 . . . 48
13, 10 ad 4 . . . 158 n
13, 11, arg. sed contra . . . 178
14, 2 ad 1 . . . 175
14, 2 ad 3 . . . 70
14, 4 . . . 151
14, 6 . . . 217 n
14, 8 c . . . 110 n
15, 1 c . . . 147, 151 n
15, 2 c . . . 147, 151, 152, 237
15, 2 ad 1 . . . 152
15, 3 ad 3 . . . 168
15, 3 ad 4 . . . 154
17, 2 . . . 33 n
18, 4, obi. 2 . . . 151
18, 4 ad 2 . . . 37, 142 n, 157
19, 3 c . . . 222
20, 2 c . . . 211
22, 4 c . . . 219
23, 1 . . . 185
23, 7 c . . . 216
23, 7 ad 2 . . . 240 n
24, 2 ad 3 . . . 233
25, 3 . . . 167 n, 240
27, 2 . . . 222
28, 1 c . . . 14-15
28, 1 ad 3 . . . 217
29, 1 ad 4 . . . 51 n
33, 2 ad 2 . . . 10
34, 1 ad 2 . . . 181 n
34, 3 c . . . 152 n
35, 1 c . . . 52
35, 1 ad 1 . . . 142 n

Pag.

39, 2 ad 3 . . . 51
39, 7-8 . . . 162
39, 8 c . . . 123 n
40, 1 c . . . 37
41, 5 c . . . 222 n
42, 1, obi. 1 . . . 15
42, 1 ad 4 . . . 15
42, 3 c . . . 11 n, 16
44, 1 c . . . 208 n
44, 1 ad 1 . . . 208
44, 1 ad 3 . . . 198 n
44, 2 ad 1 . . . 13 n
44, 3, arg. sed contra . . . 151 n
44, 3 c . . . 144, 144 n, 151, 153, 153 n
44, 4 . . . 211
44, 4 ad 4 . . . 151
45, prologus . . . 13 n
45, 1 c . . . 13 n, 26
45, 2 c . . . 27 n, 208
45, 2 ad 1 . . . 13 n
45, 4 . . . 114
45, 6 . . . 162
46, 3 ad 2 . . . 9
47, 1, obi. 2 . . . 142 n
47, 1 ad 1 . . . 222 n
47, 1 ad 2 . . . 150
47, 1 ad 3 . . . 81 n
47, 2 c . . . 8 n, 40, 219, 221 n
47, 2 ad 1 . . . 154
47, 3 ad 3 . . . 219, 225 n
47, 4 c . . . 236
47, 4 ad 1 . . . 236
48, 1 ad 5 . . . 219
48, 2 ad 2 . . . 205
49, 3 c . . . 240
50, prologus . . . 220
50, 1 c . . . 216 n
50, 2, obi. 4 et resp. . . . 176
50, 2 ad 4 . . . 180
50, 3 c . . . 227
50, 4 . . . 8
50, 4, arg. sed contra . . . 45 n
52, 3 ad 2 . . . 223
54, 1 c . . . 181
54, 3 c . . . 177
55, 1 c . . . 70
55, 2 c . . . 58 n
58, 2 c . . . 32
58, 3 ad 1 . . . 9
60, 1 c . . . 110 n, 204
60, 2 c . . . 98
60, 5 c . . . 218 n
60, 5 ad 3 . . . 218 n
60, 5 ad 4 . . . 184 n
60, 5 ad 5 . . . 218 n
61, 1 c . . . 61, 208
61, 3 c . . . 216
61, 3 ad 2 . . . 216 n, 217
61, 4 c . . . 174, 216 n
62, 2 c . . . 185
62, 2 ad 2 . . . 184
62, 3 ad 3 . . . 235
65, 2 c . . . 192, 225 n
67, 1 c . . . 146 n
70, 3, obi. 2 . . . 41
70, 6 . . . 40
73, 1 c . . . 235
75, 7 c . . . 45
76, 1 c . . . 190
76, 3 c . . . 47 n
76, 4 c . . . 39, 47 n
76, 4, obi. 3 et resp. . . . 44
76, 5 c . . . 177, 190
77, 1 c . . . 165 n
77, 1 ad 7 . . . 125 n
77, 2 c . . . 188 n
77, 4 c . . . 10, 60 n
77, 6 ad 2 . . . 213
77, 7 . . . 60 n, 213
77, 7 ad 2 . . . 29 n, 212
77, 8 . . . 56 n
77, 8 ad 2 . . . 56 n
77, 12 c . . . 62
78, 3 c . . . 191
78, 3 ad 2 . . . 33 n
78, 4 c . . . 61
78, 4 ad 5 . . . 62
78, per totum . . . 56 n
79, 2 c . . . 70 n
79, 6 c . . . 72 n
79, 6 ad 3 . . . 72 n
79, 8 ad 3 . . . 58
79, 9 c . . . 98
79, 11 ad 1 . . . 147-148 n
81, 3 c . . . 61
82, 1 c . . . 166, 203
82, 3 . . . 90

	Pag.
83, 4	69
84, 3 c	190
84, 7 c	83
85, 2 ad 1	10
85, 4 c	32
85, 6 c	33 n, 76, 77
86, 3 c	221 n
87, 1 c	70 n, 168
87, 1 ad 5	125
88, 3	210
89, 5	70
90, 2 ad 1	180, 206
91, 1, obi. 2	41
91, 3 c	192
91, 3 ad 3	193
93, 2 ad 3	226
93, 3 c	104
93, 4 c	104
97, 3 c	104 n
100, 1 c	223 n
100, 1 ad 2	105
100, 2 c	228
103, 2 c	238 n
103, 2 ad 2	218 n
103, 2 ad 3	238
103, 4 ad 1	224
105, 6 c	19, 219
105, 8	232
106, 1	228 n
108, 2 ad 3	50
108, 3 c	220
108, 5 c	48, 59
108, 5 ad 1	49
108, 6 c	8 n
110, 2 ad 2	228
111, 1	228
112, 2 c	228 n, 230
113, 1	228
115, 1 ad 2	30
116, 2 ad 3	15 n

Prima Secundae

	Pag.
Prologus	161
1, 1 ad 1	174
1, 2 c	170, 171 n
1, 6 c	23 n, 182
2, 8, obi. 1	8 n
2, 8 ad 2	216, 226 n, 238
3, 1	217 n
3, 6 c	98
7, 1 c	8 n
8, 2 c	203
9, 3 c	203
13, 1	92
17, 1	92
19, 4 c	23 n
21, 4 c	23 n
37, 4 c	176
49, 1 ad 2	6
49, 3	64
49, 4 c	5, 32, 65 n
50, 1-2	122
50, 2	64
50, 2 ad 2	64
50, 2 ad 3	64
50, 3 ad 1	65 n
50, 3 ad 2	65, 68
50, 3 ad 3	65 n
50, 4 ad 1	102
50, 4 ad 3	67, 82
50, 5, obi. 1	71
50, 5 c	68
50, 6	64, 70
51, 1 c	85 n, 199
51, 3 c	67, 69, 69 n, 83, 85 n
51, 4 ad 3	107
52, 1 c	7 n
53, 1 c	67 n, 101 n
53, 1 ad 3	101 n
54, 2	82
54, 4 c	33
55, 1	28
55, 4 c	86, 200
56, 1 ad 3	29 n, 212, 212 n
56, 3, arg. sed contra	68
56, 4 c	68, 92 n, 94
56, 5 c	66, 67, 67 n, 68, 86
56, 6 c	68
57, 2 c	98
57, 2 ad 1	89-90
57, 2 ad 2	46, 96
57, 3 ad 3	84 n
57, 4 ad 2	84
58, 1 c	69, 86
58, 2 c	94 n
58, 2 ad 1	92
58, 2 ad 4	95 n

	Pag.
58, 3 ad 1	89
58, 7 c	96, 130
61, 1 ad 1	89
61, 2 ad 1	89
62, 1 c	119 n
62, 4 c	10
63, 1 c	85 n
63, 1 ad 3	85 n
63, 2.	199 n
63, 2 ad 2	85 n
63, 2 ad 3	113
63, 4	111
63, 4 c	111 n
65, 1	95
65, 4 c	129
65, 5 c	162
66, 1 c	91
66, 5 c	99 n
66, 5 ad 4	98
67, 2 c	70
67, 2 ad 2	82 n
68, 8 c	134
71, 4 c	85 n
71, 4 ad 2	107
73, 1 ad 2	85
74, 1-5	202 n
82, 1 ad 1	105
82, 1 ad 3	105
83, 1 c	105
83, 2 c	105
83, 2 ad 2	105
83, 2 ad 3	125 n
86, 1 c	123 n
88, 1 ad 1	157
89, 1 c	123 n
90, 1 ad 2	72
94, 1 c	72
94, 2 c	74 n, 76, 76 n
109, 3 ad 1	184
109, 5 c	106
109, 6 c	184
110, 1, obi. 2 et resp.	123 n
110, 2, arg. sed contra	123
110, 2 ad 3	114-115
110, 3 ad 3	119-120 n
110, 4 c	161
110, 4 ad 1	124 n
110, 4 ad 3	125 n
111, 1 c	230, 231
111, 2 c	125
111, 5 c	231
112, 1 c	106, 207
113, 1 c	123
113, 7 c	115 n
113, 9 ad 2	229
113, 10 c	104
114, 3 c	207
114, 4 c	133
114, 5 c	127

Secunda Secundae

	Pag.
Prologus	121
1, 1 c	33, 34
1, 5 ad 2	202
1, 6 ad 1	34
1, 7 c	128
2, 5 c	34 n
4, 1 c	82
4, 5 ad 2	128
4, 5 ad 3	128
4, 8 c	106
4, 8 ad 3	110 n
5, 4, obi. 3	110 n
5, 4 ad 3	78, 97
6, 1	231
8, 1 ad 2	128
8, 4 c	109-110 n
8, 5 c	110 n
8, 6 c	109 n
8, 6 ad 2	109 n
8, 6 ad 3	109 n
9, 2 c	23 n, 130
9, 2 ad 3	198
10, 4 ad 2	110 n
10, 11 c	163
17, 1	129
17, 1 ad 2	34 n
17, 8 c	30, 41 n
18, 1, arg. sed contra	104
21, 3 ad 2	107
23, 1	120 n, 129
23, 2, obi. 2 et resp.	123 n
23, 2 ad 1	161
23, 4, obi. 1	134
23, 4 ad 1	134
23, 8 c	94 n, 204
23, 8 ad 1	94

	Pag.
24, 6 ad 2	69 n, 85 n
26, 1 c	16
26, 3 c	218 n
26, 4, arg. sed contra	36, 149
31, 3 c	127, 230
45, 1-2	109 n
45, 2, c	110
45, 2 ad 2	109 n
47, 2 ad 3	84 n
47, 3 ad 2	86
47, 3 ad 3	67
47, 5 c	84 n
47, 6 ad 3	113
47, 14 ad 3	116
47, 16 c	101 n
48, a. unic.	96
49, 1 ad 2	66
52, 1 c	131
53, 2 c	91
54, 5 ad 2	66 n
59, 12 c	91 n
60, 1 ad 1	90 n
83, 1 c	24
92, 1 ad 2	146 n
121, 1 ad 3	131
123, 12 c	92
129, 6 c	201 n
160, 1 ad 1	49 n
166, 1 c	186 n
173, 2	109
178, 2 c	232
180, 6 ad 2	58
186, 2 ad 1	186 n

Tertia Pars

	Pag.
3, 1 c	51 n
5, 4 c	104
6, 2 c	104
6, 5 c	137
7, 2 c	124 n
11, 1 c	115
18, 4	69
24, 3	156
24, 3 ad 3	158
56, 1, obi. 3	156
56, 1 ad 3	27 n, 153, 155
62, 5 c	24 n
62, 6 ad 3	117 n
63, 2 c	136 n, 138
63, 2 ad 1	136
63, 2 ad 2	136
63, 4 c	136
63, 4 ad 2	138 n
63, 4 ad 3	137
65, 3 c	139
70, 4 c	117
72, 5 c	138
72, 6 c	138
72, 9 c	138
74, 2 c	173
77, 1 ad 2	206
77, 2 ad 1	212
78, 2 c	148
80, 1	124 n

INDEX RERUM ANALYTICUS

A

Accidens

Imperfectam habet rationem entis, 157 n.

Aliud naturale, aliud supernaturale, 56, 224.

Naturale dicitur novem modis pro novem generibus accidentium, 31-32, 206.

Naturalia accidentia, alia propria sive speciei, quae et necessaria audiunt; alia communiter dicta sive individui, quae et contingentia nuncupantur, 51-52, 52 n, 56.

Accidentia individui, alia connaturalia et inseparabilia; alia separabilia et adventitia, 52 n.

Accidentia dicuntur entia in ordine ad substantiam, 157 n; et quidem analogice, analogia attributionis intrinsecae, 31, 38, 157, secundum triplex genus causae: quasi materialis *in qua*, ut ad primum subiectum inhaesionis, 31, 38, 157; efficientis, ut ad primum principium et fontem unde dimanant, 52 n, 56, 213; finalis, ut ad terminum in quem ordinantur et cui subserviunt, 213, 214.

Ordo eorum inter se per respectum ad substantiam secundum idem triplex genus causae, 212-214.

Secundum genus causae *quasi materialis in qua* sive subiectum inhaesionis: primo quantitas, deinde qualitas, postea actio et passio, quarto relatio, et inde cetera consequenter, 31, 40 n.

Nullum accidens potest esse subiectum primum inhaesionis sive subiectum *quod* alius, sed hoc est proprium et exclusivum substantiae, 212.

Potest tamen unum accidens esse subiectum secundarium *quo* alius vel aliorum accidentium, priora nempe respectu posteriorum, 212-213.

Non tamen per seipsum et virtute propria, sed virtute a substantia participata, cui inhaeret et a qua sustentatur, 29 n, 212-213.

Secundum genus causae *efficientis dimanativae*, 52, 56, 213-214.

Accidens naturale causatur ex principiis subiecti, 213.

Subiectum est principium accidentis quod de eo praedicatur, 213.

Accidentia consequuntur substantiam sicut causam, 213.

Subiectum se habet ad accidentia non solum ut potentia passiva sive receptiva, sed etiam quodammodo ut potentia activa, 213.

Substantia est causa efficiens propriorum et connaturalium accidentium per modum dimanationis vel resultantiae potius quam per modum productionis presse dictae, 214.

[Library] of Divinity Library

Accidentia propria naturaliter ac sponte resultant ex substantia cui inhaerent, 56.
Accidentia propria causantur ex principiis speciei; communia vero sive communiter dicta, ex principiis individui, 52 n, 224.
Nullum accidens potest per seipsum causare aliud accidens, sed solum per virtutem participatam a substantia, 213.
Accidens ex seipso non habet virtutem producendi aliud accidens, sed a substantia potest procedere unum accidens mediante alio, 213.

Secundum genus causae *finalis*, 213, 214, 224.
Accidentia sunt propter substantiam, ut per eam perficiantur, 213.
Unum accidens non potest esse finis principalis alterius, sed sola substantia, praesertim specifica, 224.
Potest tamen unum accidens esse finis secundarius alius vel aliorum per virtutem finalizandi participatam a substantia, scilicet perfectum minus perfecti, ut videre est in potentiis animae, 214.
Subiectum sive substantia est fundamentum et basis omnium aliorum entium, 214.
Est causa proprii accidentis, et finalis, et quodammodo activa, et etiam materialis in quantum est susceptivum accidentis, 214.
Accidentia non pertinent per se neque principaliter ad ordinem et perfectionem universi, sed ratione substantiae specificae vel individualis ad quam reducuntur sicut in principium et causam, 224.
Accidentia quaecumque naturalia sunt infra substantias, 224.
Ordo atque perfectio universi potius est in substantiis quam in accidentibus, 224.

Actus

Actus duplex: primus, qui est forma vel esse, et secundus, qui est operatio, 139 n.
Analogantur inter se analogia attributionis intrinsecae, 139 n.

Actus primus. In actibus formarum gradus quidam inveniuntur, 42.
Quanto aliquis actus est posterior et magis perfectus, tanto principalius in ipsum appetitus materiae fertur, 41.
Actus et potentia dividunt ens finitum et omne genus entis, 165, 205.
Semper actus proportionatur ei cuius est actus, 181.
Proprius actus respondet propriae potentiae, 176, 177.
Oportet esse proportionem actus et potentiae, 176.
Proprius actus est in propria potentia, 88, 90 n.
Proprius actus in propria potentia fit, 176.
Talis est actus qualis est potentia, 176, 177.
Oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum, 177.
Quantum unumquodque est in potentia, tantum potest esse in actu, 177.
Sicut se habet actus ad actum ita se habet potentia ad potentiam, 178.
Nullus actus invenitur finiri nisi per potentiam quae est vis receptiva, 180, 208.

of Divinity Library

Omnis actus alteri inhaerens terminationem recipit ex eo in quo est, 180.
Actus in nullo existens nullo terminatur, 180.
Esse non receptum in aliquo non est finitum, 180.

Actus secundus. Nullus actus excedit proportionem principii activi, 106.
Actus humani tam in esse psychologico quam morali specificantur a fine, 204: in esse quidem psychologico a fine operis, in esse autem morali a fine operis et a fine operantis, 204.
Sicut actus in communi recipit speciem ab obiecto, ita actus moralis recipit speciem ab obiecto morali, 205.
In exercendis actibus virtutum acquisitarum, vis naturalis potentiae, cui insunt, primas habet partes, eique subordinantur ipsi earum habitus: at vero in eliciendis actibus virtutum infusarum, primae partes spectant ad habitus earum, quibus naturales potentiae subordinari debent, 113.
Actus virtutum acquisitarum et actus virtutum infusarum toto caelo differunt nedum in esse morali et meritorio, verum et in ipso esse reali et psychologico, 113-114.
Actus habituum infusorum non causant novum habitum eiusdem neque diversae speciei, sed solum augent et confirmant habitum praeexistentem a quo eliciuntur, maxime si intensiores ac ferventiores sint, 107.
Neque tamen eos augent effective ut actus habituum acquisitorum habitus suos, sed mere dispositive et meritorie: proprie autem augentur effective per actionem Dei a quo causantur, 107, 108 n.
Quo quidem augmento firmius ac profundius inhaerent proprio subiecto cui insunt, et praesertim magis ipsum dominantur magisque docile reddunt ad subserviendum sibi et gratiae, 107.
Actus secundus et potentia activa proportionales sunt: nullus actus excedit proportionem principii activi, 106.

Aequivoca

Sunt duplicis generis: alia a casu, quae et pure aequivoca dicuntur; alia a consilio, quae vulgo analoga vocari solent, 3, 13, 157-158 n. Vide *Analogia*.
Pure aequivoca sola voce conveniunt, 3.
Plura ut plura dispárata et absque ullo ordine aeque primo significant, 4, 53, 73.
Non sunt intelligibilia neque possunt terminare impetum unius potentiae vel habitus, 32.

Agens

Exercitium sive operatio agentis est agere, 164-165.
Agere nominat vi vocis ante se pellere, idest minare, 165 n.
Et inde agolum, pastorale baculum quo pecudes aguntur, 165 n; et agasones, equi agentes, idest minantes, 165 n.
Agere sequitur esse, 51.
Nihil agit nisi secundum quod est in actu, 70, 70 n.

Agere et pati non convenit entibus secundum quod sunt in consideratione, sed secundum quod sunt in esse, 199.
Unicuique convenit habere causam agentem secundum quod habet esse, 199 n.
Agens non agit nisi propter finem, 171 n.
Omne agens agit propter finem, 172.
Agens non operatur nisi intentione finis, 170.
Agens non movet nisi ex intentione finis, 171 n.
Omne agens intendit facere aliquid determinatum, 241.
Causalitas agentis spectat ad ordinem executionis, 174.
Agens dupliciter operari potest propter finem: per intellectum, quando determinat vel praestituit sibi finem; et per naturam, quando non determinat neque praestituit sibi finem, sed ei determinatur ab alio per intellectum agente, 143.
Operatio agentis in finem ducens potest esse duplex: alia factiva rei quae est finis, quando finis est proportionatus viribus propriis agentis; alia meritoria tantum, si finis excedat nativas et proprias vires agentis, sed exspectat eius assecutionem ex dono alterius, 174.
Omne agens agit per suam formam, 223.
Agens quidem per naturam agit per suam formam naturalem, 223; agens vero per intellectum agit per formam apprehensam, 144.
Semper tamen omne agens agit sibi simile quantum ad formam qua agit, 223 n.
Nulla res potest agere ultra suam speciem, 106.
Quod nobilius est, debet in agendo et operando primas partes habere atque in inferiora dominium exercere, 114.

Agibilia sunt propria materia prudentiae et virtutum moralium appetitus, 85.
Sunt maxime contingentia et mere probabilia, 85.
Et ideo unus actus circa ipsa non sufficit ad causandam virtutem, sed requiruntur plures, 69.

Alteratio

Alteratio est motus circa qualitates tertiae speciei, 51.
Se habet ad generationem ut accidens ad substantiam, 3.

Analogia

Analoga. Una voce conveniunt, 13.
Plura tamen significant, non quidem ut plura et aeque primo, ut pure aequivoca, sed ut unum unitate ordinis sive relationis prioritatis et posterioritatis ad aliquid primum et principale, 13, 53.
Sunt ea quorum nomen est unum sive commune, ratio vero per illud significata est partim eadem et partim diversa, 39: quia nimirum dicitur de pluribus secundum prius et posterius per ordinem, respectum vel relationem ad aliquod unum primum et maximum, 17.
Dicuntur etiam aequivoca a consilio, 3, 13, 157-158 n.

Triplex modus fundamentalis analogiae: inaequalitatis, attributionis et proportionalitatis, 17.
Analogia *inaequalitatis* dicitur etiam realis, sive secundum esse et non secundum intentionem, et viget inter species alicuius generis, 44, 53.
Admittit plures gradus, a speciebus supremis generis supremi usque ad species infimas generis ultimi vel proximi, 45.

Analogia *attributionis* gemina: alia intrinseca sive per participationem intrinsecam, quae etiam dicitur secundum esse et secundum intentionem; alia extrinseca sive per meram denominationem extrinsecam, quae appellatur etiam secundum intentionem tantum et non secundum esse, 32, 44.
Intrinseca duplex: alia unius ad unum, alia duorum vel plurium ad unum, 34-35.
Analogum analogia attributionis *intrinsecae* dicitur de pluribus secundum prius et posterius, et dividitur in partes vel modos suos sicut totum potentiale in partes potentiales, 89.
Quinque conditiones huiusce analogi:
a) quod habeat unum primum et maximum ad quod cetera referantur vel a quo cetera dependeant, 89, 90;
b) quod illud primum sit, qua tale, principium et causa ceterorum secundum aliquod genus causae, 90-91;
c) quod ideo illudmet participetur a ceteris secundum prius et posterius, 91, 92;
d) quod det eis formam et perfectionem, 92-93;
e) quod ponatur in definitione eorumdem inferiorum analogatorum qua talium, 94-95.

Fit quatuor modis iuxta quatuor modos vel genera causarum, 19.
Secundum genus causae *materialis.* Analogia attributionis intrinsecae inter diversas acceptiones materiae, 28, 29, 30, 31.
Secundum causam materialem *ex qua:* inter materiam primam sive substantialem et secundum sive accidentalem. Nomen materiae *ex qua* dicitur per prius de materia prima et nonnisi per posterius de materia secunda, eo circiter modo quo ens dicitur per prius de substantia et per posterius de accidente, 29.
Secundum causam materialem *in qua:* accidentia dicuntur entia per ordinem, respectum et attributionem ad substantiam ut ad subiectum primum inhaesionis, 31-32.

Secundum causam materialem *circa quam:* diversa obiecta materialia alicuius potentiae vel habitus ordinantur et analogantur secundum prius et posterius ad unum primum et maximum quod est obiectum per se et principale, a quo habet unitatem, 32-35.
Unus habitus non se extendit ad multa nisi in ordine ad unum, ex quo habet unitatem, 33.
Una potentia ad multa se extendit secundum quod conveniunt in aliquo uno ad quod referuntur et reducuntur, 33.

Secundum genus causae *formalis.* Analogia attributionis intrinsecae inter causam formalem intrinsecam et causam formalem extrinsecam sive exemplarem, quae se habet ad illam ut imperfecta ad perfectam quam aliqualiter participat, 36, 37-38.

Secundum genus causae formalis *intrinsecae* sive presse dictae: inter formam intrinsecam secundam vel accidentalem et formam intrinsecam primam vel substantialem, quae se habent ut accidens ad substantiam, 38.

Secundum genus causae formalis *extrinsecae vel exemplaris*: inter exemplar divinum ex nihilo creans mundum universum et exemplar humanum operis artificiosi producendi, 150, 153-155, 156-158.

Secundum genus causae *efficientis*. Nomen causae efficientis dicitur primo et maxime de causa prima incausata, deinde vero et per posterius de causis secundis, quae sunt causae causatae, 23-24.

Et quidem ex ordine quo appropinquant ad causam primam secundum magis et minus sive secundum prius et posterius: per prius nempe dicitur de causa per se principali et totali; postea, de causa principali partiali sive incompleta; deinde, de causa instrumentali coniuncta; quarto, de causa instrumentali separata perfectiva; quinto, de causa instrumentali separata mere dispositiva; tandem, de causa per accidens, 23-27.

Quod si haec causa per accidens sit mere occasionalis, nomen causae dicitur de illa per solam denominationem sive per analogiam attributionis mere extrinsecae, 27.

Secundum genus causae *finalis*. Nomen finis sive causae finalis dicitur per prius de fine obiectivo quam de fine formali, qui est sub illo sicut finis sub fine, 20.

Rursus finis tam obiectivus quam subiectivus sive formalis dicitur per prius de fine ultimo quam de fine intermedio et de fine proximo, qui sunt fines non-ultimi sed ultimati, 20-21.

Nomen ergo finis dicitur de fine simpliciter ultimo obiectivo sicut de primo atque supremo analogante, de ceteris vero finibus dicitur secundum prius et posterius pro maiori vel minori accessu ad illum primum et maximum, 19-21.

Sicut enim in aliis generibus causarum per se ordinatarum habitudo secundae causae dependet ex habitudine causae primae, primae vero causae habitudo non dependet ex aliquo alio; ita est in causis finalibus per se ordinatis, quia secundi fines participant habitudinem causae finalis ex ordine ad ultimum finem, ipse autem ultimus finis habet hanc habitudinem ex seipso, 21-22.

Ordo et analogia *bonorum* fit secundum causam finalem, 19-20.

Bonum non univoce dicitur de bonis, 22 n; sed analogice, analogia attributionis intrinsecae, de fine et de mediis, 20-22; itemque de fine obiectivo et de fine formali, 20, 22; ac denique de bono honesto, de bono delectabili et de bono utili, 20, 22, 22 n.

Quod si medium nullam habeat in se intestinam bonitatem, sed purum dicat respectum ad finem consequendum, tunc dicitur bonum mere utile, 20, 21; et nonnisi per attributionem sive denominationem mere extrinsecam ad bonitatem finis appellatur bonum, 22.

Analogia attributionis intrinsecae *inter quatuor genera causarum simul sumpta*, 170-173.

Genera causarum ordinata sunt secundum prius et posterius per respectum ad unum primum et maximum, quod est genus causae finalis, 170.

In causis talis est ordo quod materia completur per formam, et forma per efficientem, et efficiens per finem, 170.

Finis est prima et potissima omnium causarum, 170, 171.

Est causa causarum, quia est causa causalitatis in omnibus causis, 170, 171.

A causa finali omnes aliae causae recipiunt quod sint causae, 171.

A fine omnes aliae causae habent quod sint causae in actu, 171 n.

Idem modus analogiae viget *inter causas intrinsecas ad invicem comparatas*, nempe inter causam materialem et causam formalem; quia materialis se habet ad formalem sicut materia ad formam in ratione naturae physicae sive entis mobilis, et sicut potentia ad actum in ratione entis creati vel finiti, 168.

Ratio naturae physicae per prius convenit formae, et nonnisi per posterius materiae: itemque ratio entis finiti per prius convenit actui, potentiae autem per posterius, 168.

Materia dicitur natura per respectum vel analogiam ad formam, 168.

Et similiter potentia dicitur ens per respectum vel analogiam ad actum, 139 n.

Idemque videre est *inter causas extrinsecas*, efficientem scilicet et finalem, *ad invicem comparatas*, quia efficiens non habet rationem causae nisi per respectum ad finem et dependenter a fine, 169.

Finis movet sicut ratio movendi, sed efficiens sicut agens motum, 169.

Causa efficiens se habet ad causam finalem sicut movens mota, finalis vero ad efficientem sicut movens immota, 169.

Causa finalis est causa causalitatis causae efficientis, quia est causa ut efficiens sit efficiens, 170.

Eadem analogia habetur inter quatuor modos *necessitatis, possibilitatis et impossibilitatis*, qui sumuntur secundum quatuor genera causarum ad quae consequuntur, 166-167.

Habetur quoque idem modus analogiae *inter habitus operativos ordinis naturalis*, nempe inter habitus intellectuales angelorum hominumque ad invicem comparatos, 87-88;

et inter habitus ipsorum hominum, 88-100;

puta inter prudentiam et virtutes morales, 88-95;

inter prudentiam et ceteras virtutes intellectuales versantes circa necessaria, 95-100;

inter prudentiam et artem, quae versantur circa contingentia, 95;

inter ipsas virtutes intellectuales versantes circa necessaria, scilicet inter sapientiam, intellectum et scientiam, 95-100, 118.

Similiter *inter habitus operativos ordinis supernaturalis* ad invicem comparatos, 132-135.

Nimirum inter prudentiam infusam aliasque virtutes morales infusas, 132;

inter donum consilii et dona pietatis et fortitudinis, 132;

inter donum sapientiae et dona intellectus et scientiae, 132-133;

inter caritatem et ceteras virtutes infusas tam theologales quam morales et dona Spiritus Sancti, in ratione virtutis meritoriae de condigno vitae aeternae, 133.

Meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem vir-

tutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur et informantur, 133.

Omnes virtutes habent efficaciam merendi a caritate, ab eaque ipsam participant, 133.

Caritas ponitur in definitione virtutum meritoriarum qua talium, 133, 133 n, 134.

Valor meritorius descendit a caritate ad ceteras virtutes ab ea motas et informatas secundum magis et minus sive secundum prius et posterius, 134.

Duplex ratio ordinandi virtutes sub caritate, 134-135.

Pariter *inter diversos characteres sacramentales ad invicem comparatos,* 139-141.

Inter characterem baptismi atque characterem ordinis et confirmationis sicut inter potentiam passivam et activam, 139.

Inter characterem confirmationis et characterem ordinis, 140.

Inter ipsos characteres ordinum diaconatus, presbyteratus et episcopatus eos imprimentium, 139-140: per respectum ad characterem episcopalem, qui maxime competit Romano Pontifici qua Christi Vicario, veluti ad supremum analogans, 140, 141.

Rursus *inter gratiam gratis datam et gratiam gratum facientem,* 232.

Inter ipsas gratias gratis datas, verbi gratia inter miracula, 233-234.

Incarnatio Verbi est miraculum miraculorum, et ad ipsum ordinantur omnia alia miracula, 234.

Analogia *proportionalitatis* duplex: alia proportionalitatis propriae, alia proportionalitatis metaphoricae, 54 n, 59, 60, 122-132, 173-181, 231, 241.

Analogia proportionalitatis propriae gemina: alia continua et alia discontinua sive disiuncta, 26-27.

Disiuncta vero alia directa, alia inversa sive permutata, 181 n.

Analogia proportionalitatis *propriae* fundatur in similitudine entitativa, formali sive essentiali eorum quae analogantur, 122.

Datur *inter causas intrinsecas,* scilicet materialem et formalem, ex una parte, et causas extrinsecas, efficientem nempe et finalem, ex alia, 173-177.

Sicut causa materialis et causa formalis sunt ad invicem causae pro suo quaeque modo et genere, ita causa efficiens et causa finalis sunt ad invicem causae pro suo, 177.

Sicut materia et forma sibi invicem correspondent et proportionantur, ita agens et finis inter se, 176.

Datur etiam intra ipsam seriem causarum intrinsecarum, idest inter materiam et formam, atque inter potentiam et actum, 177-181.

Sicut forma potest dare esse, ita materia potest recipere idem esse, 177.

Sicut nihil recipit in ordine essendi nisi ratione materiae primae, quae est prima potentia passiva vel receptiva; ita nihil dat in eodem ordine nisi ratione formae substantialis, quae est primus actus, 177-178.

Sicut nihil patitur nisi ratione primae potentiae passivae quae est materia prima, ita nihil actuat vel perficit nisi ratione actus primi qui est forma prima sive substantialis, 178.

Sicut se habent materia prima et forma substantialis in constitutione

physica entis mobilis, ita se habent essentia et esse in constitutione metaphysica entis finiti sive creati: utrobique sicut potentia et actus sui ordinis 178-179.

Sicut materia prima et forma substantialis realiter differunt inter se in omni ente mobili, ita essentia et esse realiter differunt inter se in omni ente creato sive finito, 180-181.

Sicut differentia realis materiae primae et formae substantialis est differentia potentiae et actus ordinis physici, ita differentia realis essentiae et esse est differentia potentiae et actus ordinis metaphysici, 179-180.

Sicut forma substantialis limitatur per materiam primam in qua recipitur, ita esse creatum limitatur per essentiam in qua recipitur, 180.

Et universaliter proprius actus limitatur per propriam potentiam in qua recipitur, 180.

Viget insuper *intra seriem ipsam causarum extrinsecarum,* scilicet inter causam efficientem et causam finalem, 181-185.

Ordo agentium est sicut ordo finium, 183.

Secundum ordinem agentium est ordo finium, 182, 183, 184.

Ad ordinem agentium sequitur ordo in finibus, 183.

Ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens, 182.

Sicut in causis efficientibus virtus primae causae manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis, 182.

Sicut est ordo in causis agentibus, ita etiam in causis finalibus, ut scilicet secundarius finis a principali dependeat sicut secundarius agens a principali dependet, 183.

Sicut supremum agens movet omnia secunda agentia, ita ad finem supremi agentis oportet quod ordinentur omnes fines secundorum agentium, 183.

Sicut causae primae et universali respondet finis ultimus et universalis, ita causae secundae et particulari correspondet finis secundarius et particularis, 182.

Primo agenti respondet finis ultimus, et proportionaliter per ordinem alii fines aliis agentibus, 183.

Quanto aliquod agens est superius et universalius, tanto et finis propter quem agit est universalius bonum, 183.

Cum secundum ordinem agentium sive moventium sit ordo finium, necesse est quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis, ad finem autem proximum per motionem alicuius inferiorum moventium, 184.

Sicut ad finem naturalem consequendum requiruntur et sufficiunt vires naturales agentis, ita ad finem supernaturalem merendum atque attingendum postulantur vires supernaturales gratiae, quin mere naturales sufficiant, 183-185.

Locum habet quoque *inter ordinem naturalem et supernaturalem,* 231.

Gratia et virtus *imitantur* naturae ordinem, qui est ex divina sapientia institutus, 231.

Sicut natura et naturalia, atque idcirco naturalis ordo rerum, ex causis naturalibus dependent et per eas explicantur, ita proportionali modo gratia

et virtutes totusque ordo supernaturalis ex causis supernaturalibus intelligi ac explicari debent, 231.

Inter gratiam habitualem et animam humanam, 123-127.

a) Sicut anima humana dat formaliter vitam naturalem corpori, eique praebet esse humanum; ita gratia habitualis dat formaliter vitam supernaturalem animae, cui et confert esse quoddam divinum, 123.

b) Sicut anima rationalis est prima radix et principium vitae naturalis corporis, ita gratia habitualis est principium et radix prima vitae supernaturalis animae, 124.

c) Sicut ab essentia animae naturali quadam resultantia emanare intelliguntur ordine quodam eius potentiae, cum tamen omnes simul cum anima concreentur; ita ab essentia gratiae connaturaliter fluunt virtutes infusae ordine quodam, primo nempe theologales, deinde dona Spiritus Sancti et postremo virtutes cardinales, cum tamen omnes simul cum gratia infundantur, 124, 124 n.

d) Sicut essentia animae est una tantum, dum potentiae eius sunt plures; ita gratia habitualis est tantum una, virtutes autem infusae plures, 124.

e) Sicut essentia animae est naturaliter prior potentiis eius ab eisque essentialiter differens, ita essentia gratiae est naturaliter prior virtutibus infusis et ab eis essentialiter differens, 124, 125 n.

f) Sicut gratia habitualis respicit essentiam animae ut subiectum *quo* inhaesionis, ita virtutes infusae respiciunt immediate eius potentias ut subiecta *quibus* inhaerent, 124 n.

g) Sicut essentia animae non est immediate operativa, sed operatur per potentias eius; ita gratia habitualis non est immediate operativa, sed operatur mediantibus virtutibus infusis, 124, 125.

h) Sicut essentia animae est perfectior potentiis eius, ita essentia gratiae est perfectior virtutibus infusis ex ea profluentibus, 125, 125 n.

i) Sicut essentia animae est forma potentiarum eius per modum originis et radicis, ita gratia habitualis est forma omnium virtutum infusarum per modum radicis et originis, 125-126.

Sicut anima est totum quoddam potentiale sive analogum respectu potentiarum eius, ita gratia habitualis est veluti quoddam totum analogum sive potentiale respectu virtutum infusarum, 135.

Inter habitus operativos supernaturales et naturales sive *inter virtutes infusas et acquisitas*, 127-132.

Inter virtutes *morales* infusas et acquisitas, 118, 121, 132.

Inter *dona* Spiritus Sancti et virtutes eis correspondentes, tam infusas quam naturales, 120-121, 129.

Inter donum consilii et virtutem prudentiae, 130-131;

inter donum fortitudinis et virtutem fortitudinis, 131-132, 131-132 n;

inter donum intellectus et intellectum principiorum, 128;

inter donum pietatis et virtutem pietatis, 131;

inter donum sapientiae et sapientiam philosophicam atque theologicam, 129.

inter donum scientiae et naturalem virtutem scientiae, 129.

Inter virtutes *theologales* et alias virtutes vel dispositiones eiusdem nominis, tam naturales quam supernaturales, 120, 128-129.

Inter fidem theologicam et fidem humanam, 120, 128;

inter fidem infusam hominum et fidem acquisitam daemonum, 120, 120 n;

inter fidem theologalem et habitum primorum principiorum naturalium

tam speculativorum quam practicorum, idest intellectum principiorum et synderesim, 128;

inter praedictam fidem et donum intellectus, 128.

Inter spem christianam sive theologicam et spem humanam, 120, 120 n, 128-129.

Inter caritatem et amicitiam honestam naturalem, 120, 129.

Analogia proportionalitatis propriae *inter artificem humanum* operantem per sapientiam suam *et artificem divinum* conditorem mundi per suam, 239-240, 241.

Et quidem proportionalitatis *continuae* inter opus artis et naturae ex una parte, et inter opus naturae et Dei ex alia: sicut opus artis praesupponit opus naturae, ita opus naturae praesupponit opus Dei, 26; idest sicut operatio artis fundatur super operationem naturae, in quantum natura praeparat arti materiam, ita et operatio naturae fundatur super creationem, in quantum ministrat naturae materiam, 26.

Analogia proportionalitatis propriae *inversae sive permutatae*: sicut se habet essentia ad esse, ita posse ad agere; ergo permutatim, sicut se habent esse et agere ad invicem ita se habent potentia et essentia, 181 n.

Analogia proportionalitatis *metaphoricae* non fit secundum similitudinem formalem et essentialem eorum quae analogantur, sed secundum similitudinem mere virtualem sive dynamicam vel operativam relucentem in effectibus, 122, 122 n.

Inter corporalia et spiritualia non attenditur similitudo per participationem eiusdem qualitatis, sed per proportionalitatem metaphoricam, quae est similitudo dynamica proportionatorum, scilicet in effectu vel in operatione, 122 n.

Analogia proportionalitatis metaphoricae umbrae et scintillae cum corpore lucido et igne ex una parte, et humani intellectus cum angelica intelligentia ex alia, 59, 60: sicut scintilla est modicum ex igne evolans, ita virtus intellectiva humana est quaedam modica participatio intellectualitatis angelicae, 60.

Lucis corporalis et spiritualis: dicitur enim lux in spiritualibus quod ita se habet ad manifestationem intellectivam sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam, 54 n.

Aquae corporalis et spiritualis: sicut se habet aqua ad delendas corporales maculas ita gratia ad abluendas spirituales, 122.

Medicinae corporalis et spiritualis: sicut medicina expellit morbum corporis, ita gratia expellit morbum animae, qui est peccatum, 122-123.

Nitoris corporalis et spiritualis: sicut corpora pulchra et perlucida sensibiliter nitent, ita animae pulchrae ac perlucidae gratia Dei spiritualiter refulgent. 123.

Angelus

Angeli sunt formae separatae ab omni materia, 47, 57.

Dicitur substantia spiritualis, 54, 54 n; et penitus separata atque independens a corpore, 57.

Omnes differunt inter se non solum numero, sed et specie, 8, 47, 227-228.
Sunt essentialiter inaequales, 47.
Metaphysice analogantur inter se analogia inaequalitatis, 47-48.
Immo et analogia attributionis intrinsecae, quia supremus angelus se habet ad inferiores ut totum potentiale vel analogum ad partes potentiales sive analogas, 48.
Divisio hierarchiae angelicae in ordines est totius potestativi in partes potentiales, 48 n.
Superior perfectio attribuitur superiori ordini per proprietatem, inferiori vero per participationem, 48.
Perfectio inferior attribuitur inferiori ordini per proprietatem, superiori autem per excessum, 48.
Nomen commune angeli remanet inferiori ordini quasi proprium, 48-49.
Ordo superior a superiori perfectione ei propria nominatur, 48.
Perfectiones spirituales, quae sunt de ratione formae separatae et subsistentis, conveniunt quidem omnibus angelis, diversimode tamen; quia supremo pefecte et eminenter, ceteris vero secundum magis et minus sive secundum prius et posterius, pro maiori vel minori accessu et propinquitate ad illum, 48.
Maxime tamen dicuntur de ipsis omnibus secundum prius et posterius per ordinem ad formam supremam increatam vel divinam, quae est actus purus, cuiusque sunt participationes plus minusve perfectae, 49.
Ideo prima species in eis est perfectior secunda, utpote similior et propinquior Deo; et secunda diminutur a perfectione primae; et sic deinceps usque ad ultimam, 49.
Inter formas separatas, quas angelos dicimus, maxime accedit ad Dei similitudinem supremus angelus, et sic inde ordinate descendendo usque ad infimum, 50.
Excedunt secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter, 228.
Inferior angelus est superior supremo homine, 50.
Plus distat naturaliter homo ab infimo angelo quam minimus angelus a supremo, 58.
Intellectus angeli plus excedit intellectum humanum quam intellectus optimi philosopni intellectum rudissimi idiotae, 50.

Angelus non habet nisi facultates duas, easque omnino spirituales et anorganicas, intellectum nempe et voluntatem, 56.
Intellectus angeli est unus tantum et simplex, non geminatus in agentem et possibilem sicut intellectus humanus, 57.
Non recipit intelligibilia a rebus corporalibus ope sensuum, neque per abstractionem, sed eius proprium obiectum est immateriale et per se intelligibile, 57.
Non agit in intelligibile proprium, neque ab ipso proprie loquendo patitur, sed est naturaliter plenus formis intelligibilibus, semperque aliquid actu intelligit, 57, 58, 58 n.
Eminenter atque unite continet quidquid perfectionis est in intellectu humano agente et possibili, et adhuc amplius, 58.
Angelus est proprie ac plene intellectualis, 59.
Lumen intellectuale purum et impermixtum habet, 59.
Intelligit deiformiter, sine inquisitione et discursu, 59, 79 n.

Quo differt intellectus angelicus ab intellectu humano, 78-79.
Virtus cognoscitiva angeli; quae non dividitur per sensitivam et intellectivam, est fortior quam virtus cognoscitiva humana tam circa sensibilia singularia quam circa intelligibilia cognoscenda, 62-63.
Est speculativa et practica, 80 n.
Habitus intellectualis eius consistit in solis speciebus intelligibilibus, 73.

Excedunt perfectione totum ordinem corporeum, 226.
Sunt quaedam pars universi, 217; et quidem nobilior ac principalior, 217; utpote in summo rerum vertice constituti, 229.
Agunt in homines et in creaturas inferiores, et quidem excellentiori modo movent atque transmutant materiam corporalem quam ipsa agentia superiora corporalia, 229.
Agunt etiam superiores angeli in inferiores, 229.

Anima

Anima se habet ad corpus non solum in habitudine formae et finis, sed etiam in habitudine causae efficientis, 196.
Est forma substantialis corporis, quia est de essentia sive de quidditate corporis animati, 40.
Anima non solum est corporis forma et motor, sed etiam finis, 191, 192.
Anima non est propter corpus, sed corpus propter animam, sicut forma non est propter materiam sed materia propter formam, 92.
Unio animae ad corpus non est propter corpus, sed propter animam, 192.
Ex parte animae oportet accipere rationem quale debeat esse corpus cui unitur, 191.
Unaquaeque species animae postulat et exigit corpus organicum specie distinctum, 191.
Quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter et quodammodo implicite in anima continetur, 190.
Anima plantarum et animalium explicat totam suam virtualitatem in corpore, 190.
Est forma immersa in materia, idest in corpore quod informat, 43.
Anima humana sive rationalis superexcedit corporis proportionem, 43 n.
Superat omnem corporis proportionem, 43 n.
Excedit proportionem totius materiae corporalis, 43 n, 125 n.
Est forma emergens atque transcendens totum hominis corpus, non autem forma comprehensa, ob-ligata vel totaliter immersa materiae in qua recipitur, 43.

Est simul anima et spiritus, 104, 190.
Anima quidem, in quantum attingitur a corpore ut forma substantialis eius; spiritus autem, in quantum superexcedit corporis proportionem, 43 n.
Anima, in quantum animat corpus eique praebet vitam et sensum; spiritus vero, in quantum emergit a suo corpore illudque transcendit, 190, 191.
Anima, secundum quod perficit corpus; spiritus autem, secundum mentem, qua spiritualibus substantiis assimilatur, 104 n.
Quatenus anima, est forma substantialis et actus primus corporis humani, et ideo non est susceptiva habitus entitativi naturalis; sed quatenus

spiritus et imago Dei, est in potentia passiva obedientiali respectu gratiae, ac proinde susceptiva habitus entitativi supernaturalis, 104.
Ut spiritus nempe sive ut intellectualis naturae est capax Dei per gratiam, 104, 104 n; et ad imaginem Dei esse dicitur, 104.

Anima rationalis quolibet corpore nobilior est, et ipso caelo, 236.
Est perfectissima omnium formarum naturalium, 41, 226.
Est finis omnium formarum naturalium, 41, 226.
Usque ad animam rationalem se extendit consideratio philosophiae Naturalis, 42.
Anima rationalis, quatenus anima et forma substantialis corporis humani, est terminus considerationis philosophiae Naturalis, 203 n.
Non continetur in potentia materiae, neque est educibilis ex ipsa per actionem ganerantis, 226-227.
Non educitur de potentia materiae, 43, 43 n.
Non traducitur a parentibus per generationem, 43.
Est altissima et nobilissima omnium formarum substantialium, 41, 41 n.
Est ultima forma completissima, 41.
Anima humana, utpote altissima omnium formarum, producitur a potentissimo agente, scilicet Deo, 43 n.
Est solum productibilis a potentissimo agente, nempe Deo, per creationem, 227.
Non generatur, sed a solo Deo immediate creatur, 43.
A solo Deo procedit per creationem, 43.
Est incorruptibilis et immortalis, 43.

Est totum potentiale vel analogum respectu ceterarum animarum et formarum substantialium, quia ipsa sola continet unite et superiori modo ea omnia quae inferiores animae et formae substantiales disperse habent, aliaque plura, 46.
Tota virtus animae invenitur in rationali, sed in sensibili anima invenitur diminute, et adhuc magis diminute in vegetabili, 46.
Anima rationalis est unica forma substantialis hominis, quia ipsa sola immediate confert humano corpori quidquid formae inferiores conferunt suis propriis materiis, et adhuc amplius, 47.
Inter omnes formas substantiales corporum, magis appropinquat ad similitudinem Dei anima humana, 49.

Anima humana est finis corporis, sicut forma materiae et actus potentiae, 192.
Finis proximus humani corporis est anima rationalis et operationes eius, 192.
Ordo causalitatis finalis in toto corpore et in singulis eius partibus relate ad animam, 192-193.
Suprema ratio structurae et complexionis corporis organici sumitur ex eius anima, 191.
Necesse est quod corpus cui unitur anima rationalis tale sit, ut possit esse aptissimum ad repraesentandum intellectui species sensibiles, ex quibus resultent in intellectu species intelligibiles, 192.
Oportet corpus cui anima rationalis unitur esse optime dispositum ad sentiendum secundum sensus exteriores et maxime secundum interiores, 192, 193.

…of Divinity Library

Anima rationalis unitur corpori propter intelligere, quod est propria et principalis eius operatio, 192.
Ratio staturae rectae in humano corpore, 193-194.
Non est possibile quod anima hominis ingrediatur aliud corpus quam humanum, neque quod anima huius hominis ingrediatur aliud corpus quam istius hominis, 191.
Anima humana habet operationem omnino excedentem materiam neque fit per organum corporale, scilicet intelligere, 226.

Essentia animae comparatur ad potentias eius sicut principium activum et finale, et sicut principium susceptivum, 214.
Tota virtus animae perfecte consistit in parte intellectiva, in aliis autem partialiter, 46; et ideo rationalis anima dicitur *tota anima*, eo quod in ipsa omnes animae potentiae congregantur, 46.
Quantum ad virtutem eius vegetativam et sensitivam, tota anima est in toto corpore totalitate virtutis, quam totam explicat in eo, 190.
Quantum ad operationes quas exercet per organa corporalia, tota virtus et potestas eius est in toto corpore, 191.
Anima rationalis non est tota in toto corpore humano totalitate virtutis, quia non explicat in eo totam suam virtutem, scilicet virtutem intelligendi et volendi, siquidem talis virtus capacitatem corporis excedit, 190, 191.
Ex immaterialitate essentiae animae sequitur immaterialitas potentiae intellectivae eius, 125.
Ex hoc quod anima est immunis a materia secundum essentiam suam, sequitur quod habeat virtutem intellectivam, 125 n.

Appetitus

Appeti et desiderari nominat influxum causae finalis, 165.
Appetitus sensitivus est naturaliter posterior et pedissequus voluntatis, a qua natus est moveri imperio politico, 67.
Prout a voluntate motus, opus bonum morale consummare potest, 67.
Est susceptivus habitus operativi moralis prout a ratione et voluntate movetur, 68.
Est duplex: concupiscibilis et irascibilis, 67, 68.
Irascibilis est superior concupiscibili, 61, 61 n.
Concupiscibilis est subiectum *quo* temperantiae, irascibilis vero fortitudinis, 68.

Araneus

Araneus orditur telas, 4.

Arbor

Arbores ordinatae, 4.

Arithmetica

Arithmetica est de quantitate discreta sive de numeris, 198.
Definit ac demonstrat per solam causam formalem, 199.
Arithmeticae subalternatur Musica, 199, 201 n.
Adnumerabatur antiquitus inter artes liberales, 84 n.

Ars

Ars bifarie: large et presse dicta, 84-85.
Presse dicta est ars mechanica sive fabrilis, 84.
Versatur circa contingentia factibilia, quae scilicet in exteriori materia constituuntur, 84, 84 n.
Est recta ratio factibilium, 95.
Eius materia est minus contingens et mutabilis quam materia prudentiae, idest quam agibilia humana particularia et omnino concreta, 84-85, 95.
Est in ratione practica sicut in subiecto, 84.
Non est acquisibilis uno solo actu, sed pluribus repetitis, 84-85.
Est ordo quem ratio considerando facit in exterioribus rebus per eam constitutis, sicut in arca et domo, 216 n.

Forma artis in artifice est exemplar artificiati, 144.
Artifex intelligendo excogitat formam domus, 147.
Formae artis in intellectu artificis sunt sicut id *quod* intelligitur, non sicut species intelligibilis impressa *qua* intelligitur, 147.
Ex hoc quod artifex *concipit* formam artificiati, producit eam in materia, 147.
Artifex illud quod producit extra, producit ad similitudinem *conceptus* sui, 158.
Artifex artificiata producit ad imitationem formarum artis quas mente *concepit*, quae etiam artificialium exemplaria dici possunt, 158.
Artifex facit artificium ex hoc quod facit illud participare formam apud se *conceptam*, quasi involvens eam in exteriori materia, 152 n.
Ab arte artificis effluunt formae artificiales in materia, 158.
Artifex producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, 143-144.
Aedificator excogitat determinatam mensuram domus, et determinatum numerum mansionum quas vult facere in domo, et determinatum numerum mensurarum parietis vel tecti; non autem eligit determinatum numerum lapidum, sed accipit tot quot sufficiunt ad explendam tantam mensuram parietis, 241.
Humanus artifex plerumque non adinvenit proprio marte ideam vel formam exemplarem operis faciendi, sed exemplar externum respicit, 156.
Operatur per suum intellectum et voluntatem, 144.
Formae exemplares quae sunt in mente artificis creati non sunt factivae materiae, quae est individuationis principium; sed solum formae, a qua est species artificiati. Et ideo huius formae exemplares non respiciunt directe artificiatum quantum ad individuum, sed quantum ad speciem solum, 154.

of Divinity Library

Opus artificiosum imitatur solum formam exemplarem exteriorem: quod si interiorem imitetur, hoc est quantum ad accidentia quaedam externa tantum, non autem quantum ad intimam naturam, 155, 156-157 n.
Forma artis in mente aedificatoris est forma domus aedificatae principaliter, aedificationis autem per consequens, 148.
Quidquid explicite in artificiato ostenditur, hoc totum implicite in ipsa arte continetur, 190.
Opus artis non est perfectum, si artificiato aliquid deest eorum quae ars continet, 190.
Opus artificis dicitur esse verum in quantum attingit ad rationem artis, falsum vero in quantum deficit a ratione artis, 159 n.
Sicut se habet intellectus artificis ad artificiata, ita se habet intellectus divinus ad omnes creaturas, 159.
Sicut opus artis praesupponit opus naturae, ita opus naturae praesupponit opus Dei creantis, 26.
Ars *large dicta* sive liberalis: grammatica, mathematica, logica docens, 84 n; quae proprie tamen sunt scientiae, 84 n.

Astronomia

Astronomia est scientia physico-mathematica, 199; magis tamen mathematica quam physica, 199; subalternatur Geometriae, 199.

Attractio

Attractio est tractio ad se, 164 n.
Opponitur impulsioni, 164, 165.
Impulsio est motus mobilis a movente in aliud, quod ante se pellit; attractio autem est motus mobilis ad movens, quod ad se et post se trahit, 165.
Pulsio est motus ab ipso movente in aliquid aliud; sed tractus est motus alicuius alius ad ipsum movens, 164 n.
Illud trahere dicitur quod movet alterum ad seipsum; pellere autem quod movet aliud a seipso cum quadam vehementia et in quamdam distantiam, 164 n.
Finis dicitur attrahere vel allicere, provocando appetitum vel desiderium sui; agens vero dicitur impellere, pro-ducendo et minando mobile ante se in quamdam distantiam, 164 n, 165, 165 n.

B

Bonum

Bonum est quod omnia appetunt, 165.
Dicitur multipliciter, 19-22.

De fine et de mediis, 20; de diversis finibus, 20-21; de diversis mediis, 20, 21, 22; de bono honesto, delectabili et utili, 20, 21, 22, 22 n.
Non univoce dicitur de bonis, 22 n.
Utile et honestum non ex aequo se habent, 22 n.
Non dividitur in tria illa sicut univocum aequaliter de eis praedicatum, sed sicut analogum, quod praedicatur secundum prius et posterius, 22 n.
Per prius praedicatur de honesto, secundario de delectabili; et tertio de utili, 22 n.
Huiusmodi analogia est attributionis ad unum, secundum genus causae finalis, 19.
Et quidem duplici veluti passu, videlicet intra ambitum boni humani immanentis, quo bonum dicitur de bono utili et delectabili per analogiam ad bonum honestum, 22; et supra ambitum boni humani, quo bonum dicitur de omni bono tam creato quam increato, et sic dicitur bonum de diversis bonis creatis et participatis per ordinem vel analogiam ad bonum per essentiam et increatum ut ad primum et maximum bonum, quod est ultimus finis obiectivus omnium, 19-22.
Quod si bonum utile nullam habeat in se bonitatem propriam ultra meram utilitatem, sed sit pure utile, nomen boni non convenit ei nisi per solam denominationem vel analogiam extrinsecam, 20, 21, 22.

Bonum et malum sunt termini primi principii intellectus practici sive synderesos, 74.
Bonum totius est melius quam bonum partium, 219.
In omnibus perfectio totius praeeminet perfectioni singularum partium, 219.
Bonum commune est melius quam bonum particulare, 219.
Bonum gentis est divinius quam bonum unius, 219.
Bonum morale —humanum, rationis— dicitur analogice de bono ipsius rationis, de bono voluntatis et de bono appetitus sensitivi, atque ideo de bono virtutum cardinalium, 91-93.

Bonum universi duplex: immanens, in ipso universo sive in rebus ipsis universum constituentibus; et transcendens universum, sive separatum, nempe Deus, 217, 218 n.
Est bonum ordinis, quia consistit in ordine, 218.
Et quidem duplici: in ordine partium universi ad invicem; et in ordine totius universi ad finem, qui est ipse Deus, 218.
Ordo iste ad finem est praecipuus, et propter ipsum est ordo vel coordinatio partium inter se, 218.
Utrumque bonum est commune: Deus quidem, quatenus principium et finis omnium creaturarum ordinisque ipsarum inter se, est bonum commune transcendens; ipse autem ordo sive coordinatio creaturarum inter se, est bonum commune immanens, 219.

Optimum in rerum universitate est bonum ordinis, 219.
Optimum in omnibus entibus causatis est ordo universi, in quo bonum universi consistit, 219.
Optimum in rebus creatis est perfectio universi, quae consistit in ordine distinctarum rerum, 219, 220.
Bonum universi est a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur omnes partes universi, 237.

Quidquid fit in mundo, etiamsi malum sit, cedit in bonum universi, 236.
Post bonitatem divinam, quae est finis a rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi, quae in eius ordine consistit, 219.
Summa perfectio primi agentis in hoc consistit, quod in uno simplici habet omnimodam bonitatem et perfectionem, 49.

C

Caritas

Caritas est quaedam amicitia hominis ad Deum, per quam homo diligit Deum et Deus hominem, 120.
Est amor benevolentiae mutuus inter hominem iustum et Deum, fundatus in communicatione vitae divinae ac supernaturalis bonorumque ei correspondentium, quae maxime consistit in communicatione beatitudinis in re vel in causa, idest gloriae vel gratiae, 129.
Analogiam quamdam proportionalitatis propriae habet cum amicitia honesti naturali inter homines virtuosos, 120, 129.
Est exemplata ab ipsa caritate divina sive increata, 161; quae appropriatur Spiritui Sancto, 162.
Bonitati, quae appropriatur Spiritui Sancto, respondet caritas, 162.
Caritas exemplariter manat ab amore, qui est Spiritus Sanctus, 161.
Ponitur in definitione omnis virtutis, non quia sit essentialiter omnis virtus, sed quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes, 134.
Ponitur in definitione virtutis meritoriae, 133, 134 n.
Meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a caritate imperantur et informantur, 133.
Omnes virtutes habent et participant efficaciam merendi a caritate, 133.
Vis merendi pertinet ad caritatem per essentiam, ceteris autem virtutibus per participationem, 133.
Valor meritorius descendit a caritate ad ceteras virtutes ab ea motas et informatas secundum prius et posterius, 134.
Parvum opus ex magna caritate factum est magis meritorium quam magnum ex parva, 134.
Semper quantitas meriti attenditur secundum radicem caritatis, 134-135.

Caritas dicitur esse *forma aliarum virtutum*, non quidem exemplariter neque essentialiter, sed magis effective et finaliter, 94.
Non tamen forma propria et specifica qua unaquaeque virtus est talis virtus, sed forma quaedam communis qua omnis virtus a caritate formata est meritoria vitae aeternae, 93 n.
Neque per modum originis vel radicis et quoad ipsos habitus immediate sicut gratia habitualis, sed per modum termini et quoad earum actus directe et immediate, 125, 126.
Caritas est forma virtutum ex parte actus, in quantum format operationes earum, 126.

Dicitur forma virtutum, in quantum formaliter complet earum actus, praebens eis efficaciam merendi, 126 n.

Caritas ex sua specie hoc habet in quolibet statu, quod cuilibet tentationi resistere possit, ita scilicet quod in peccatum mortale per eam non inducatur, 117.

Minima caritas plus diligit Deum quam cupiditas millia auri et argenti, 117.

Oportet quod naturalis inclinatio voluntatis obsequatur caritati, 107.

Causa

Causa est ad quam de necessitate sequitur aliud, 166.

Quaelibet causa habet rationem principii, 1, 9, 220.

Nomen causae ordinem quemdam importat, 19, 187.

A qualibet causa derivatur aliquis ordo in suos effectus, 19, 19 n.

Causarum sunt quatuor genera, scilicet finalis, efficiens, formalis et materialis, 19.

Duae sunt intrinsecae, formalis nempe et materialis; duae vero extrinsecae, videlicet finalis et efficiens, 165-167, 169.

Intrinsecae sunt causae τοῦ *esse* effectus, extrinsecae autem sunt causae τοῦ *fieri* eiusdem, 164, 164 n, 169.

Illae causant *esse* effectus entitate sua, in eumque influunt *essendo;* hae autem causant *fieri* effectus, in eumque influunt *movendo*, 164, 164 n, 165, 169.

Sed et in ipsa ratione *movendi* aliter se gerit agens et aliter finis, 164.

Finis movet alliciendo et attrahendo, et ideo se habet ut terminus *ad quem* est motus mobilis ab eo causatus; at vero agens movet impellendo, ac proin se habet ad motum mobilis ut terminus *a quo*, 164.

Causa efficiens impellit *ante se;* finalis autem allicit vel attrahit *post se*, 165.

Res effecta *exit* ab agente et *ante* eum *pro*-ducitur; res vero attracta *venit* ad finem atque sponte *vadit post* ipsum, idest *petit ad* ipsum-ap-petit-in re consequendum, 165.

Ac similiter in ipsa ratione *essendi* aliter se habet causa materialis et aliter causa formalis, 165.

Causa materialis causat ut *est*, quia causat *entitate* sua, 165.

Causat nempe *ut potentia passiva* sive receptiva actus essendi, scilicet ut recipiens actum essendi, 165.

Causa etiam formalis causat ut *est*, nimirum entitate sua, 165; sed causat ut actus entitativus materiae communicatus, sive ut ei dans actum essendi, 165.

Causalitas causae materialis et causalitas causae formalis se habent ad invicem ut materia et forma sive ut potentia et actus, 165.

Notio communis causae non est univoca in quatuor generibus causarum, sed analoga, 164-167.

Et quidem duplici modo analogiae, scilicet attributionis intrinsecae, 167-173, et proportionalitatis propriae, 173-185.

Sunt praeterea ordinata, et dicuntur secundum prius et posterius, idest analogice analogia attributionis intrinsecae ad unum primum et maximum, quod est genus causae finalis, 170, 171.

In causis talis est ordo, quod materia completur per formam, et forma per efficientem, et efficiens per finem, 170.

Prima inter omnes causas est causa finalis, 170 n:

quae *primo* habet rationem causae;

cui *primo* competit ratio causandi;

quae inter alias causas *primatum* obtinet;

quae *potissima* est inter alias causas, 171.

Primatus quidem absolutus, idest essentialis et universalis sive intensivus et extensivus, 171. Vide *Finis*.

Causae ad invicem ordinem habent, nam ex una sumitur ratio alterius, 172.

Causarum duae series vel combinationes: respectu τοῦ fieri —efficiens et finalis— et respectu τοῦ esse —materialis et formalis—, 173.

Utrobique causae ad invicem sunt causae in diverso genere, 172, 173.

Ambae series sunt proportionales sive analogae analogia proportionalitatis propriae, 173, 177.

Causae materialis et formalis sunt ad invicem causae in diverso genere et pro suo quaeque modo, 175-176.

Materia est causa formae, in quantum forma non est nisi in materia; et similiter forma est causa materiae, in quantum materia non habet esse in actu nisi per formam, 175.

Secundum genus causae materialis materia est causa formae quasi sustentans ipsam; et forma est causa materiae quasi faciens eam esse actu secundum genus causae formalis, 175.

Forma est causa materiae, in quantum dat esse actu; materiae vero est causa formae, in quantum sustentat ipsam, 175.

Forma perficit materiam, et materia sustinet formam, 175.

Forma, in quantum perficit materiam dando ei esse, quodammodo supra ipsam effunditur; materia autem, in quantum perficitur a forma recipiendo ab ea esse in actu, quodammodo colligitur et congregatur sub ipsa, 175.

Forma quodammodo finitur per materiam et materia per formam: et quidem materia perficitur per formam per quam finitur, non autem forma per materiam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur, 175, 176.

Materia prima habet rationem primae potentiae passivae in ordine essendi; forma vero substantialis habet rationem actus primi in eodem ordine, 177.

Forma et materia semper oportet esse ad invicem proportionata et quasi naturaliter coaptata, 176.

Formas oportet esse propriis materiis proportionatas, 176.

Talis est materia qualis est forma, 176.

Causae efficiens et finalis sunt ad invicem causae in diverso genere et pro suo quaeque modo, 169-170.

Finis est causa ipsius causalitatis causae efficientis, non autem entitatis eius; efficiens vero est causa entitatis finis, non autem causalitatis eius, 170, 212.

Finis est causa causalitatis efficientis secundum quod est in intentione; efficiens vero est causa entitatis finis secundum quod est in executione, 169.
Finis movet agentem per modum attractionis et obiecti desiderati sive quoad specificationem motus; agens autem movet ad rem quae est finis de facto assequendam per modum impulsus sive subiecti impellentis et quoad exercitium motus, 164-165, 169.
Finis movet *ut ratio* agendi vel movendi; agens vero movet *ut motus* et excitatus a praedicta ratione, 169.
Finis ut finis movet *ut quo;* agens vero ut agens movet *ut qui*, 169.
Finis movet agentem, sed non movetur ab agente: et ideo causa efficiens se habet ad causam finalem ut movens mota, finalis vero ad efficientem ut movens immota, 169.
Movere, sicut facere, influere et diffundere, dicitur *proprie* de actione vel impulsione causae efficientis; et nonnisi per *extensionem* quamdam vel similitudinem analogicam dicitur de allectatione vel attractione causae finalis, 164-165, 164 n, 165 n.
Sicut influere causae efficientis est agere, ita influere causae finalis est appeti et desiderari, 164-165.
Causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia desiderantur, 165.
Finis semper in se bonitatem habet, atque ideo semper est per se appetibilis, 20.
Multiplex est: alius nempe finis simpliciter ultimus, alius intermedius et alius proximus sive immediatus, 19-22.
Multipliciter dicitur: videlicet *res* quae est finis, quaeque etiam dicitur finis obiectivus, materialis, *cuius gratia* et *qui;* et *adeptio sive possessio eius*, quae etiam nominari consuevit finis subiectivus, formalis et *quo*, 20-22.
Ratio finis per prius convenit *rei* quae est finis sive fini *cuius gratia*, et nonnisi per posterius *possessioni* eius sive fini *quo*, 20.
Finis *quo* se habet ad finem *qui* sicut finis sub fine, 20.
Per prius etiam ratio finis tam obiectivi quam formalis convenit fini simpliciter, et nonnisi per posterius, et quidem ordine quodam, finibus intermediis et finibus immediatis, 19-22.
Finis obiectivus simpliciter ultimus est finis purus sive non finitus alio ulteriori fine, ceteri vero fines sunt fines non puri, sed finiti alio fine ulteriori, 20-21.
Causa efficiens causat movendo quoad exercitium actus, 164-165, 169.
Movet agendo, impellendo, producendo, 164, 165.
Multiplex est et multipliciter dicitur, 23-27.
Alia prima, incausata, per essentiam; alia secunda, causata, per participationem, 23.
Causa causata alia per se, et alia per accidens, 23.
Causa per se alia principalis, alia instrumentalis, 23.
Principalis alia propria et proxima, alia communis et remota, 23.
Propria et immediata alia totalis vel adaequata, alia partialis vel inadaequata, 23.
Instrumentalis vero alia perfectiva, alia mere dispositiva, 23.
Perfectiva autem alia coniuncta, alia separata, 23.

Causa prima est causa pura, secunda vero est causa causata, 24.
Causa prima causat per creationem nullo praesupposito, secunda autem causat per informationem vel transformationem praesupposito altero, 25.

of Divinity Library

Effectus causae primae est effectus purus et per essentiam, effectus vero causae secundae est effectus per participationem et non purus, 26.
Causa prima est causa causae secundae, 23, 23 n, 25.
Causa secunda non agit nisi virtute causae primae, 23 n.
Causa prima vehementius influit quam causa secunda tam extensive quam intensive, quia ad plura se extendit et efficacius operatur in unumquodque, 23 n.
Plus influit causa universalis in suos effectus quam particularis in suos, 158.
Causa prima est immediatissima omnibus tam immediatione virtutis quam immediatione suppositi; secunda vero est semper mediata mediatione virtutis, et solum potest esse immediata immediatione suppositi quando est et dicitur immediata, 25.
Quanto agens est magis proximum et immediatum, tanto virtus eius est magis mediata, 25.
Semper causa superior se habet ut formalis respectu inferioris, 173.

Inter omnes istas causas et modos causae efficientis datur ordo et analogia attributionis per respectum ad unam primam et maximam, quae est causa incausata sive per essentiam, 24.
Et quidem secundum prius et posterius: quia videlicet, sub causa prima, ratio causae convenit per prius causae per se principali et totali; deinde, causae principali partiali sive incompletae; tertio, causae instrumentali coniunctae; quarto, causae instrumetali separatae perfectivae; quinto, causae instrumentali separatae mere dispositivae; sexto et ultimo, causae per accidens, 24-25.
Haec autem analogia est attributionis intrinsecae; nisi de causis mere per accidens et pure occasionalibus, de quibus solum dicitur nomen causae per meram denominationem vel attributionem extrinsecam, 26, 27.

Semper in causa est aliquid nobilius quam in causato, 208.
Semper oportet quod causa potior sit effectu, 106, 208.
Nobilior est ordo causarum quam effectuum, 230.
Nihil agit ultra suam virtutem, 208.
Effectus non potest extendi ultra suam causam, 208.
Nulla res potest agere ultra suam speciem, 208.

Propria causa et proprii effectus debent sibi mutuo proportionales esse, 81.
Oportet effectus proportionales esse causis, 238.
Effectus suis causis proportionaliter respondent, 238.
Ex causa contingenti non sequitur effectus necessarius, neque ex causa necessaria effectus contingens, 81.
Id quod est optimum in rebus causatis reducitur ut in propriam causam in id quod est optimum in causis, 238.
Eadem est proportio causae particularis ad suos particulares effectus et causae universalis ad suos, 158.

Causa efficiens et causa finalis sunt ad invicem proportionales analogia proportionalitatis propriae, 181-185.
Secundum ordinem agentium est ordo finium, 182, 183, 184.
Ad ordinem agentium sequitur ordo in finibus, 183.
Ordo finium est sicut ordo agentium, 183.

Sicut est ordo in causis agentibus ita etiam in causis finalibus, ut scilicet secundarius finis a principali dependeat sicut secundarius agens a principali dependet, 183.

Ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum sicut se habet in aliis motionibus primum movens, 182.

Sicut in causis efficientibus virtus primae causae manet in omnibus causis sequentibus, ita et intentio principalis finis manet in omnibus finibus secundariis, 182.

Primo agenti respondet finis ultimus, et proportionaliter per ordinem alii fines aliis agentibus, 183.

Necesse est quod ad finem ultimum convertatur homo per motionem primi moventis, ad finem autem proximum per motionem alicuius inferiorum moventium, 184.

Sicut ad finem naturalem consequendum requiruntur et sufficiunt vires naturales agentis, ita ad finem supernaturalem merendum atque attingendum postulantur vires supernaturales gratiae, quia mere naturales non sufficiunt, 183-185.

Quanto aliquod agens est superius et universalius, tanto et finis propter quem agit est universalius bonum, 183.

Causa formalis multipliciter dicitur, 36-38.

Intrinseca et extrinseca sive exemplaris, 36; quae reductive dicitur formalis, et per analogiam attributionis ad causam formalem presse dictam, 36.

Causa formalis largius sumpta nominat formam vel actum substantialem, etiam separatum et per se subsistentem, prout communiter omnes substantias a materia separatas dicimus formas, 47.

In causis formalibus prius et posterius invenitur, idest analogia, 44.

In genere et ordine causae formalis tanto aliquid est prius quanto perfectius, 41.

In genere causae formalis perfectum naturaliter est prius imperfecto, 41 n.

In causis formalibus invenitur analogia attributionis intrinsecae, quia forma nobilior est totum quoddam potentiale quod eminenter et unite continet in se quidquid perfectionis reperitus dispersum in formis inferioribus, 45-46.

Tres causae possunt incidere in unum, scilicet forma, finis et efficiens, 222.

Et quidem finis cum forma in idem numero, sed forma et efficiens in unum specie tantum, 223.

Idem numero quod est forma generati, est finis generationis, 223.

In quolibet genere causae causa est naturaliter prior causato, 171.

Cerebrum

Homo habet maius cerebrum inter omnia animalia secundum proportionem suae quantitatis, 193.

Bona dispositio cerebri est necessaria ad bonam habitudinem potentiarum sensitivarum interiorum, 193.

School of Divinity Library

Character

Character sacramentalis est effectus secundarius trium sacramentorum Novae Legis, nempe baptismi, confirmationis et ordinis, 135-136.

Est indelebilis, 135.

Re et essentia differt non solum a gratia habituali et a virtutibus infusis ex ea consequentibus, sed etiam a gratia sacramentali, quae est effectus primarius sacramentorum Novae Legis, 136.

Differunt realiter et essentialiter inter se sicut sacramenta a quibus causantur, 136.

Est spirituale signaculum animae indelebiliter impressum a tribus praedictis sacramentis, 136.

Reducitur ad secundam speciem vel modum qualitatis, scilicet ad potentiam, 136, 136 n; et quidem reductione impropria, 136-137.

Et sic est spiritualis quaedam potestas ordinata ad recipienda vel tradenda ea quae sunt divini cultus secundum ritum christianae religionis, 136.

Per characterem sacramentalem configuramur Deo, quasi signaculum eius recipientes, 137.

Quae quidem configuratio reducitur ad imaginem Dei, 137; quia character respicit imaginem, 137.

Non imprimitur neque recipitur in ipsa essentia animae, cum character sit inmediate operativus, non autem essentia animae, sed in potentia spirituali eius in qua est imago Dei, scilicet in potentia intellectiva, 137-138: siquidem tota imago est in intellectuali parte sicut in radice, 137.

Est in eadem potentia in qua est fides, scilicet in intellectu, quia character ordinatur ad cultum divinum qui est quaedam fidei protestatio per exteriora signa, 137.

Analogia proportionalitatis propriae inter characteres sacramentales et humanum intellectum agentem et possibilem, 138.

Per characterem baptismi accipit homo potestatem *recipiendi* cetera sacramenta, 138.

Per characterem vero confirmationis potestatem accipit *profitendi ac defendendi fidem* quasi ex officio contra eam negantes et impugnantes, 138-139.

Per sacramentum ordinis accipit homo potestatem *conficiendi* sacramentum corporis Christi, 138, 139 n, 140.

Analogia attributionis intrinsecae inter ipsos characteres sacramentales, 139-141.

Inter characterem baptismi ex una parte et characteres confirmationis et ordinis ex alia, sicut inter potentiam passivam et activam, 139.

Inter characterem confirmationis et characterem ordinis, 140.

Inter ipsos characteres ordinum diaconatus, presbyteratus et episcopatus eos imprimentium, 139-140; per respectum ad characterem episcopalem qui maxime competit Romano Pontifici qua Christi Vicario, veluti ad supremum analogans, 140, 141.

Christus

Homo dicitur univoce de Christo et de aliis hominibus, 218.

Christus ut homo sive humanitas Christi est pars quaedam universi, 218.

Minima actio Christi hominis plus valet quam totum bonum naturae humanae, 230.
Ex plenitudine gratiae Christi omnes nos accepimus, 166.
Christus est exemplar imitandum ab omnibus christianis, 155.
Praedestinatio Christi est exemplar praedestinationis nostrae, tum quoad bonum ad quod praedestinamur, tum quoad modum illud consequendi, 155-156.
Resurrectio nostra debet conformari resurrectioni Christi, et corpus humilitatis nostrae configurari corpori claritatis eius, 155.
Alia est exemplaritas et alia efficientia resurrectionis Christi respectu ceterorum hominum: quia eius efficientia se extendit ad omnes omnino tam bonos quam malos, exemplaritas autem eius se extendit solum ad bonos, quia soli boni facti sunt conformes filiationis ipsius, 155.

Cogitativa

Cogitativa dicitur ratio particularis, et est collativa intentionum particularium sive plurium singularium expertorum et in memoria receptorum, 66 n.
Est subiectum secundarium sive adnexum prudentiae, 67, 82-83, 86.

Cognitio

Omnis cognitio vere scientifica, puta definitio vel demonstratio, fit secundum causas, vel ex causis prius cognitis, 172.
Unumquodque cognoscibile est secundum quod est in actu et non secundum quod est in potentia, 168, 168 n.
Ille qui perfecte cognoscit res aliquas, potest usque ad minima et actus et virtutes et naturas earum distinguere; qui autem eas cognoscit imperfecte, non potest distinguere nisi in universali: quae quidem distinctio fit per pauciora, 221.

Compositio

Com-positio nominat positionem ordinatam duorum vel plurium in loco, 5.
Com-positio et dis-positio, 5.

Collocatio

Con-locatio est ordinatio duorum vel plurium in loco, sive ordinata locatio, 5-6.
Collocationis est componere et struere, 6.
Eadem vis est ordinis localis et collocationis, 6.

Consuetudo

Consuetudo importat frequentiam quamdam circa ea quae facere vel non facere in nobis est, 68, 85.
Consuetudo quodammodo vertitur in naturam, 69, 84, 85, 86.
Facit inclinationem similem naturali, 69, 86.
Est quasi secunda quaedam natura, 69, 84.
Virtus consuetudinalis vel moralis, 68, 69.
Habitus consuetudinalis nihil est aliud quam habitudo acquisita per consuetudinem, quae est in modum naturae, 86.

Contrarietas

Contrarietas est differentia secundum formam, 41.
Prima contrarietas est privatio et habitus, 41
In contrariis semper unum est nobilius et aliud vilius, 41.
Contraria nata sunt fieri circa idem subiectum, 105.
Contraria maxime distant in eodem genere et ab eodem subiecto se mutuo expellunt, 106-107 n.

Corpus

Corpus duplex: physicum sive naturale et mathematicum, 197.
Alia sunt attributa vel proprietates corporis physici et alia corporis mathematici, 196-197.
Corpus naturale non est augmentabile neque divisibile in infinitum: secus autem corpus mathematicum, 197.

Corpus *mathematicum* est pura et sola quantitas, 197.
Non quidem quantitas physica sive ut accidens primum substantiae corporeae, sed quantitas mathematica sive ut pure mensurabilis vel numerabilis secundum rationes et proportiones a ratione adinventas, 196-197.
Determinare de *dimensionibus* corporum *in quantum huiusmodi*, per se pertinet ad Mathematicam, 197 n.
Omnes species quantitatis qua tales sunt mathematica quaedam, 197 n.
Vide *Quantitas*.

Corpus *naturale* est obiectum Medicinae, non ut naturale sed ut sanabile; et quidem non ut sanabile a natura, sed ut sanabile ab arte, 201 n.
Corpus est propter animam et non anima propter corpus, 191, 192.
Finis proximus corporis humani est anima rationalis et operationes eius, 193.
Deus instituit corpus humanum in optima dispositone secundum convenientiam ad talem formam et ad tales operationes, 193.
Cur corpus humanum staturam rectam habet, 193-194.
Corpus belluinum, etiam perfectissimi animalis, non potest recipere animam humanam neque ab ea informari, 191.

School of Divinity Library

Corruptibile

Corruptibile et incorruptibile differunt genere, 45 n.

Creatio, Creator, Creatura

Creatio et simplex productio quo differant, 212.
Omnis res creata est composita ex potentia et actu, 30-31, 31 n.
In omni re creata ipsa simplex essentia se habet sicut materiale, esse autem in ea receptum et participatum se habet ut formale, 180.
Creator et creatura reducuntur in unum, non communitate univocationis sed analogiae, 34; non quidem quasi duorum ad unum tertium utroque prius ac superius, sed unius ad unum, scilicet creaturae ad creatorem, 34.
Creatura non habet esse nisi secundum quod a Primo ente descendit, nec nominatur ens nisi in quantum ens Primum imitatur, 35.

D

Definitio

Definitiones sumuntur ex causis rei definiendae, 172, 188 n.
Contingit diversas definitiones unius rei dari secundum diversas eius causas, 172.
Definitio ex sola causa materiali est imperfecta; ex causa materiali et formali, perfectior; ex omnibus causis simul, perfectissima, 188.
Definitio quae diceret esse rei secundum comparationem ad omnes causas ipsius proprias, esset perfectissima et una tantum, 188-189.
Definitio colligens finem et formam et materiam, comprehendit totum processum generationis naturalis, 189.
Perfecta ratio vel definitio uniuscuiusque rei colligitur ex omnibus causis eius, 200.
Definitio intrinseca et essentialis sumitur ex genere proximo et ultima differentia rei definiendae, 200.

Sicut demonstrationes sunt ex causis, ita et definitiones, 188 n.
Una definitio potest demonstrari per aliam, 172-173; et sic definitio ex causa efficienti demonstrari potest per definitionem ex causa finali; et definitio ex causa materiali per definitionem ex causa formali, 173.
Definitio quae sumitur ex causa formali est causa definitionis quae sumitur ex causa materiali eiusdem rei, 172; et definitio quae a fine sumitur est quodammodo causa definitionis quae sumitur ex causa agente, 172.
Definitio quae sumitur ex fine est principum demonstrationis definitionis quae sumitur ex agente, 173.
Quia finis est causa causarum, definitio quae sumitur ex fine est ratio et causa probativa aliarum definitionum quae sumuntur ex aliis causis, 172.

of Divinity Library

Demonstratio

Demonstrationes fiunt secundum causas rei demonstrandae, 188 n.
Demonstratio presse dicta est ex necessariis et de necessariis quae non possunt aliter se haberi, 81.
Est causa conclusionis, 82, 98.
Plene convincit intellectum, eumque necessario determinat et trahit ad assentiendum conclusioni, 81-82.
Unius conclusionis non potest esse nisi una demonstratio *propter quid*, 81.
In illis in quibus agitur propter finem, sicut in naturalibus, in moralibus et in artificialibus, potissimae demonstrationes sumuntur ex fine, 172.

Denominatio

Denominatio fit a forma, quae dat speciem rei, 222 n.

Dentes

Dentes ordinati, 4, 11.
Naturales, artificiales, similitudinarii, 4.

Desiderari

Desiderari et appeti nominant influxum causae finalis, 165.

Deus

Deus est actus tantum, 31 n.
Deus est actus purus, 30.
Deus est ipsa sua potentia activa sive actus per essentiam, 30.
Solus Deus est actus purus et Ipsum suum esse; cetera vero praeter Deum sunt composita reali compositone ex actu et potentia in ordine essendi, scilicet ex esse et essentia, 178-180.
In solo Deo est idem esse, posse et agere; in ceteris autem praeter ipsum tria haec realiter differunt, 181 n.
Deus dicitur spiritus, 54; peculiariter tertia persona Trinitatis, 54.

Deus non intrat essentiam rerum creatarum, 209, 210.
Deus non est aliqua pars universi, sed supra totum universum, praehabens in se eminentiori modo totam universi perfectionem, 218.
Deus est extra ordinem totius creaturae, 218.

Deus est bonum commune totius universi et partium eius, cum ex eo universorum bonum dependeat, 219 n.

Deus est alpha et omega, principium et finis omnium, 211.
Est causa efficiens prima et causa finalis ultima omnium rerum quae praeter ipsum sunt, 212.
Bonitas Dei est veluti ratio motiva creationis rerum, in quas copiosisssime ac diversimode diffunditur, 212.
Amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus, 212.
Ipse Deus primo movet omnia per modum finis, 212.

Deus est primum exemplar sive causa exemplaris omnium rerum, 151, 153 n.
Ipse Deus vel ipsa divina essentia est idea sive forma exemplaris omnium et singularum rerum creatarum tam naturalium quam supernaturalium, 152.
Non tamen absolute vel secundum se sumpta, sed ut intellecta, 151.
Et quidem intellecta, non mere secundum quod est in seipsa, sed prout imitabilis et participabilis a creaturis pro suo quoquo modo, 151.
Essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia sed ut intellecta; et intellecta rursus, non ut essentia absolute et in se, sed ut diversimode participabilis et imitabilis a creaturis, 152.
Idea divina non nominat divinam essentiam in quantum est essentia, sed essentiam ut imitabilem, idest in quantum est similitudo vel ratio huius vel illius rei, 152.

Divina tamen exemplaritas *appropriatur Filio* utpote *Verbo* Patris, 152: et ideo ipse est primordiale exemplar quod omnes creaturae imitantur tamquam veram et perfectam imaginem Patris, 152.
Speciali tamen modo est exemplar spiritualium gratiarum, quibus spirituales creaturae illustrantur, 152.
In Verbo Dei omnia sunt condita sicut in quodam exemplari, 152 n.
Deus nihil facit nisi per conceptum sui intellectus, scilicet Dei Verbum et Dei Filium, 152.
Deus uno actu et se et omnia intelligit unico Verbo, quod est Filius eius, 152.

Divina essentia, qua intellecta ab ipso Deo secundum totam suam virtualitatem et imitabilitatem a creaturis, est exemplar archetypum omnium rerum tam ordinis naturae quam gratiae, 159.
Deus est exemplar archetypum omnium rerum creatarum tam naturalium quam supernaturalium *secundum essentiam suam proprie loquendo, et non secundum personas*, 162.
Per quamdam tamen *appropriationem*, ob specialem similitudinem cum propriis personarum, divinae personae dici possunt exemplaria rerum praesertim supernaturalium, in quantum ipsae divinae personae quadam sigillatione sui in animabus nostris relinquunt quaedam dona supernaturalia, 162.
Et sic imago recreationis consistit in gratia et virtutibus theologicis, 162.
Gratia enim, quae una est et praebet animae esse quoddam divinum, exemplatur ab essentia vel natura Dei, quae una sola est, 162.

of Divinity Library

Tres vero theologales virtutes exemplantur a tribus divinis personis, caritas nempe a Spiritu Sancto, fides a Filio, et spes a Patre, in quantum motivum formale spei est divina omnipotentia auxilans, quae Patri appropriatur, 162.

Exemplar rerum est in Deo dupliciter: formaliter, quantum ad id quod est in intellectu suo; et fundamentaliter, quantum ad id quod est in natura sua, 159-160.
Ipse est forma exemplaris rerum non tantum quantum ad ea quae sunt in sapientia sua, sed etiam quantum ad ea quae sunt in natura sua, scilicet attributa, 160.

In mente divina sunt omnium creaturarum formae exemplares, quae ideae dicuntur, 158.
Deus non indiget inspicere ad aliquod exemplar extra se, sed intra seipsum habet nativum atque primigenium exemplar omnium, 156.
Divina bonitas est forma exemplaris omnis bonitatis, et divina sapientia omnis sapientiae, 157.
Esse divinum est exemplar omnis esse creati, 160.
Bonitas divina, omnis bonitatis creatae; divina pulchritudo, omnis pulchritudinis creatae; sapientia divina, omnis sapientiae creatae; veritas divina, omnis creatae veritatis, 160-161.

Et similiter quantum ad res ordinis supernaturalis, Deus est exemplar archetypum totius vitae supernaturalis tam individualis quam socialis, quod omnes imitari debent, 161, 162-163.
Divina natura est exemplar gratiae habitualis; divina veritas vel cognitio, fidei theologicae; divina bonitas sive caritas Dei, nostrae caritatis, 161.
Deus dicitur vita animae sicut principium exemplariter influens vitam gratiae ipsi, 161.
Caritas exemplariter manat ab amore qui est Spiritus Sanctus, et est participatio quaedam divinae caritatis, 161.
Fides est quaedam participatio et assimilatio ad cognitionem divinam, 161.
Oportet quod exemplar humanae virtutis in Deo praeexistat, et secundum hoc dicuntur virtutes exemplares, 162.
Humanum regimen debet imitari regimen divinum a quo derivatur, 162-163.
Rex debet esse in regno sicut Deus in mundo, 163.

Deus comparatur ad creaturas sicut artifex ad opus suum, 159.
Omnia naturalia comparantur ad intellectum divinum sicut artificiata ad artem, 159 n.
Quaelibet res naturalis dicitur esse vera secundum quod habet propriam formam, secundum quam imitatur artem divinam, 159 n.
Deus omnia in numero, pondere et mensura disposuit, 239.
Omnia in sapientia fecit, 240.
Quae a Deo sunt, ordinata sunt, quia Deus omnia fecit per suam sapientiam, 240.

Ipse Deus est primum exemplar omnium, 153.
Creaturae vero superiores sunt exemplaria secundaria respectu inferiorum, 153.

Deus et creaturae superiores non sunt exemplaria univoca sed analoga tantum, et quidem analogia attributionis intrinsecae, 153.
Exemplaritas Dei est universalis intensive et extensive, idest ad omnes creaturas et ad omnia uniuscuiusque; secus autem exemplaritas creata, quia neque ad omnes creaturas porrigitur, neque ad omnia uniuscuiusque, 154.
Formae exemplares intellectus divini sunt factivae totius rei, et quantum ad formam, et quantum ad materiam; et ideo respiciunt creaturam non solum quantum ad naturam speciei, sed etiam quantum ad singularitatem individui, 154.

Deus non est nobis per se notus neque primo cognitus cognitione naturali, sed ultimo cognitus ex creaturis sicut causa prima ex effectibus, 211.
Deus non est obiectum directum Metaphysicae, sed indirectum tantum et in obliquo, nempe ut causa proprii obiecti eius directi, quod est ens creatum commune decem praedicamentis et compositum ex potentia et actu sive ex essentia et esse, 210.
In rebus divinis perscrutandis et pertractandis est omnino imaginatio relinquenda, 55.
Divina non sunt trahenda ad humana et ad modum humanum, sed potius humana ad divina et ad modum divinum, 107-108, 108 n.
Deus impossibilia non iubet, 118.
Divinitas significatur in Deo ut se habens ad Deum per modum causae formalis, 207.

Differentia

Differentia specifica praedicatur in *quale quid*, 53.
Differientiae eo sunt magis distantes et inaequales quo dividunt genus prius et universalius, 45.

Diffundere

Nominat proprie operationem causae efficientis, sed per quamdam extensionem nominare potest operationem cuiuscumque causae, 164 n.

Discursus

Discursus duplex: proprie dictus sive secundum causalitatem, et improprie dictus sive secundum meram successionem, 110, 110 n.

Dispositio

Dispositio bifarie sumitur: quantitativa, scilicet ordo sive positio ordinata (dis-positio) corporum in loco, 5 — positio enim non addit supra ubi nisi ordinem partium determinatum in loco, 6—; et qualitativa, quae condistinguitur ab habitu, ad quem se habet ut inchoatio ad consummationem sive ut imperfectum ad perfectum in prima specie vel modo qualitatis, 50.

Doctor

Doctor debet abundare exemplis et cognitione effectum, per quos oportet interdum manifestare causas, 83.

Dona Spiritus Sancti

Dona Spiritus Sancti intellectualia sunt essentialiter iudicativa, 109-110.
Non tamen illativa vel discursiva discursu presse dicto, scilicet secundum causalitatem, sed solo discursu secundum meram successionem, ut accidit in cognitione angelorum, in cognitione primorum principiorum speculativorum et practicorum, et in cognitione fidei, 110.
Et hoc iudicium est per connaturalitatem vel sympathiam, et non per studium vel proprium conatum, 110.
Ad simplicitatem fidei quodammodo accedunt, 110.

E

Efficiens

Causa efficiens est ratio formae, quia omne agens agit sibi simile, 172.
Secundum modum agentis debet esse modus formae quae ex actione consequitur, 172. Vide *Causa*.

Effusio

Forma, in quantum perficit materiam dando ei esse, quodammodo supra ipsam effunditur, 175.

Electio

Electio importat discretionem et desiderium, 61.
Discretio rationi debetur, desiderium voluntati, 62 n.
Eligere est alterum alteri praeoptare, 61.

Emanatio

Utimur nomine processionis ubi est aliqua *emanatio* alicuius ab aliquo, sicut dicimus quod radius procedit a sole, 10.

Emanatio vel dimanatio reducitur ad causalitatem efficientem, 208.
Potentiae animae naturaliter et ordinate fluunt sive emanant ab eius essentia, 60-61.
Productio universalis entis a Deo per creationem non est motus nec mutatio, sed quaedam simplex emanatio, 13 n.

Ens

Ens est quod primo concipit intellectus quasi notissimum et in quod resolvit omnes conceptiones suas, 74, 74 n.
Est proprium obiectum intellectus, ideoque primum intelligibile, 76, 76 n.
Ens et non-ens sunt termini primi principii, scilicet contradictionis, 74, 74 n.
Ens et non-ens est sensibile per accidens et intelligibile per se, 74.
Quod est ens et non-ens, neque est ens neque non-ens, 75.
Esse tollit non-esse, et non-esse tollit esse, 75.
Sicut ens est primum quod cadit in apprehensione intellectus simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione intellectus practici, 74.

Ens duplex: aliud reale sive extra animam, aliud rationis sive in anima, 205-206; ens naturae et ens rationis, 199.
Ens *reale* sive prout est in rerum natura significat *essentiam* rei extra animam existentis, 206.
Importat *rem*, idest essentiam rei, 206.
Convertitur cum *re*, 206.
Non est genus neque univoce dictum, 32, 166.
Sed analogum sive multipliciter dictum, 29, 166.
Significat essentiam rei et dividitur analogice in substantiam et accidens, sive in decem genera vel praedicamenta, 29, 32, 206.
Ens ut res sive ut essentia commune decem praedicamentis non est esse existentiae eius, sed ab eo realiter distinctum, 206.
Ens divisum in decem praedicamenta, eaque transcendens, non est ens increatum, neque ens commune analogum Deo et creaturis, sed ens creatum tantum, 210, 210 n.
Ens reale ut res sive ut essentia est ens transcendens praedicamenta, in quae tamen dividitur sicut analogum in analogata; et est obiectum directum Metaphysicae, quae ob id nomen accipit Ontologiae, 205, 206, 207, 210.
Ens reale est obiectum scientiarum realium, quae de primo intellectis occupantur: ut mobile quidem est obiectum Physicae sive philosophiae Naturalis; ut ens autem transcendens praedicamenta eisque commune, est obiectum philosophiae Primae sive Metaphysicae, 196.

Ens rationis trifarie dicitur: effective, subiective et obiective, 194-196.
Effective est ens a ratione causatum vel productum, vg. actus intelligendi ut ab intellectu, 194.
Subiective est ipsummet ens a ratione causatum prout in ipsa inhaerens quasi in subiecto *quo*, actus nempe intelligendi ut in intellectu, 194.

Mere obiective est ens a ratione adinventum et cognitum, quin tamen habeat esse *obiectivum* nisi in intellectu et prout intellectum, sive cuius totum esse est intelligi: attributa scilicet vel proprietates convenientes rei intellectae qua intellectae, quaeque ideo dicuntur secundae intentiones obiectivae intellectae, 194-196.
Est quid pure mentale, quod non habet esse obiectivum nisi in intellectu, et totum consistit in intelligi, 206.
Significat compositionem aut divisionem quam anima facit, idest veritatem propositionis affirmativae vel negativae, 205-206, 206 n.
Dividitur contra ens divisum in decem praedicamenta, et ipsum dividitur in quinque praedicabila, 206 n.
Ens ratonis *obiective* duplex: aliud commune, nempe secundae intentiones obiectivae quae ad omnes res intellectas qua intellectas se habent, et ideo ad omnia porrigit; et aliud proprium quantitatis purae qua mensurabilis et numerabilis secundum rationes et proportiones a ratione mensurante et numerante adinventas, 197.
Primum est obiectum proprium Logicae, quae ob id appellatur philosophia Rationalis; secundum est proprium obiectum Mathematicae purae, 195-199.

Esse et Essentia

Essentia nominat causam formalem, 207.
Significat quidditatem ut est forma totius, 207.
Significatur per modum formae, 207.
Essentia omnis creaturae non est suum esse existentiae, sed res cui debetur vel competit esse, 206.
Susbtantia est res cui debetur esse non in subiecto; accidens vero est res cui debetur esse in subiecto, 207.
Esse non potest esse essentia alicuius creaturae, substantiae scilicet vel accidentis, neque ideo ponitur in eius definitione, 207.
In omni re creata esse comparatur ad essentiam sicut actus ad potentiam, vel sicut forma ad materiam in omni re sive ente mobili, 179, 179 n, 180.
Realiter differunt in omni re creata, sicut materia et forma in omni re corporea, 180.
Novum argumentum ad probandam illam distinctionem ex analogia proportionalitatis inter essentiam et esse ex una parte, et inter potentiam operativam et actum operandi ex alia, 180-181, 181 n.
Ipsa essentia formae per se subsistentis et incorruptibilis comparatur ad esse sicut potentia ad proprium actum, 207.
In anima humana est sicut materiale ipsa simplex essentia, ut formale autem in ipsa est esse participatum, 207.
Ipsa forma separata et subsistens, idest substantia vel essentia angeli, comparatur ad suum esse in ea participatum sicut potentia ad actum et ut materia ad formam, 207.
Et hoc esse limitatur per essentiam in qua recipitur, quia esse non receptum in aliquo non est finitum, 208.
Omnis ergo res creata debet duo haec ad minus habere, scilicet esse et id quod esse recipit, 208.

Esse non causatur efficienter ab essentia causalitate proprie dicta, quia est maius ac perfectius quam essentia, 208.
Neque causalitate large ac reductive dicta per modum dimanationis, quia non est accidens proprium eius, nec in ea continetur eminenter ut in radice vel origine, 208.
Esse quod rebus creatis inest et in earum essentia recipitur, non potest intelligi nisi ut deductum ab esse divino, 210.

Esse creatum non est proprie in categoria vel praedicamento, sed reductive tantum; et quidem reductione impropria, ut superius in inferiori, 208.
Essentia creata simul causatur cum esse eius, 210.
Ex hoc ipso quod quidditati esse attribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, 210.
Esse est prius natura quam agere, 51.

Excessus

Per excessum dicitur esse aliquid in re aliqua, quando illud quod ei attribuitur est minus quam res cui attribuitur, ut sensus homini, 48.

Exemplar

Exemplar, ab eximo (= ex-emo) est e multis unum sumere et seorsum ponere ut visibile omnibus sit et quasi ob oculos, 145-146.
Ex eodem verbo venit quoque ex-emptus et ex-imius, extra seriem et conspicuus, 146.
Et quidem quantum ad impositionem nominis primo dictum fuit de exemplari externo seu visibili; sicut et nomen ideae, quae *speciem* sive formam exemplarem, idest adspectum exteriorem atque directe visibilem vi vocis significat, 145.
Quo fit, ut idea et exemplar in idem vi nominis incidere videantur, 146.
Atque exinde utrumque verbum extensum est ad significandum formam et exemplar ideale vel intelligibile, quod pleonastice dicitur *forma exemplaris*, 146.
Sed quantum ad rem et rationem per nomen significatam, idest quantum ad id quod significandum nomen imponitur, est ex adverso: quia primo et principaliter haec duo verba, ex usu hominum, significant formam exemplarem internam et intelligibilem quam mens adinvenit et concipit operis artificiosi faciendi, 146.
Exemplar est revera ipsa causa exemplaris, 142.
Importat causalitatem respectu exemplatorum, 36.
Participat aliquid de causalitate efficienti et finali, maxime tamen de causalitate formali. 36-37.
Est causa formalis extrinseca, 37-38.
Dicitur formalis per analogiam attributionis ad causam formalem intrinsecam seu presse dictam, 36, 37, 38, 142.

Reducitur ad genus causae formalis ut imperfectum et participatum ad perfectum et plenum, 38.

Exemplar est id ad quod formatur vel conformatur exemplatum, 36, 37.
Est id ad cuius similitudinem sive imitationem formatur exemplatum, 36, 142, 142 n, 143 n.
Est id ad cuius similitudinem aliquid fit per se ex intentione agentis determinantis sibi finem, 142.
Ad rationem exemplaris requiritur quod ipsa assimilatio exemplati ad exemplar sit intenta ab agente, 143.
Exemplar proprie loquendo ad cognitionem pertinet quae est practica actu vel habitu seu virtute, et non mera possibilitate, operis faciendi ab ipso artifice excogitante, maxime tamen cum est actu, 148-149.
Exemplar est potius quam exemplatum, 36 n, 149 n.
Est perfectius et prius exemplato, 149, 149 n.
Exemplar semper importat relationem aliquam ad exemplata, 151.

Exemplar duplex: primum, prototypum, originale; et secundum, exemplatum, originatum. Exemplar prototypum omnium est Deus, qui ab aeterno ideam sive formam exemplarem habuit totius universitatis creaturarum et singularum partium eius, 151.
Omnia sunt in Deo sicut in primo exemplari vel sicut in causa exemplari omnium, 151. Vide *Deus*.

Exemplar secundum sive creatum vel humanum duplex: internum et intelligibile, ab ipso artifice excogitatum et intra ipsum existens; et externum et sensibile, ab alio acceptum et extra ipsum positum, 144, 144 n, 145-146.
Internum duplex: actuale et virtuale sive habituale, 149.

Dicitur analogice analogia attributionis intrinsecae de externo per respectum ad internum, de virtuali vel habituali per relationem ad actuale, et de secundo vel creato per ordinem ad primum sive increatum, 144-146, 149.
Exemplaria humanorum artificum formam tantum ac figuram exteriorem operis perficiendi exhibent; exemplar vero divinum non respicit proprie loquendo formam et figuram exteriorem exemplati, sed directe respicit esse et naturam intimam exemplati, 156, 157.
Forma exemplaris duplex: una ad cuius repraesentationem aliquid fit, et ad hanc non exigitur nisi similitudo tantum; alia ad cuius similitudinem aliquid fit et per cuius participationem esse habet, 157.
Illae solae rationes intellectae a Deo exemplaria dici possunt ad quarum imitationem vult res in esse producere, 158.

Exemplar omnium christianorum Christus, 155.
Resurrectio Christi, causa exemplaris resurrectionis nostrae, 155.
Praedestinatio Christi exemplar praedestinationis nostrae, 155-156. Vide *Christus*.

Exemplatum

Exemplatum comparatur ad exemplar ut effectus ad causam, 142.
Exemplatum oportet conformari exemplari, 142 n.

Exemplatum oportet conformari exemplari secundum rationem formae, non autem secundum modum essendi, 156.
Non est necessarium quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum *aliqualiter* imitetur suum exemplar, 157-158.
Exemplatum creatum non est mere repraesentativum exemplaris increati; sed primo et principaliter participativum, et nonnisi secundario repraesentativum, 157.
Unius exemplaris dari possunt plura exemplata, 149.
Exemplatum duplex: aliud perfectum vel adaequatum, et aliud imperfectum sive inadaequatum, 149, 149-150 n.
Perfectum potest materialiter sive numerice esse multiplex, formaliter vero sive essentialiter non potest esse nisi unum, 150.
Imperfectum autem potest multiplicari tam materialiter quam formaliter, 150.

Exemplatum superius et perfectius potest et ipsum rationem induere exemplaris secundarii respectu exemplatorum inferiorum, 153.
Creaturae superiores possunt esse exemplaria secundaria inferiorum, 153.
Ita se habet naturalis ordo rerum, quod ea quae sunt inferiora in entibus imitantur ea quae sunt superiora secundum suum posse, 153.
Semper id quod est perfectissimum in aliquo genere est exemplar quod imitantur minus perfecta secundum suum modum, 153.

Exemplum

Exemplum differt ab exemplari, 142.
Exemplum est quod sequamur aut vitemus; exemplar, ex quo simile faciamus, 142.
Illud animo aestimatur, istud oculis conspicitur, 142.
In humanis exemplum pertinet ad ordinem moralem; exemplar autem et exemplatum, ad ordinem artis, 142.

Experientia

Experientia proprie ad sensum pertinet, 66 n; et singularium est, 66 n.

Experimentum

Experimentum est plus quam simplex experientia, quia fit ex pluribus experientiis inter se collatis, 66 n.
Est ex collatione plurium singularium in memoria receptorum, 66 n.
Huiusmodi collatio est homini propria, et pertinet ad vim cogitativam, 66 n.

Experiri

Hoc quilibet in seipso *experiri* potest, quod quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet, 83.

F

Facere

Facere nominat proprie operationem causae efficientis, large tamen dicitur de operatione cuiuscumque causae, 164, 164 n.
Facere et fieri analogice dicuntur de creatione et de simplice generatione vel productione, 26.

Facultas

Facultas, vi vocis, idem est ac facilitas, 81.
Facul antiqui dicebant, et faculter pro facile; unde facultas et difficultas, 81 n.

Fides

Fides duplex: humana et divina, 128, 202.
Fides humana non est virtus intellectualis, 202 n.
Non excedit limites opinionis, licet sit quaedam opinio vehemens, 202 n.
Est infra scientiam, 202.
Non sufficit ad fundandam scientiam subalternatam, 202.

Fides divina est quaedam sigillatio divinae veritatis in mente, 161.
Non est habitus discursivus, sed immediate iudicativus, 109, 110, 110 n, 128.
Est quasi habitus intellectus et syndereseos ordinis supernaturalis, 110, 110 n.
Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis, 110 n.
Articuli fidei sunt prima principia cognitionis gratuitae, 110 n, 128.
Sunt per se nota habenti fidem sicut prima principia habenti intellectum, 128 n.
Fides divina est verior et certior quacumque virtute intellectuali acquisita, 202.
Est firmior ac certior secundum speciem suam quam ipse habitus primorum principiorum, 106.

Satis superque fundare potest scientiam subalternatam, nempe Theologiam Sacram viatorum, 202-203.
Ab ea derivatur tota certitudo Theologiae et donorum intellectualium Spiritus Sancti, 110 n.
Fidei divinae obiectum formale et materiale, 33-34.
Materiale principale et secundarium, 34.
Eius obiecta materialia ordinantur et analogantur ad unum primum et principale, quod Deus est, 33-34.
Fides formatur a gratia mediante caritate, 127.

Figura

Figura est forma quaedam, 198 n.
Est forma sive qualitas circa quantitatem, 52 n.
Est quaedam forma circa quantitatem, 198.
Est forma quanti in quantum huiusmodi, 53, 198.
Est terminus quantitatis, 52 n.
Consistit in terminatione quantitatis, 52 n.
Differt a mera forma sicut qualitas perfecta quartae speciei ab imperfecta, 50.

Figura duplex: physica sive sensibilis et mathematica, 52-53.
Figura *sensibilis* est proprium et manifestum signum speciei, 52.
Signum speciei in rebus corporeis maxime videtur esse figura, 52.
Inter omnes qualitates, figurae maxime consequuntur et demonstrat speciem rerum, 52.
Diversorum animalium secundum speciem sunt diversae figurae, 52.
Corpus hominis et cuiuslibet animalis habet determinatam figuram in toto et in partibus, 52.
In plantis et in animalibus nullo certiori iudicio diversitas specierum diiudicari potest quam diversitate figurarum, 52.
Figura propinquissime se habet ad formam substantiae, 52.

Figura *mathematica*, idest geometrica, abstrahit secundum rationem suam ab omni materia et forma sensibili, 53, 198.
Figurae mathematicae specie geometrica differunt inter se, 53.
Huiusmodi figurae sunt quasi quaedam formae substantiales mathematicorum, 53.
Assimilantur vel analogantur formis vel qualitatibus substantialibus corporum physicorum, 53.

Filiatio

Filiatio adoptiva iustorum est quaedam participata similitudo filiationis naturalis Christi, 156.

of Divinity Library

Finis

Finis habet rationem boni honesti vel delectabilis, 20-22.
Contradistinguitur a medio, quod habet rationem boni utilis, 20, 21, 22, 22 n.
Est unum e quatuor generibus causarum, 19, 164.

Finis bifarie considerari potest: prout est in intentione agentis, et prout est in executione, 174.
Secundum quod est in intentione, habet rationem causae respectu causalitatis causae efficientis; at vero secundum quod est in executione, habet rationem effectus respectu eiusdem causae efficientis, utpote finis effectus vel obtentus in re, 174.
Causalitas finis pertinet ad ordinem intentionis, 174.
Finis movet attrahendo et alliciendo, 164, 165.
Finis primatum obtinet in causando sive prout est in intentione, est tamen in essendo posterior, 174.
Finis est posterior in esse, sed prior in intentione, 174-175.
Primum in intentione est ultimum in executione, 175.
Ultimum in generatione est primum in intentione, 175.
Finis est ratio et forma agentis qua talis, 94 n.
Est causa *ut qua* ipsius causalitatis causae efficientis, 94 n.

Finis est prima causa in ratione causae, idest in ratione formali causalitatis, 170, 171.
In causalitate est semper prior, 170.
Est causa causarum, 170, 171, 172: immo omnium causarum, 170; quia est causa causalitatis in omnibus causis, 170; et a causa finali omnes aliae causae recipiunt quod sint causae, 171.
Finis enim facit efficiens esse efficiens, et similiter facit materiam esse materiam et formam esse formam, cum materia non suscipiat formam nisi propter finem, et forma non perficiat materiam nisi propter finem, 170.
In omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiae sumitur ex ordine ad finem, 173.
Non enim finis est talis quia materia est talis, sed potius materia est talis quia finis est talis, 173.
Finis est maxime formalis respectu ceterarum causarum, utpote ratio earum in causando, 173. Vide *Causa*.

Finis multiplex: proximus sive immediatus, intermedius et ultimus, 19-22.
Obiectivus sive materialis —*res*, quae est finis— et subiectivus vel formalis (*adeptio* rei quae est finis), 19-20.
Finis cuius gratia sive *qui*, et finis *quo*, 20, 22.
Finis *quo* est sub fine *qui* sicut finis sub fine, 20-21.
Finis purus sive non finitus alio fine superiori, et finis finitus alio fine sive finis non purus, 20-21.
Finis non ultimus, scilicet proximus et intermedius, non est purus finis, sed finis finitus a fine ultimo simulque finiens media, 20, 21.
Diversimode tamen: quia finis intermedius, si unicus sit, finitur tantum a fine ultimo, sed ipse finit finem proximum et media; at vero finis proximus finit tantum media, sed finitur a fine intermedio et a fine ultimo, 20 .

Finis ultimus simpliciter appetitur per se et propter se et non propter alium finem ulteriorem, ceteri autem fines et media appetuntur propter ipsum, 20.
Est finis purus, quia ita finit cetera ut a nullo alio finiatur, 21.

Finis ultimus duplex: alius naturalis sive naturae proportionatus; alius supernaturalis sive excedens proportionem et facultatem naturae creatae, 184-185.
Finis ultimus *naturalis* hominis secundum Avicenam in eo consistit, ut in anima humana describatur totus ordo universi et causarum eius; secundum fidem vero catholicam finis ultimus supernaturalis eius consistit in visione faciali et intuitiva Dei sicuti est, 242-243.
Finis ultimus obiectivus omnium Deus est. Sunt tamen et alii fines proximi et intermedii sub isto fine, secundum quod una creatura ad aliam ordinatur, imperfectiora scilicet ad perfectiora, ut materia ad formam, elementa ad mixta, plantae ad animalia et animalia ad hominem, 226 n.
Horum omnium finium datur ordo et analogia attributionis intrinsecae ad purum finem obiectivum, qui est finis simpliciter et absolute ultimus, 19-20.
Finis se habet in appetibilibus sicut principium in speculabilibus, 203-204.
Finis ultimus totius humanae vitae habet rationem supremi principii universi ordinis moralis, 204.

Forma

Forma sive causa formalis duplex: alia presse dicta, intrinseca, inhaerens —species—; alia large accepta, extrinseca, exemplaris —exemplar, idea—, 37.
Forma exemplaris est extra rem cuius est exemplar, 38. Vide *Exemplar*, *Idea*.
Causa formalis presse dicta, utpote causa intrinseca, 165, est in re et intra rem cuius est, 37.
De ratione formae est quod sit in eo cuius est forma, 37.

Forma intrinseca duplex: prima et secunda sive substantialis et accidentalis, 38.
Forma accidentalis est in genere qualitatis, 38. Vide *Qualitas*.
Non conveniunt univoce, sed analogice tantum, ut qualitas et substantia, 38.
Partim conveniunt et partim differunt, 40.
Conveniunt in duobus, quia utraque est actus et secundum utramque est aliquid in actu, 39.
Sed differunt multipliciter:
a) ex parte proprii *subiecti informationis*, quia subiectum formae substantialis est materia prima —in potentia tantum—, dum subiectum formae accidentalis est materia secunda— aliquo modo in actu—, 39;
b) ex parte *sui:* tum quia actualitas per prius convenit formae substantiali quam eius subiecto, ex adverso autem formae accidentali, 40; tum etiam quia forma substantialis est de essentia subiecti, non autem forma accidentalis, 40;

...ol of Divinity Library

c) ex parte *effectus formalis*, quia forma substantialis facit *hoc aliquid*, accidentalis vero facit *aliquale* tantum, siquidem advenit rei iam hoc aliquid existenti, 39 n;
d) ex parte *finis*, quia subiectum est propter formam substantialem, forma vero accidentalis est propter subiectum, 40.
Eademque proportione vel analogia se habent inter se:
a) quantum ad *subiectum* quod informant, quia subiectum immediatum formae susbstantialis est materia prima, accidentalis vero est materia secunda, 39;
b) quantum *effectum formalem* quem ei praebent, quia effectus formalis formae substantialis est esse simpliciter sive substantiale, accidentalis vero est esse secundum quid sive mere accidentale, 39;
c) quantum ad *fieri et corrumpi*, quia forma substantialis fit per generationem substantialem et desinit esse per corruptionem substantialem, forma autem accidentalis fit et corrumpitur per alterationem, idest per generationem et corruptionem accidentalem, 39.

Forma substantialis gemina: coniuncta materiae sive corpori et separata a materia sive corpore, 46-49, 168.
Coniuncta vero duplex: alia immersa in materia ab eaque inseparabilis, utpote ab ipsa intrinsece dependens; et alia emergens sive transcendens materiam ab eaque separabilis utpote intrinsece independens a corpore, 168.

Forma coniuncta et materia cui unitur sunt ad invicem causae atque mutuo proportionatae, 168, 175-177.
Forma et materia semper oportet esse ad invicem proportionata et quasi naturaliter coaptata, 176.
Forma est actus primus materiae, 175.
Est magis natura quam materia, 168.
Nominat quoddam divinum, 159 n.
Ex forma sumitur ratio materiae, 172.
Ex forma oportet rationem accipere quare materia sit talis, et non e converso, 177.
Forma non est propter materiam, sed potius materia propter formam, 177, 192.
Forma proprie limitatur et finitur per materiam in qua recipitur, 175, 176.
Forma autem non perficitur per materiam, Materia perficitur per formam, sed magis per eam eius amplitudo contrahitur, 176. Vide *Causa*.

Forma est principium speciei, 222.
Per formam unumquodque in specie constituitur, 222 n.
Denominatio fit a forma, quae dat speciem rei, 222 n.
Forma causat formaliter, seipsam communicando subiecto quod informat, 123.
Semper forma debet poni in definitione rei per eam formatae, 94.
Forma non solum est principium essendi, verum etiam agendi, 223.
Unumquodque agit per suam formam, 222.
Formae substantiales differunt formaliter sive essentialiter, sicut et species per eas constitutae, 41.
In his quae formaliter differunt, semper quidam ordo essentialis invenitur prioris et posterioris sive perfectioris et imperfectioris, 40, 41, 49.

Ordo formarum est ordo perfectionis et dignitatis, 58.
Quanto aliqua forma est altior tanto plus indiget a potentiori agente produci, 43 n.
In formis differentia esse non potest nisi secundum quod una perfectior existit quam alia, 45.
Perfectior forma facit per unum omnia quae inferiores faciunt per diversa, et adhuc amplius, 47.

Inter formas separatas, prima et suprema est Deus, 47.
Divina natura dicitur forma, utique pura et separata, 49.
Omnis forma est aliqua similitudo primi principii, quod est Actus Purus, 49.
Forma nominat quoddam divinum, 159 n.
In formis separatis ordo attenditur secundum comparationem ad formam primam, 49.
Maxime accedit ad Dei similitudinem supremus angelus, 50.
In formis invenitur diversitas secundum quemdam ordinem perfectionis et imperfectionis, 49.
Ordo formarum est ordo perfectionis et dignitatis, 58.

Forma *virtutum* duplex: alia specialis ex proprio fine et obiecto, per quam est *haec* virtus; et alia communis, quae rursus gemina est: una moralis, nempe prudentia, per quam est virtus *cardinalis;* et alia theologalis, scilicet caritas, per quam est virtus *meritoria* vitae aeternae, 93, 93 n.
Theologalis autem sive meritoria geminatur etiam: quia alia est ipsa caritas, et alia gratia habitualis, 125.
Esse forma virtutum diversimode convenit gratiae habituali, caritati, dono sapientiae, virtuti sapentiae et prudentiae, 126.
Gratiae convenit per modum radicis vel originis, ceteris vero per modum termini, 126.
Gratiae immediate quoad habitus et mediate quoad actus; virtutibus quae sunt aliarum formae, immediate quoad actus et mediate quoad habitus, 126, 127.
Gratia est forma sicut perfectio prima, virtutes illae sicut perfectio secunda, 127.
Quoad extensionem etiam, quia gratiae convenit esse forma omnium omnino virtutum, etiam ipsius caritatis; caritati vero convenit esse forma omnium, ipsa sola excepta; dono Sapientiae ceterorum donorum Spiritus Sancti; virtuti sapientiae, ceterarum virtutum intellectualium; et prudentiae, ceterarum virtutum moralium sive cardinalium, 100, 126.
Forma sapientialis Sapientiae respectu aliarum scientiarum non est univoca cum forma sapientiali doni Sapientiae respectu aliorum donorum Spiritus Sancti, neque cum forma prudentiali prudentiae respectu ceterarum virtutum moralium, neque cum forma caritativa vel meritoria caritatis respectu omnium virtutum, sed analoga tantum, 100.

Formalis

Semper causa superior se habet ut formalis respectu inferioris, 173.

Formatio

Formatio duplex: per modum informationis vel inhaerentiae, et per modum conformationis sive conformitatis vel imitationis, 38, 143.
Illa est secundum quam aliquid formatur, haec vero *ad quam* formatur aliquid, 38.
Prima est formatio intrinseca, respondens formae intrinsecae; secunda autem est formatio extrinseca, respondens formae extrinsecae sive exemplari, 38, 145.

G

Generatio

Unus actus non sufficit ad generandam virtutem moralem sive consuetudinalem acquisitam, sed requiruntur plures, 69, 85.
Et quidem primus causat aliquam dispositionem, secundus eam magis perficit, tertius adhuc amplius, et sic inde usque ad ultimam et adaequatam dispositionem exigitivam virtutis: qua semel obtenta, supervenit ultimus actus qui agens in virtute omnium praecedentium complet generationem virtutis, 69, 85.

Genus

Omne genus dividitur per oppositas differentias, 44.
Omnes differentiae dividentes aliquod genus, hoc modo se habent, quod una earum est ut abundans et alia ut deficiens respectu eiusdem, 44-45; una ut perfecta, alia ut imperfecta, 45.

Geometria

Geometria est de quantitate continua, maxime ut figurabili et mensurabili secundum rationes et proportiones, 196, 198.
Est de linea in quantum linea, dum Optica est de linea in quantum visualis, et ideo se habet ad hanc ut scientia subalternans ad subalternatam, 202.

Gloria

Gloria est gratia consummata, 119.
Gratia est semen gloriae, 218.
Vita gratiae non habet rationem finis, sed rationem eius quod est ad finem, in quantum vita gratiae ordinatur ad gloriam, 234.

Gloria angelorum et hominum est finis operationis ipsius naturae per gratiam adiutae, 236.
Perfectio gloriae est ultima rerum consummatio, 236.
Ultima perfectio, quae est finis totius universi, est perfecta beatitudo sanctorum, 236.

Gradus

Gradus formarum substantialium et specierum corporalium duplex: ascendens et descendens, 43.
Ascendens, a forma inanimata usque ad animam humanam, 43.
Descendens, ab anima humana usque ad formam inanimatam, 43.
Materialiter sive re coincidunt, sed formaliter sive ratione differunt, 44.
Ubicumque est diversitas graduum, oportet quod gradus considerentur per ordinem ad aliquod principium, 43.
Ordo ascendens formarum coniunctarum attenditur secundum habitudinem ad perfectissimam earum, quae est anima humana, 42, 44.
Ordo descendens earumdem, attenditur secundum habitudinem ad formam imperfectissimam et materiam primam, 43, 44.

Gratia

Vita naturalis quasi nihil est in comparatione ad vitam gratiae, 235.
Bonum gratiae unius maius est quam bonum naturae totius universi, 230.
Perfectio gratiae est dignior perfectione naturae, 235 n.
Esse gratiae est supra esse naturale et hominis et angeli, quae sunt supremae creaturae, 235.
Gratia elevat hominem ad vitam quamdam quae est supra conditionem omnis naturae creatae, 235.
Ordo gratiae non habet alium superiorem ordinem, 230-231.
Gratia non tollit naturam, sed perficit, 107.
Gratia non debet submitti naturae neque ab ea dominari, sed ex adverso debet natura obsequi atque subservire gratiae, 107.

Gratiae duplex genus: gratum faciens et gratis data, 231.
Gratum faciens gemina: habitualis et actualis, 231.
Utraque rursus, maxime habitualis, duplex: sanans et elevans, 122-123.
Gratia sanctificans non est habitus presse dictus, sed reductive tantum, et quidem reductione impropria ut analogum superioris ordinis, 119.
Reducitur ad genus qualitatis, et quidem ad primam speciem vel modum, nempe ad habitum et dispositionem, 119.
Est velut habitudo quaedam animae, sicut sanitas se habet ad corpus, 119.
Est sicut dispositio quae est respectu gloriae, quae est gratia consummata, 119.
Est habitudo quaedam praesupposita virtutibus infusis sicut earum principium et radix, 119-120 n.

Est ad modum habitus entitativi animae, eo proportionali modo quo sanitas vel pulchritudo est habitus entitativus corporis, 119, 120, 123.
Quae analogia est proportionalitatis metaphoricae, ob similitudinem effectus, 122-123.
Est divina qualitas in anima inhaerens ac veluti splendor quidam et lux quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit, 104.
Est habitus quidam entitativus deificans animas nostras, sive formaliter praebens eis esse quoddam divinum, quo regeneramur in filios Dei adoptivos, 103-104, 234.
Gratia non creatur proprie et metaphysice loquendo, sed moraliter tantum, in quantum a Deo nobis confertur ex nihilo meriti nostri, 114-115 n.
Accedit tamen infusio gratiae ad rationem creationis, in quantum non habet causam in subiecto, 114.
Educitur proprie a Deo supernaturaliter ex potentia obedientiali animae sine ullis meritis praecedentibus, 115.
Gratia et gloria sive beatitudo formalis, itemque virtutes infusae et dona Spiritus Sancti sunt quid creatum, et ideo sunt partes quaedam totius universi creaturarum, 218.
Sanatio et nitor animae non est effectus primarius gratiae habitualis, sed elevatio eius ad quoddam esse divinum et supernaturale, quo iustus revera efficitur consors divinae naturae et filius Dei adoptivus, 123.
In Angelis et in primis parentibus ante praevaricationem et in Beata Virgine non fuit gratia sanans, sed elevans tantum, 123.

Gratia habitualis est forma omnium virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti, etiam ipsius prudentiae et ipsius doni sapientiae ipsiusque caritatis, 125.
Per modum originis vel radicis, 126.
Ut habitus entitativus habitus operativos, 126.
Immediate quantum ad ipsum habitum virtutum et donorum, et mediate, idest mediantibus virtutibus et donis quae sunt formae aliarum, nempe mediante prudentia, dono sapientiae ac praesertim caritate, quantum ad actus vel operationes, 126-127.
Gratia habitualis est principium remotum et radicale meriti, caritas vero et ceterae virtutes ab ea formatae sunt principium proximum, 127.
Gratia habitualis se habet ad omnes virtutes infusas, ne excepta ipsa caritate, ut totum potentiale vel analogum ad partes potentiales vel analogata, 135.
Est supremum analogans respectu omnium virtutum infusarum et donorum Spiritus Sancti, 135.
Gratia et virtus imitantur naturae ordinem, 127.
Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae et vitare omne peccatum mortale, 117.

Gratia gratis data datur ad utilitatem aliorum, 231.
Concurrit efficienter tantum atque extrinsece et ministerialiter ad aliorum iustificationem, 232.
Est gratia quaedam diminuta respectu gratiae gratum facientis, 232.
Est supernaturalis quoad modum tantum, gratia vero gratum faciens est supernaturalis quoad substantiam, 232.

Ordo inter miracula secundum causalitatem efficientem et secundum causalitatem finalem, 233-234.

Gutta

Gutta cavat lapidem, non semel sed saepe cadendo, 69, 85.
Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu, 69 n.

H

Habitus

Habitus pertinet essentialiter ad primum genus vel modum qualitatis, et quidem essentia vel statu perfectum, 50, 51, 53, 55, 64.
Importat firmitatem, stabilitatem sive immobilitatem quamdam, per contrapositionem ad infirmitatem, labilitatem et facilem mobilitatem simplicis dispositionis, 50, 51, 53, 66, 67, 68.

Multiplex est et multipliciter divisus: entitativus et operativus, 64, 103, 105.
Connatus sive congenitus, acquisitus et infusus, 103-106.
Entitativus duplex: corporis, ut sanitas et pulchritudo; et animae, 51, 103-105, 122.
Animae geminus: bonus ut gratia sanctificans et iustitia originalis; et malus, ut peccatum originale, 103-105.
Gratia et Iustitia originalis sunt habitus infusi et supernaturales, 103-105.
Peccatum vero originale, quod directe et immediate opponitur iustitiae originali oppositione contrarietatis, est quidam habitus entitativus corruptus, non infusus, neque acquisitus per proprium actum personalem, sed per vitiatam originem innatus, 105.

Habitus operativus afficit immediate potentias animae, 64, 105.
Non quidem activas, ut intellectum agentem et potentias vegetativas, quae semper ac necessario operantur eodem modo, 64, 65, 65 n, 77.
Sed solum potentias passivas quae ad multa et diversa se habent, et quidem diversimode ad unumquodque, 65.
Ad rationem habitus operativi requiritur quod potentia, quam afficit et complet, possit pluribus modis determinari et ad diversa, 32.
Habitus operativus est aliquid potentiae superadditum per modum permanentis sive difficulter mobilis, quo perficitur ad suam operationem, 72.
Est quo quis utitur cum voluerit, 72.
Habitus operativus non est dispositio obiecti ad potentiam, sed magis dispositio potentiae ad obiectum, 102.

Subiectum habitus operativi duplex: *quod* sive suppositum, et *quo* sive potentia operativa passiva, 64.

Quod vero geminatur, nimirum angeli et homines, 64
Subiectum habitus et dispositionis est ens in potentia, 64.
Nulla essentia vel substantia creata est immediate susceptiva habitus vel dispositionis naturalis, 64.
Non habitus entitativi, quia tam angelus quam anima rationalis sunt essentialiter formae substantiales, ideoque actus in hoc ordine, 64.
Neque habitus operativi, quia eorum essentia non est immediate operativa; subiectum autem immediatum habitus operativi debet esse immediate operativum, 64.
Subiectum immediatum *quo* habitus naturalis operativi est semper aliqua potentia passiva angeli et animae rationalis, 64, 65, 65 n, 77.
Tres conditiones simul atque cumulative requisitae ex parte praedictae potentiae:
a) esse potentia passiva sive susceptiva talis habitus;
b) esse in potentia ad plura pluribus modis et non ad unum et uno modo tantum;
c) esse in potentia pluribus modis ad unumquodque eorum, 65 n.
Sensus et appetitus *brutorum* animalium non sunt susceptivi habitus operativi presse dicti, quia sunt determinati ad unum et uno modo operandum ex instinctu naturae, 65.
Quid de quorumdam brutorum cicuratione et domesticatione, 65.
Sensus exteriores *hominis* eorumque organa possunt esse susceptiva alicuius dispositionis sive habilitatis ad melius et expeditius exercendas operationes suas, quin tamen rationem habitus presse dicti induant, 65, 82-83.
Sensus interiores —uno excepto sensu communi, qui semper eodem modo naturaliter operatur— nati sunt educationem atque industriam sive habilitatem suscipere sub influxu ac directione rationis et voluntatis, quin tamen rationem habitus presse dicti attingant, 66.
Huiusmodi habilitates possunt esse per modum dispositionis praeviae et quasi praeparatoriae ad habitus intellectuales proprie dictos, vel per modum sequelae sive redundantiae in viribus illis ex habitu residente in intellectu, 66-67, 82-83.
Tales ergo sensus interiores possunt esse subiectum secundarium et quasi adnexum habituum intellectualium, atque induere statum firmum modumque quemdam habitualem ex actuum repetitione, 67.
Deficiunt tamen a ratione propria habitus duplici de causa:
a) quia tales potentiae non attingunt necessaria, universalia et immobilia, sed contingentia, particularia et mobilia tantum;
b) quia non pertingunt ad veritatem formalem capessendam, quae in solo iudicio intellectus residet, 66. Vide *Memoria, Cogitativa, Imaginatio.*
Appetitus sensitivus concupiscibilis et irascibilis est capax habitus consuetudinalis, idest quoad statum et modum habitualem ex consuetudine contractum, 67, 68.
Hic habitus est habitualis quaedem conformitas istarum potentiarum ad rationem rectam prudentialem, 68.
In concupiscibili est temperantia, et fortitudo in irascibili, 68.
Intellectus possibilis et voluntas sunt habitus presse dicti susceptivi, 68. Vide *Intellectus, Voluntas.*
Similiter intellectus et voluntas angelorum, 73, 78.
Habitus operativi specificantur ex proprio actu per comparationem ad propria obiecta, 82.

Proportionantur potentiis in quibus sunt, 90.
Habitus operativi triplicis generis: quidam semper ad bonum, ut virtus; quidam semper ad malum, ut vitium; quidam quandoque ad bonum et quandoque ad malum, ut opinio, 200-201.

Habitus *intellectuales,* 69-81.
Quaedam formulae S. Thomae:
sunt species intelligibiles, 71;
sunt generatio specierum intelligibilium, 71;
sunt ordinatio specierum intelligibilium, 71;
sunt ordinata aggregatio specierum intelligibilium, 71;
sunt collectio specierum ordinatarum ad cognoscendum, 71;
est facultas et habilitas quaedam intellectus possibilis ad utendum speciebus intelligibilibus collectis et ordinatis, 71.

Habitus intellectualis duplicis generis: alius angelorum et alius hominum, 69-73.
Habitus intellectualis angelicus totus consistit in speciebus intelligibilibus, quarum angelorum intellectus est naturaliter repletus, 73.
Habitus intellectualis humanus geminatur: alius est intuitivus sive immediate iudicativus, et alius discursivus sive mediate iudicativus, 73.
Immediate iudicativus est duplex: unus speculativus, qui appellatur intellectus principiorum; et alius practicus, qui nomen accipit synderes, 73, 95.

Ad habitum intellectualem angelorum requiritur et sufficit una sola species intelligibilis; ad habitum intellectualem hominum requiruntur plures, 73.
Ad *ominno immediate iudicativos,* nempe ad intellectum principiorum et ad synderesim, sufficiunt duae species intelligibiles, videlicet subiecti et praedicati, 73.
Ad mediate vero iudicativos sive discursivos vel illativos, puta sapientiam, scientiam, prudentiam et artem, requiruntur saltem tres, extremorum videlicet et medii, 73.
Intellectus principiorum et synderesis consistunt in solis speciebus intelligibilibus subiecti et praedicati, quin nova qualitas vel habilitas superaddatur intellectui possibili, 74, 77-80.
Re et essentia differunt ab intellectu agente et possibili, et in solis speciebus intelligibilibus e quibus formantur consistunt, 80, 81.
Habitus primorum principiorum tam speculativorum quam practicorum non habent rationem habitus superadditi intellectui possibili nisi propter species intelligibiles impressas subiecti et praedicati abstractas atque illuminatas ab intellectu agente et receptas in intellectu possibili, 77.
Quomodo intelligenda sunt verba S. Thomae, habitum nempe intellectivae partis confici ex lumine intellectus agentis et ex speciebus intelligibilibus terminorum ab eo abstractis et in intellectu possibili receptis, 77.
Intellectus primorum principiorum non est ipse intellectus agens, sed effectus eius, 78.
Habitus primorum principiorum quomodo se habeant ad habitus intellectuales angelorum, 78-79.
Se habent inter se sicut species intelligibiles in quibus consistunt, 88.
Species intelligibiles impressae angelorum et hominum non conveniunt univoce, sed analogice tantum, 87.

Species angelorum sunt multo simpliciores quam nostrae, 87.
Non abstrahuntur a sensibilibus neque multiplicantur sicut nostrae, sed una sola specie multo plura atque plenius et profundius cognoscunt quam nos per plures, immo et per omnes quas possidemus, 87.
Eorum species exprimunt ac demonstrant universalem naturam et particulares conditiones, nostrae autem universalem naturam tantum, 87.
Aliter utuntur ac nos, quia non ipsas componunt nec dividunt iudicando sicut nos, sed simplici intuitu eis utuntur, 87-88.
Species intelligibiles supremi angeli sunt pauciores et maximae virtutis, 88.
Ideo primum ac supremum locum occupant, quasi analogum princeps, 88.

Habitus illativi sive *mediate iudicativi,* nempe Sapientia, scientia, prudentia et ars, essentialiter coalescunt ex speciebus intelligibilibus et ex habilitate eas inveniendi, colligendi, ordinandi, ipsisque recto modo utendi, 80, 81.
Egent saltem triplici specie impressa et triplici termino correspondenti, maiori scilicet, minori et medio, 80.
Quod si agatur de conclusionibus sequentibus post primam, oportet addere tot species intelligibiles quot sunt novae conclusiones, et adhuc amplius, 80.
Sapientia et scientia sunt habitus conclusionum per demonstrationem acquisiti, 81.

Habitus *morales* appetitus superioris et inferioris, puta iustitia, fortitudo et temperantia, consistunt in sola habilitate potentiae respectivae cui insunt erga proprios actus et obiecta, absque ullis speciebus intelligibilibus, 87.

Causa habituum operativorum naturalium sive acquisitorum sunt proprii actus, 68, 81-87.
Habitus intellectus principiorum, qui consistit in solis speciebus intelligibilibus terminorum primorum iudiciorum immediatorum, causantur dispositive et quasi ministerialiter a sensibus propriis, perfective autem et proprie a lumine intellectus agentis; et quidem statim maximaque cum facilitate, 74-78.
Eorum termini sunt sensibiles per accidens et intelligibiles per se, 74.
Causantur uno actu facillimo atque spontaneo sensus proprii et intellectus agentis in primordio usus rationis, 74.
Notitia horum terminorum ope sensationis et abstractionis intellectus agentis naturaliter nobis advenit nobisque imponitur absque ulla dubitatione et discursu; nec est demonstratio presse dicta, sed quid praevium et fortius, nempe simplex naturalisque monstratio, 74-75.
Habitus sapientiae et scientiae, quantum ad essentiam suam, causantur uno solo actu demonstrationis in intellectu possibili, 81, 81 n.
Sed quantum ad adnexa mere materialiter concurrentia et respectu subiecti secundarii *quo,* imaginationis nempe, memoriae et cogitativae, plures actus requiruntur ut statum modumque habitus nanciscantur, 82.

Habitus opinativus causatur argumentis dialecticis, non argumentis apodicticis, 83.
Non generatur uno solo argumento dialectico, sed ex pluribus repetitis et congregatis, ex parte subiecti principalis quod est intellectus possibilis, 83-84.

...of Divinity Library

Nec tamen est habitus intellectualis presse dictus, sed simplex dispositio, quae modum sive statum habitualem in subiecto ex repetitione actuum induere potest, 84.
Idem circiter valet de arte, quae non versatur circa necessaria et immobilia, sed circa contingentia factibilia, 84.
Ideo non acquiritur uno solo actu, sed pluribus iteratis, 84-85.
Et a fortiori currit de prudentia, quae tota quanta est versatur circa maxime contingentia et variabilia, nempe circa agibilia humana omnino concreta et singularia, 84.
Ipsa et ars sunt in parte *opinativa* animae et circa contingentia aliter se habere, 84.
Prudentia et virtutes mere morales appetitus, nempe iustitia, fortitudo et temperantia, utpote essentialiter connexae, una simul acquiruntur et amittuntur, 85.
Non sufficit unus actus, sed complures actus requiruntur ac diuturnum exercitium ut firmiter inserantur in propriis potentiis, sicque ut veri habitus prompte, faciliter, perseveranter et delectabiliter operentur secundum rationem rectam, 85.
Sunt essentialiter habitus consuetudinales, qui nihil aliud sunt quam habitudo acquisita per consuetudinem, quae est in modum naturae, 86.

Habituum operativorum naturalium ratio valde diversae, 87.
Alii, ut habitus intellectuales angelorum et intellectus principiorum atque synderesis in nobis, consistunt in solis speciebus intelligibilibus impressis, 87.
Alii, ut habitus appetitus superioris et inferioris, nempe iustitia, fortitudo et temperantia, in sola habilitate potentiae operativae erga actus et propria obiecta, absque ullis speciebus intelligibilibus, 87, 88.
Alii, ut sapientia, scientia, prudentia et arte, in speciebus intelligibilibus una cum habilitate potentiae operativae ad eas inveniendas, colligendas et ordinandas, eisque utendis ad veritatem speculativam vel practicam rite et expedite capessendam, 87.
Huiusmodi diversitas videtur esse plus quam specifica quae sola induceret analogiam inaequalitatis, sed vere analogica qualis viget inter analoga attributionis ad unum vel ab uno, 87.
Habitus cognitivae et affectivae partis non sunt unius rationis, sed analogice tantum conveniunt, 88.
Illi necessario requirunt species intelligibiles impressas, isti eas excludunt, 88.
Habilitas habitus intellectualis est ad recte iudicandum, ratiocinandum et concludendum; habilitas vero habitus moralis sive appetitus est ad recte eligendum et agendum, 88.
Series ordinata habituum operativorum naturalium per respectum ad habitum sapientiae quasi ad supremum analogans, 100-103.

Habitus *supernaturales* quoad substantiam sive per se infusi duplicis generis: entitativi et operativi, 103-105.
Entitativi conferunt esse divinum, et recipiuntur in ipsa essentia animae secundum potentiam eius obedientialem, prout spiritus et imago Dei est, 103-105.
Sunt duo: gratia sanctificans, 103-104; et iustitia originalis collata primis parentibus, 104-105. Cui contrarie opponitur peccatum originale, 105.

of Divinity Library

Operativi conferunt posse et agere supernaturales operationes, et immediate afficiunt potentias animae susceptivas habituum secundum earum potentiam obedientialem, 105.
Complures sunt, 105.
Habitus operativi per se infusi se habent loco potentiae in suo ordine supernaturali, 106, 107.
Conferunt potentiis animae quibus insunt non solum *facilitatem* exercendi actus proprios supernaturales, verum etiam ac principaliter *ipsum posse* agere supernaturales actus et quidem supernaturali modo, 105-106.
Simul induunt rationem habitus et rationem potentiae sui ordinis supernaturalis, 106.
Sunt ex se et quoad essentiam suam firmiores ac difficilius mobiles quam habitus naturales sive acquisiti, 106.
Dona infusa sunt permanentiora quam acquisita, 106.
Per accidens tamen et quantum ad modum inhaerendi subiecto, possunt esse aliquando minus firmi et facilius mobiles quam acquisiti, 106.
Possunt dari sine modo vel statu habituali in subiecto: verbi gratia, quando primo infunduntur in parvulis ante usum rationis, vel quando infunduntur in adultis assuefactis peccatis mortalibus, 106.
Modum sive statum habitualem in subiecto ordinarie non induunt nisi post longum exercitium actus virtutis, 106-107.
Habitus infusi sunt essentialiter superiores natura eiusque potentiis, 107.
Tota natura eiusque vires debent subordinari in agendo gratiae et habitibus infusis, 107.

Habitus infusi cognoscitivi comparati cum habitibus intellectualibus acquisiti respectu specierum intelligibilium, 108-109.
Illae species impressae semper atque essentialiter requiruntur in omnibus habitibus intellectualibus acquisitis, 108.
Non semper neque essentialiter requiruntur in infusis, 108-109.
In parvulis rite baptizatis ante usum rationis infunduntur fides theologalis, prudentia et dona Spiritus Sancti intellectiva, puta donum intellectus, sapientiae scientiae et consilli, quoad habitum, quin tamen ullae in eis dentur species intelligibiles, 108.
In beatis datur habitus luminis gloriae, quod positive excludit omnem speciem intelligibilem creatam; et ideo talis habitus unice consistit in elevatione et habilitate intellectus possibilis ut valeat ipsum Deum videre visione intuitiva et faciali sicuti est, 108.
In adultis viatoribus gratiam habentibus dantur habitus fidei theologicae et quatuor donorum intellectualium una cum speciebus intelligibilibus eis correspondentibus, 108.
Et quidem tales species necessario et connaturaliter requiruntur et concurrunt ad eorum actus una cum lumine infuso 109-110.
Non tamen ex aequo, quia lumen se habens ex parte potentiae semper est infusum et supernaturale, dum species illae sunt plerumque et ordinarie acquisitae et naturales; itemque lumen concurrit una cum intellectu ab eo elevato ut causa principalis, dum species illae solum concurrunt ministerialiter et quasi per modum causae instrumentalis, 109.

Habitus in inferioribus viribus residentes formantur per habitus qui sunt in superioribus, 127.

Habitus entitativus supernaturalis, nempe gratia sanctificans, est forma ceterorum omnium habituum supernaturalium quasi e radice, ac praeterea supremum analogans eorum, 135.

Hierarchia

Hierarchia angelorum dividitur in ordines ut totum potestativum vel analogum in partes potentiales sive analogata, 48.

Homo

Homo proprie est rationalis vel discursivus, non intellectualis vel intuitivus, nisi per quamdam imperfectam participationem, 59, 60.
Homo est finis totius generationis naturalis, 41, 42.
Homo est finis totius mundi adspectabilis, 226.
Omnes creaturae corporales ordinantur ad spirituales, et totus motus deserviens generationi et corruptioni ordinatur ad generationem hominis, 236.
Homo generatur, non autem eius anima, 43.
Omnia corporalia sunt propter hominem facta, eique dupliciter serviunt: qua *animali*, ad nutrimentum, vestimentum et adiumentum in labore producendi et procurandi victum; et obiective qua *rationali*, ad cognoscendum eorum ipsiusque hominis Auctorem, et consequenter diligendum ac religiose colendum, 226.
Homo non est perfectus nisi totum, quod in anima implicite continetur, exterius in corpore explicetur, 190.
Plures habet potentias sive facultates naturales tam organicas quam anorganicas, 56.
Homo comparatur ad creaturarum universitatem sicut pars ad totum, 217.
Homo medium tenet inter partem supremam et infimam totius universi, nempe inter angelos et corpora, 217.
Homo est quasi horizon et confinium spiritualis et corporalis creaturae, 217.
Homo ordinatur ad perfectionem universi ut essentialis pars ipsius, 227.
Omnis creatura corporalis, quantumcumque sit magna quantitate, est tamen inferior homine ratione intellectus, 217, 226.
Ad rationalem naturam omnes aliae creaturae ordinantur, 227.
Secundum ordinem finis nihil homine existit altius nisi solus Deus, 227.
In bono universi sicut principale continetur rationalis natura, 227.
Homo univoce dicitur de Christo et de aliis hominibus, 218.
Homo pictus vel sculptus dicitur homo per analogiam attributionis extrinsecae ad hominem vivum et verum, 157, 157-158 n.

I

Idea

Idea dicitur ab εἴδω, quod est videre vel adspicere, 145.
Est species vel forma exemplaris, 145, 146 n.
Nominat formam exemplarem, idest formam intellectam ab agente, ad cuius similitudinem exterius opus producere intendit, 146.
Forma exemplaris vel idea est ad quam formatur aliquid, 143.
Idea vel forma exemplaris in intellectu artificis existens non est species intelligibilis impressa, sed expressa sive verbum mentis, 146.
Non sicut principium intelligendi, sed sicut terminus actus intelligendi, 147, 147 n.
Sicut id *quod* intelligitur, et non sicut species *qua* intelligitur, 147.
De ratione ideae sive formae exemplaris est universaliter ut sit *intellecta*, idest sicut id *quod* intelligitur et non sicut species impressa *qua* intelligitur, 151.
Neque tamen sufficit quod sit forma mere speculativa vel repraesentativa, sed debet esse practica et praesignativa, 147.
Et quidem factiva et non mere activa, ut sit revera exemplar factivum, 147.
Forma nempe factibilium in quantum huiusmodi, et ad artem pertinens quae est recta ratio factibilium, 147.
Forma rursus factibilium et effectionis; per prius tamen exemplati vel artificiati exterius producti, et nonnisi per posterius operationis productivae, 147-148.
Forma artificialis est principaliter similitudo *ultimi effectus* in quem fertur intentio artificis, secundario autem *operationis productivae*, 148.
Idea est forma quam aliquid imitatur per se ex intentione agentis determinantis sibi finem, 143.
Idea et ideatum non oportet esse similia secundum conformitatem naturae, sed secundum repraesentationem tantum, 158.
Idea generis includitur in idea exemplari speciei, 152, 154 n.
Accidentia naturalia consequentia speciem vel individuum, continentur in idea exemplari speciei vel individui, 154, 154 n.

Imaginatio

Imaginatio est susceptiva disciplinae ad melius subserviendum intellectui, 66, 66 n, 67, 82-83.

Imago

Imago importat ordinem, 149 n.
Praesupponit ordinem ad aliquod principium, 149 n.

...ol of Divinity Library

Imitatio

Imitatio formae alicuius dupliciter fieri potest: ex intentione agentis et praeter eius intentionem, sive de industria et a casu, 143, 143 n.
Creatura non nominatur ens nisi in quantum ens Primum imitatur, 35.
Nulla res creata potest Deum perfecte imitari, 153.
Effectus Dei imitantur ipsum non perfecte, sed secundum quod possunt, 153 n.
Unaquaeque creatura imitatur Deum suo modo suaque mensura, licet partialiter et imperfecte, 153.
Tota vita moralis supernaturalis reducitur ad imitationem Dei, 161.

Immateriale

Immateriale duplex: praecisive tantum et positive, 216.

Individuum

Principium individuationis est materia signata quantitate, 41.
Individua eiusdem speciei atomae solum differunt materialiter, et non formaliter sive essentialiter, 41, 45.
Individua eiusdem speciei se habent ad speciem suam sicut materia ad formam, sive ut causa materialis ad causam formalem, 222.
Individua sunt propter speciem, 222-223.
Individua ex aequo sive omnino aequaliter participant naturam speciei, 41, 45.
Impossibile est naturam speciei communicari ab individuis per prius et posterius, nec secundum esse, nec secundum intentionem, 45.
In his quae sunt unius speciei non est invenire prius et posterius, 45 n.
In omnibus individuis unius speciei non est ordo nisi secundum accidens, 42 n.
Accidentia individuantur ex subiecto cui insunt, 41.
Possibile est diversa subiecta aequaliter participare accidentia, puta albedinem vel aliam qualitatem, 41.

Infinitum

Infinitum, secundum quod attribuitur materiae, est mere potentiale et habet rationem imperfecti; at vero secundum quod se tenet ex parte formae, est actuale et habet rationem perfecti, 176.

Influere

Influere, diffundere et facere important secundum proprietatem vocabuli operationem causae efficientis; largo tamen modo sive per quamdam extensionem importare possunt operationem cuiuscumque causae, 164, 164 n.

...ol of Divinity Library

Influere causae efficientis est agere vel pro-ducere aut impellere; influere autem causae finalis est allicere, appeti, desiderari, attrahere, 164-165.

Intellectus

Intellectus dicitur dupliciter: facultas intellectiva et habitus intellectualis, 57, 60, 77.
Intellectus ut habitus nominat habitum primorum principiorum speculativorum, 60, 77.
Intellectus ut potentia est duplex: agens et possibilis, 57.
Intellectus agens est potentia activa, eiusque munus est facere intelligibilia in potentia intelligibilia in actu, 57, 57 n.
Intellectus vero possibilis est potentia passiva, euisque officium est facere intelligibile in actu intellectum in actu, scilicet capere sive intelligere in actu id quod erat factum intelligibile in actu ab intellectu agente, 57, 57 n.
Intellectus agens facit obiectum intellectus possibilis; hic autem percipit sive intelligit illud, 57.
Intellectus agens est superior intellectu possibili, 61, 61 n.
Intellectus possibilis fluit ab anima mediante intellectu agente, 61.
Intellectus possibilis est pura potentia intellectualis, sicut tabula rasa in qua nihil est scriptum, 58, 69, 69 n, 70, 70 n.
Intellectus possibilis indiget omnino aliquo superaddito per modum habitus ad omnia intelligenda in statu praesenti unionis animae ad corpus, 69.
Intellectus noster possibilis non potest habere intelligibilem operationem nisi in quantum perficitur per speciem intelligibilem alicuius, 70.
Intellectus possibilis non intelligit perfecte nisi per habitum perficiatur, 70 n.
Intellectus possibilis dicitur locus specierum, 70, 71.
Obiectum totale vel adaequatum intellectus possibilis est omne ens, 32.
Intellectus possibilis, qui non dividitur per multas potentias, est efficacior ad cognoscendum quam sensus qui per multas potentias diversificatur, 62.
Intellectus ut intellectus sive ut natura et intellectus ut ratio, 76, 78.
Intellectus cognoscit principia naturaliter, et ex hac cognitione causatur in homine scientia conclusionum, 98.
Intellectus nostri duplex operatio: simplex apprehensio et iudicium, 109n.
Intellectus *subtilis* dicitur qui pertingit ad inspicienda intrinseca principia et proprietates naturales rei latentes, 55.

Intentio

Intentio intellectus duplex: subiectiva, idest actus intendendi vel applicandi vires suas ad intelligendum; et obiectiva, nempe obiectum intentionis subiectivae, 195.
Intentio subiectiva gemina; prima seu directa, quae est actus directus intellectus applicati ad intelligendum res extra animam; et secunda vel reflexa, quae est actus intellectus applicati ad intelligendas res intra animam sive iam primo intellectas eiusque relationes, 195.

Intentio obiectiva iterum duplex: prima, idest obiectum intentionis subiectivae primae, sive natura et proprietates rei prout in se est extra animam positae; et secunda, videlicet attributa, proprietates vel praedicata qua conveniunt rei prout est intellecta et in intellectu, et sunt obiectum intentionis subiectivae secundae, puta intentio universalitatis et praedicabilitatis, generis, speciei et aliorum huiusmodi, 195.

Prima intellecta sunt res extra animam, in quae primo intellectus intelligenda fertur; secunda autem intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi, quae scilicet intellectus secundo intelligit in quantum reflectitur super primo intellecta ut intellecta et secundum modum essendi quem habent in intellectu sive intra animam, 194-195.

Primae intentiones obiectivae habent immediatum fundamentum in re extra animam, 195 n.

Secundae vero intentiones obiectivae habent remotum quidem fundamentum in re, proximum autem in intellectu, 195, 196 n, 197; easque intellectus adinvenit reflexione et comparatione, 195, 196.

Secundae intentiones intellectae qua tales non sunt nec possunt esse in rerum natura, quin tamen sint purae fictiones mentis, 195, 196.

Earum esse totum consistit in ipso intelligi, 195.

Sunt proprium obiectum Logicae, quae est de secundo intellectis, 196.

Reducuntur ad relationes rationis subiecti et praedicati, universalitatis et inferioritatis et id genus alias, quae dicuntur entia rationis *obiective*. Vide *Ens*.

Intentiones secundae intellectae duplicis generis: aliae universales omnium rerum, quae sunt intentiones *logicae;* aliae restrictae ad solam quantitatem qua talem ut mensurabilem vel numerabilem, videlicet rationes et proportiones, et hae sunt intentiones *mathematicae,* 215-216.

Intentio naturae est principaliter ad speciem conservandam, 224.

Iudicium

Secundus actus intellectus, in quo completur humana cognitio, est indicium, 109.

In eo formaliter invenitur verum vel falsum, 109 n.

Iudicium duplex: immediatum et mediatum sive discursivum, 110.

Immediatum iterum duplex: aliud speculativum, sive per studium et proprium conatum; aliud affectivum et vitale, sive per connaturalitatem vel sympathiam, 110.

Iustitia

Iustitia est factiva boni rationis, in quantum ad ipsam pertinet ordinem rationis ponere in omnibus rebus humanis, 91-92.

...ool of Divinity Library

L

Lex

Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet, idest ab eius ordinario, promulgata, 5.

Lex causalitatis efficientis ordinatae superiorum in inferiora, necessario sequitur ex ordinata causalitate formali ipsarum rerum, 229.

Lex continuitatis naturalis: supremum infimi attingit infimum supremi, 8, 78, 79 n, 224.

Liberum

Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, 61-62.

Locutio

Locutio est proprium opus rationis, 194.

Logica

Logica est de secundis intentionibus quas ratio adinvenit in rebus secundum quod sunt intellectae, 194.

Est de ente rationis obiective, et quidem communi, ob idque appellatur philosophia Rationalis, 196, 218.

Logica considerat ordinem quem ratio facit in suo actu, idest ordinem secundarum intentionum intellectarum omnium rerum, 216.

Logica definit ac demonstrat per solam causam formalem, 194, 197.

Definitiones logicae sunt pure formales, utpote in quibus nihil materiae ponitur, 197, 198.

Lumen

Lumen intellectus agentis quomodo intelligatur esse de natura ipsius animae intellectivae, 77-78.

Lumen gloriae est habitus intellectualis perfectissimus, 105.

Excludit omnem speciem intelligibilem creatam, 108.

Lux

Lux in spiritualibus dicitur metaphorice, idest per analogiam proportionalitatis metaphoricae cum luce corporali, ob similitudinem quamdam dynamicam sive effectus, 54 n.

Lux mundi, quomodo apostoli dicantur, 54 n.

M

Materia

Materia dicitur tripliciter: *ex* qua, *in* qua et *circa* quam, 28.
Et quidem secundum prius et posterius sive analogice analogia attributionis, ita ut primo dicatur de materia *ex* qua, deinde de materia *in* qua, et postremo de materia *circa* quam, 28, 31.
Materia *ex* qua duplex: prima et secunda, sive substantialis et accidentalis, 29.
Dicitur analogice analogia attributionis intrinsecae de materia prima et de materia secunda, sicut forma de forma prima sive substantiali et de forma secunda sive accidentali, et sicut ens de substantia et de accidenti, 29.
In genere causae materialis illud est prius quod est magis potentiale, imperfectum et determinabile, 30.

Materia prima est primum atque supremum principium analogans in genere causae materialis, 31.
Materia prima est potentia passiva tantum, 31 n.
Est maxime potentialis potentia passiva, 30.
Est pura potentia passiva, 30.
Est ipsa sua potentia passiva, 30 n.
Est potentia passiva vel receptiva per essentiam, 30.
Est ingenita et incorruptibilis, 27 n.
Ad materiam primam non se extendit causalitas creaturae, 27 n.
Dicitur ad formam substantialem relatione essentiali et transcendentali, 168.
Materia prima secundum se non habet esse neque cognoscibilitatem, 168.
Sicut non habet esse nisi per formam substantialem, ita non est intelligibilis nisi per formam illam, 168.
Non potest intelligi sine intellectu formae substantialis, 168.
Non est scibilis nisi in ordine ad praedictam formam, 169 n.
Non apprehenditur nisi ut ens in potentia ad formam substantialem, 168.
Formam praecognoscere oportet, et per eam inquirere naturam materiae, 169 n.
Intellectus non cognoscit materiam nisi secundum proportionem ad formam, 168.
Ultimum in cognitione est materia prima, 173.
Materia prima non est nobis cognoscibilis nisi per analogiam ad materiam secundam, 178, 178 n.
Materia prima est potentia passiva substantialis; secunda autem est potentia passiva vel receptiva accidentalis, 39.
Materia prima est pura potentia passiva vel receptiva; materia vero secunda non est pura potentia receptiva, sed potentia receptiva accidentium tantum, cum ipsa iam sit in actu substantiali, 39.
Materia prima signata quantitate est principium individuationis substantiae corporalis, 222, 222 n.

Materia *in qua* est subiectum inhaesionis vel susceptivum formae accidentalis, 28, 29.
Duplex est: subiectum *quod* —primum—, scilicet substantia prima vel suppositum respectu omnium accidentium; et subiectum secundum sive *quo*, nempe aliud accidens quo mediante quaedam alia accidentia vel qualitates inhaerent subiecto primo, 29.

Materia *circa quam* est obiectum materiale vel terminativum in quod incidit et circa quod versatur actus potentiae vel habitus, 28, 30.
Est duplex: totale vel adaequatum et partiale sive inadaequatum, 32, 33.
Partiale geminum: per se et per accidens, 33.
Per se iterum duplex: principale sive primarium et secundarium, 29, 33.
Omnia haec obiecta materialia ordinata sunt et analogantur analogia attributionis, 33.
Obiectum materiale qua *obiectum* dicitur per prius de principali quam de secundario, qua *materiale* vero dicitur per prius de secundario quam de principali, 30.
Obiectum secundarium est pure et totaliter materiale vel terminativum; primarium autem non est pure et totaliter materiale vel terminativum, cum sit formale et motivum respectu secundarii, et ideo dicitur etiam obiectum formale *quod*, 30.

Mathematica

Mathematica assimilatur Logicae, quia utraque considerat res secundum principia formalia tantum, 199, 216.
Obiectum Mathematicae est pura et mera quantitas prout mensurabilis et numerabilis, idest secundum rationes et proportiones eius, quae sunt purae relationes quantitatis ad quantitatem ut sic, 196, 216.
Mathematica considerat intentiones secundas intellectas quas ratio considerando facit in proprio actu versante circa nudam quantitatem, 216.
Mathematica definiuntur sine materia et motu, 198.
In eorum definitionibus non ponitur materia sensibilis neque motus, et ideo non demonstrat per causam efficientem et finalem, 199.
In scientiis mathematicis non demonstratur aliquid per causam agentem, 199 n.
Mathematicus non demonstrat per causam efficientem et finalem, 199.
In scientiis mathematicis proceditur per ea tantum quae sunt de essentia rei, 199.
Mathematica duplex: pura et applicata sive physico-mathematica, 199.
Mathematica pura gemina: arithmetica, quae est de numeris sive de quantitate discreta; et geometria, quae est de magnitudinibus sive de quantitate continua, 198, 216.
Mathematica mixta sive physico-mathematica multiplex, puta Astronomia, Optica, Musicologia, 199, 211 n.
Scientiae mixtae vel physico-mathematicae, quae et mediae dicuntur, plus habent de mathematica quam de physica, 199.
Quod in eis est physicum est quasi materiale, quod autem est mathematicum est quasi formale, 199.

Musica sive Musicologia est scientia physico-mathematica, quia considerat sonos non in quantum sunt soni, sed in quantum sunt proportionales secundum numeros, 199.
Subalternatur Arithmeticae, 201 n.

Medicina

Medicina subalternatur Physicae, scilicet Anatomiae, Biologiae et Physiologiae, 201, 201 n.
Obiectum Medicinae est corpus naturale humanum: non quidem ut naturale —tunc enim esset obiectum Physicae vel Somatologiae—, sed ut sanabile; et quidem non ut sanabile a natura, sed ut sanabile per artem, 201 n.
Obiectum Medicinae duplex: per se, corpus humanum ut sanabile per artem; et per accidens, idem corpus ut aegrotabile vel aegritudinibus obnoxium, 33.
Obiectum per se geminum: principale, ipsa sanitas per artem procuranda; et secundarium, ea omnia quae per se dicunt ordinem ad talem sanitatem, ut pharmacum sanum, cibus sanus, aer sanus et alia id genus, 33.

Medium

Medium est bonum utile, 20-22.
Duplex: purum vel solum medium, et medium quod simul est finis proximus vel intermedius, 20-22.
Purum medium geminum: aliud per intrinsecam participationem boni; aliud per merum respectum ad bonum intrinsecum finis, quo in casu dicitur bonum mere utile, 20, 21, 22.
Medium virtutis diversimode determinatur a prudentia et a virtutibus moralibus appetitus: quia a prudentia per modum ostendentis et dirigentis; a virtutibus vero mere moralibus appetitus per modum inclinantis, eligentis et exequentis, 90 n.

Memoria

Memoria non solum a natura perficitur, sed habet plurimum artis et industriae, 66 n.
Valde iuvatur atque perficitur arte mnemonica, 66.
Regulae bene memorandi fundamentales quatuor:
a) similitudines quasdam sensibiles et convenientes, nec tamen omnino consuetas, assumere eorum quae quis memorari vult;
b) ordinem ponere atque ordinate disponere ea quae quis memoriter tenere vult;
c) sollicitudinem apponere et affectum adhibere ad ea quae vult memorari;
d) frequenter ea recolere ac meditari, 66 n.

Mensura

Mensura est id quo quantitas rei cognoscitur, 198.
Mensura respectu mensurati habet rationem formae, 198.
Prima mensura numeri, qua omnis numerus mensuratur, est unitas, 198.
Unitas respondet formae, 198.

Meritum

Opus meritorium de condigno vitae aeternae radicaliter et remote est a gratia habituali, formaliter autem et immediate est a caritate eliciente vel imperante, 127.
Meritum vitae aeternae primo pertinet ad caritatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus imperantur et informantur a caritate, 133.
Omnes virtutes habent et participant efficaciam merendi a caritate, 133.
Vis merendi pertinet ad caritatem per essentiam, ceteris autem virtutibus per participationem, 133.
Valor meritorius descendit a caritate ad ceteras virtutes ab ea motas et informatas secundum prius et posterius, 134.
Quanto maiori caritate et gratia actus informatur, tanto est magis meritorium, 134.
Parvum opus ex magna caritate factum est magis meritorium quam magnum ex parva, 134.
Semper quantitas meriti attenditur secundum radicem caritatis, 134-135.
Ille actus est magis meritorius qui est excellentioris virtutis, 134.

Metaphora

Nomina propria corporalium rerum non dicuntur de spiritualibus nisi per translationem, idest per metaphoram, 54 n, 122 n.
Metaphorice dici est idem nomen sortiri propter quamdam similitudinem operationis vel effectus, 54 n, 122 n.
Inter corporalia et spiritualia non attenditur similitudo entitativa vel formalis per participationem eiusdem formae vel qualitatis, sed similitudo dynamica tantum vel virtualis sive quantum ad operationes vel effectus, 122, 122 n.
Huiusmodi similitudo importat analogiam quamdam proportionalitatis metaphoricae: vg., sicut aqua naturalis delet maculas corporis; ita aqua sacramentalis —baptismalis—, quae causat gratiam, delet maculas animae quae sunt peccata, 122.

Metaphysica

Metaphysica abstrahit ab omni materia, et ideo transcendit materiam et formam presse dictas, 205.

Obiectum eius proprium et directum est ens reale ut essentia commune decem praedicamentis et compositum ex potentia et actu ordinis essendi, sive ex essentia et esse, 205, 207, 210.

Metaphysica considerat ordinem rerum immaterialium tam praecisive quam positive sumptarum, 216.

Deus non cadit sub Metaphysica nisi ut causa propria sui obiecti directi, idest entis finiti divisi in decem praedicamenta, et ideo nonnisi indirecte et in obliquo, 210.

Ipsa propria indoles Metaphysicae ut scientia et maxime ut Sapientia postulat ut ad Deum usque se porrigat, veluti ad propriam et primam causam sui proprii obiecti, 211.

Metaphysica est scientia specie una, non obstante infinita distantia materiali inter Deum et creaturas, quia non considerat haec obiecta materialia ex aequo, sed unum directe et aliud indirecte, sive unum in recto et aliud in obliquo: ens nempe commune creatum divisum in decem praedicamenta, directe et propter seipsum; Deum vero sive ens increatum, indirecte et propter ens creatum, veluti causam propriam et primam eius, 211.

Ad eamdem scientiam pertinet considerare proprium suum obiectum et causam propriam eius, 211.

Ad eamdem scientiam Metaphysicae pertinet considerare ens commune finitum et causam propriam eius, quae Deus est, 211.

Metaphysica toto caelo differt a Theologia Sacra quae etiam de Deo et creaturis agit, quia modo et ratione differentibus de utrisque pertractant: Metaphysica quidem, sub lumine rationis naturalis, agit primo et directe de ente communi finito diviso in decem praedicamenta, dein vero et in obliquo de causa propria et prima talis entis, quae Deus est; at vero Theologia Sacra, sub lumine divinae ac supernaturalis revelationis, tractat primo et in recto de ipso Deo sub ratione deitatis ut de obiecto proprio, ac dein et in obliquo de ente creato sive finito, prout nempe est effectus Dei vel ad Deum quoquo modo relatum, 210.

Metaphysica definit ac demonstrat per omnes causas, 205.

Non tamen definit neque demonstrat per causam materialem et per causam formalem presse dictas sicut philosophia Naturalis, sed sensu quodam ampliori et analogico sumptas, pro potentia scilicet et actu, quae dividunt ens commune finitum et omne genus eius, idest omnia et singula eius praedicamenta, 205.

Potentia siquidem habet rationem subiecti receptivi, actus vero rationem perfectionis receptae; et ambo simul analogiam important proportionalitatis propriae cum materia et forma ad invicem comparatis, 205.

Maxime definit ac demonstrat per causam formalem, eo quod obiectum eius directum est ens reale *ut essentia* commune decem praedicamentis, 205.

Essentia siquidem significatur per modum *formae*, et nominat quidditatem rei ut est forma totius, 207.

In quantum Metaphysica est considerativa entis, considerat maxime causam formalem, 207.

Definit quoque ac demonstrat per causam quasi materialem *in qua*, quia haec ipsa essentia praedicamentalis comparatur ad esse existentiae ut recipiens ad receptum, sive ut potentia receptiva ad actum receptum, 207-208.

Definit etiam atque demonstrat per causam efficientem entis communis finiti sive participati, quae est Ens per essentiam, scilicet Deus, 208.

Omne quod est per participationem causatur ab eo quod est per essentiam, 209, 210.

Definit tandem ac demonstrat per causam finalem universi entis finiti sive praedicamentalis, quae est Deus ipse, quia ordo finium respondet ordini agentium, 211.

Universa propter semetipsum operatus est Deus, 211, 212.

Et quidem, utpote Sapientia, maxime demonstrat per causam finalem ultimam, quae revera est simpliciter prima omnium causarum, 212, 212 n.

Quin *etiam intra proprium ac directum eius obiectum*, quod est ens commune finitum divisum in decem praedicamenta, Metaphysica definit ac demonstrat per omnes causas, 212-215.

Demonstrat per causam formalem et finalem praecipue, et etiam agentem, 215.

Per causam quidem formalem, quatenus considerat ens commune reale finitum ut *essentiam*, quae nominat causam formalem, 212.

Per causam quasi materialem *in qua*, quatenus unum ens est subiectum alterius, puta substantia completa est subiectum omnium accidentium, et unum accidens, vg. quantitas, alius vel aliorum, 212-213. Vide *Subiectum, Substantia, Accidens.*

Per causam efficientem, in quantum accidentia connaturalia causantur vel emanant a substantia cuius sunt, 213.

Unumquodque accidens procedit ab alio virtute participata a substantia, 213-214.

Per causam finalem, quatenus accidentia sunt propter substantiam, substantiae inferiores propter superiores, et nonnumquam unum accidens propter aliud, 213.

Moralis

Philosophia Moralis considerat ordinem quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis, 216.

Nullus motus ponitur in genere moris nisi habita comparatione ad voluntatem, 203.

Ibi incipit genus moris ubi primo dominium voluntatis invenitur, 203.

Actus et habitus humani bifarie considerari possunt: in esse naturali vel psychologico et in esse morali, 202.

Moralitas sive bonitas et malitia moralis est quoddam accidens actus et habitus humani psychologici, 202.

Esse morale actus humani se habet ad esse naturale vel psychologicum ut quale ad substantiam, 202.

Moralitas analogice convenit actibus et habitibus rationis et voluntatis ceterarumque potentiarum hominis prout a ratione et voluntate dependent, 203.

Non possumus perfecte ad scientiam moralem pervenire nisi sciamus potentias animae, 201.

Moralista perfectus debet apprime cognoscere psychologiam humanam et universam Anthropologiam, 203.

...of Divinity Library

Philosophia Moralis sive Ethica non induit proprie loquendo rationem scientiae nisi accipiat principia a Psychologia eique continuetur, 204, 204 n.

Philosophus moralis accipit supremum principium suae scientiae, scilicet doctrinam de ultimo fine hominis naturali, a Psychologia; theologus autem moralis a fide, quae et finem ultimum hominis supernaturalem ostendit, 204, 204 n.

Scientia Moralis subalternatur proprie Psychologiae sive scientiae de anima humana, 201.

Moralis et Medicina analogantur, in quantum sicut Medicina subalternatur Somatologiae ita Moralis Psychologiae; et sicut Medicina agit de corpore humano ut sanabili per artem, ita Moralis agit de anima ut sanabili per virtutes, 201.

In moralibus forma actus attenditur principaliter ex parte finis, 205.

Finis duplex: operis et operantis, 204.

Actus humani in esse psychologico specificantur a fine operis; in esse autem morali a fine operis et a fine operantis, 204.

Tota moralis supernaturalis fundatur in imagine Dei et in exemplari divino quod omnes imitari debent, 161.

Vita christiana vel supernaturalis est propria filiorum Dei et membrorum Christi, quem imitari eique conformari debent, 163.

Philosophia Moralis demonstrat per omnes causas sicut Psychologia cui subalternatur, 203.

In moralibus praecipuae demonstrationes ex fine sumuntur, 205.

Motus

Motus generationis est via ad substantiam, 165 n.

Est ens imperfectum et quasi via ad ens in actu, 165.

Motus localis est primus omnium motuum, 8-9.

Movere

Moveri et esse sive fieri et esse non conveniunt univoce, sed analogice in ratione entis, 165.

Movere dicitur proprie de causa efficienti, et nonnisi per quamdam extensionem atque similitudinem dicitur de causa finali, 164, 165.

De ratione causae efficientis et finalis est movere, 169.

Finis movet agentem, sed non movetur ab agente, 169.

Causa efficiens se habet ad causam finalem ut movens mota, finalis vero ad efficientem ut movens immota, 169.

Aliter movet finis et aliter agens. Finis movet ut bonum, idest per modum obiecti attrahentis et quoad specificationem actus ab eo excitati; agens e contra movet per modum subiecti impellentis et quoad exercitium actus ab eo producti, 169.

Finis movet ut ratio agendi, agens vero ut exercens vel exequens motum ipsum, 169.

Ex fine sumitur ratio efficientis, 172.

...of Divinity Library

Finis ut finis movet ut *quo*, agens autem ut agens movet ut *qui*, 169.

Finis movet ut est in intentione, agens vero ut est in re, 169-170.

Finis non est causa entitatis causae efficientis, sed causalitatis eius; agens vero est causa entitatis causae finalis, sed non causalitatis eius, 170, 174, 174 n.

Causalitas finis pertinet ad ordinem intentionis, causalitas vero agentis spectat ad ordinem executionis, 174.

N

Natura

Natura a nascendo dicta, quasi nascitura, 51 n.

Primo nominat generationem viventium, quae nativitas dicitur, 51 n.

Significat principium per se motus vel operationis naturalis, 51.

Significat essentiam vel substantiam corpoream viventem, secundum quod habet ordinem ad propriam operationem, 51.

Naturalia et quae semel fiunt, consueta non dicuntur, 85-86.

Natura et Deus, 26-27. Vide *Analogia*.

Necessarium

Necessarium et contingens sunt e primis differentiis entis, et nonnisi analogice conveniunt, 95.

Necessarium est quod non potest non esse, 166.

Necessarium consequitur ad rationem causae, 166.

Necessarium dicitur multipliciter sicut et causa, et quidem multiplicitate analoga, 166.

Modi necessitatis reducuntur ad quatuor, iuxta quatuor genera causarum, 166.

Necessitas ex causa formali et ex causa materiali, quae sunt causae intrinsecae, dicitur intrinseca, absoluta et simpliciter accepta; necessitas vero ex causa finali et efficienti, quae sunt causae extrinsecae, dicitur et ipsa extrinseca, conditionalis et secundum quid, 166.

Et quidem necessitas ex causa agenti vel efficienti dicitur necessitas coactionis; necessitas vero ex causa finali dicitur necessitas medii, et interdum etiam utilitas, 166.

Hi quatuor modi necessitatis dicuntur analogice sive secundum prius et posterius: per prius nempe de necessitate intrinseca, et per posterius de necessitate extrinseca, 166-167.

Et quidem necessitas intrinseca vel absoluta dicitur per prius de necessitate ex causa formali, et per posterius de necessitate ex causa materiali, 167.

Necessitas extrinseca similiter dicitur per prius de necessitate coactionis quam de necessitate finis, praesertim cum ad simplicem utilitatem vel ad melius esse reducitur, 167.

Nitor

Nitor proprie dicitur de corporalibus perlucidis, cui directe opponitur macula, 123.
Metaphorice vero dicitur nitor de spiritualibus, cui directe opponitur peccatum, ut nitor animae, ad similitudinem nitoris corporis, 123.

Nomen

Aliud est etymologia nominis, aliud eius significatio, 146 n.
Nomina propria corporalium rerum non dicuntur de spiritualibus nisi per translationem sive per metaphoram, 54 n. Vide *Analogia proportionalitatis metaphoricae.*
Nominibus pertinentibus ad motum localem utimur ad significandum alios motus, 8 n.
Unumquodque nominatur a nobis secundum quod ipsum cognoscimus, 54.
Nomina quae rebus spiritualibus signandis imponimus, primo dicta sunt de corporalibus sensu obiectis, 54.

O

Obiectum

Res iactata sive proiecta contra potentiam vel habitum operativum et coram eis posita, vocatur obiectum: eique respondet actus vel motus potentiae vel habitus exinde provocatus, qui ad illudmet terminatur, et nomen accipit materiae *circa quam*, 28.
Vocatur etiam obiectum materiale vel terminativum, quia in illud incidit et in illo terminatur impetus potentiae vel habitus, 28.
Obiectum terminativum duplex: totale vel adaequatum et partiale vel inadaequatum, 32, 33.
Inadaequatum duplex iterum: per se et per accidens, 33.
Rursus per se geminum: primarium et secundarium, 28, 29, 32.
Obiectum materiale in ratione *obiecti* dicitur per prius de obiecto principali quam de secundario, sed in ratione obiecti *materialis* dicitur per prius de obiecto secundario quam de principali, 30.
Obiecta materialia alicuius potentiae vel habitus ordinantur et analogantur secundum prius et posterius ad unum primum et maximum quod est obiectum per se et principale, a quo habet unitatem, 32, 33.

Obiectum triplex: pure formale —motivum, formale *quo*—, pure materiale —pure terminativum, materiale secundarium—, et partim materiale et partim formale, sive partim motivum et partim terminativum —formale *quod*, materiale primarium: terminativum respectu pure motivi, et motivum respectu pure terminativi—, 30.

Ontologia

Ontologia, nomen invectum a Rodulpho Goclenio, 205, 205 n.
Est scientia de ente reali ut essentia, communi decem praedicamentis in eaque analogice diviso, 205, 207.
Proprium ac directum obiectum Ontologiae est ens creatum sive finitum transcendens decem praedicamenta in eisque tamen imbibitum, non ens increatum, neque ens reale in tota sua latitudine prout commune est Deo et creaturis, 210.

Operatio

Operatio agentis in finem ducens potest esse duplex: *factiva* rei quae est finis, quando finis non excedit virtutem eius quod operatur propter finem; et *meritoria* tantum rei quae est finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem, 174.
Actio sive operatio est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiae vel essentiae, 181.

Opinio

Opinio est effectus syllogismi dialectici, 83.
Habitus opinativus non habet rationem habitus per se et quoad essentiam suam, sed solum quoad statum vel modum habitualem ex parte subiecti, 84.
Non causatur uno solo actu, etiam ex parte subiecti principalis sive intellectus possibilis, sed pluribus iteratis et congregatis, 83-84.
Quantum ad nudam essentiam suam, per comparationem ad obiectum proprium et formale eius a quo specificatur, non est habitus presse dictus, sed mera dispositio, 84.
Ars et prudentia sunt in opinativa parte animae, et circa contingentia aliter se habere, 84.

Optica

Optica est scientia physico-mathematica, 199.
Subalternatur Geometriae, cuius conclusiones accipit ut principia propria, 202.

Est de linea in quantum est visualis, dum Geometria est de linea in quantum linea, idest ut pure mensurabilis vel figurabilis, 202.

Opus

Opus naturae est opus Intelligentiae, 142.

Ordo

Nomen ordinis, 1-13. Unde sumatur, 4. Plura et diversissima significat, 1, 3. Non est nomen univocum, 3. Neque pure aequivocum, 3-4. Sed analogum, 4, 13, 17.

Evolutio eius semantica, 4-13. Prima eius impositio in arte textili, 4, 11. Series recta filorum, 4, 11. Series transversa, 4, 11. Trama sive orditura, 4, 11. Primordium et exordium, 4.

Eius extensio sive ampliatio ad alia similia vel connexa significanda, 4, 11. Series ordinata dentium naturalium, 4, 11; artificialium, 4, 11; rotarum et machinarum, 4, 11. Ordinata series remorum, 4 11; arborum, lapidum, columnarum, 4, 11. Series ordinata militum stantium, incedentium, pugnantium, 4, 11-12. Duces militum —ordinarii—, 5, 12. Duces militae christianae, scilicet episcopi residentiales —ordinarii loci—, 5. Ordinationes —leges vel decreta eorum—, 5.

Ordines sedilium, 5, 11; sedentium, 5, 12; classium socialium, 5, 12; ordo laicorum, clericorum religiosorum in Ecclesia 12. Ordines sacri maiores et minores 5, 12. Ordo officii divini recitandi Missaeque celebrandae, 5, 12.

Ordo quantitas continuae —conlocatio, situs, ordo localis—, 5, 6, 7, 12; quantitatis discretae —numerorum—, 6, 12; quantitatis virtualis sive perfectionis, 6-8, 12; ordo motus localis, augmenti, alterationis et generationis —sequitur quantitatem—, 8-9, 12-13; ordo temporis —sequitur ordinem motus—, 9-10, 13; ordo simplicis emanationis sine motu, 10, 13; ordo naturalis originis, 10-11, 13; ordo naturalis originis Filii a Patre et Spiritus Sancti a Patre Filioque, 13.

Res per nomen ordinis significata, 6, 14-17.
Descriptio stoicorum, Quintiliani, S. Augustini, 6.
Propriissima eius acceptio in rebus creatis, 14.
Ordo est relatio, 14-15 n.
Requisita ad ordinem presse dictum, 14-16.
Ex parte *rerum ordinatarum* requiruntur sex:
a) existentia realis, 14;
b) pluralitas sive multiplicitas realis, 14-15;
c) ordinabilitas earum inter se vel ad unum tertium, 14;
d) realis distinctio inter se, 15;
e) inaequalitas realis, 15;
f) aliqua realis covenientia, 15.
Ex parte *ipsius ordinationis* requiruntur duo:
a) aliquod primum vel maximum respectu cuius in seriem ordinatam rediguntur, 15-16;

b) ipsa relatio rerum ordinatarum cum inter se tum potissime ad illud primum et maximum, quod est principium et ratio ordinationis, 16.
Descriptio ordinis presse dicti: relatio plurium distinctorum et inaequalium simulque aliquatenus convenientium ad aliquod unum et primum, secundum prius et posterius sive secundum magis et minus, 16.
Descriptio Catechismi Concilii Tridentini: dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur, 16.
Re concidit cum notione analogiae, et quidem attributionis, 17.

Genera fundamentalia ordinum, 19-185.
Respondent generibus causarum, 19; et modis analogiae attributionis, 19; atque ideo secundum multiplicationem causarum multiplicantur et ordines, 19.
A qualibet causa derivatur aliquis ordo in suos effectus, 220.
Secundum multiplicationem causarum multiplicantur et ordines, 220.
Unus ordo continetur sub alio sicut una causa sub alia, sive in eodem sive in diverso genere causae, 220-221. Vide *Causa*.
Ordo et analogia attributionis bonorum secundum genus causalitatis finalis, 19-22. Vide *Bonum, Finis*.
Ordo et analogia attributionis secundum genus causalitatis efficientis, 23-27. Vide *Agens, Efficiens*.
Ordo et analogia attributionis secundum genus causalitatis formalis, 36-163.
Secundum genus causae formalis intrinsecae, 36-141. Vide *Forma*.
Secundum genus causae formalis extrinsecae sive exemplaris, 142-163. Vide *Exemplar, Idea*.
Ordo et analogia secundum genus causae materialis, 28-35. Vide *Materia*.
Ordo et analogia inter diversas acceptiones formae, 36-40.
Ordo et analogia inter diversas acceptiones materiae, 28.
Ordo et analogia inter ipsa quatuor genera causarum, 164-185.

Ordo universi duplex: immanens, idest partium universi ad invicem; et transcendens, totius nempe universi ad Deum, 218.
Ordo transcendens est praecipuus, et propter ipsum est ordo immanens, 218.
Ordo universi est bonum eius commune, 219.
Bonum commune universi duplex: immanens, quod consistit in ordine vel coordinatione partium eius ad invicem; et transcendens, quod situm est in ordine totius universi ad Deum, 218-219, 239, 239 n.
Ordo sive bonum commune immanens universi est optimum in tota rerum creatarum universitate, 219; et maximum bonum post divinam bonitatem, quae est bonum commune transcendens et separatum, 218-219.

Ordo immanens universi ordine et connexione causarum contexitur, 219.
Partes universi habent ordinem ad invicem secundum quod una agit in aliam, et est finis alterius, et exemplar, 220.
Ordo universi attenditur secundum quod una creatura agit in aliam, et secundum quod una fit ad similitudinem alterius, et secundum quod una est finis alterius, 220.
Totus ordo universi coalescit ex ordine causarum et ex ordine effectuum, 230.

Per ordinem partium ad invicem constituitur universum in sua totalitate, quae est optimum ipsius, 220.

Ordo immanens totius universi creaturarum et partium eius debet intelligi et explicari non solum per unum genus causae iuxta diversos modos eius, sed etiam, et quidem praecipue, per omnia genera causarum simul sumpta et inter se mutuo ordinata, 221.

Ordo partium universi inter se triplex: alius rerum sive partium naturalium; alius partium sive rerum supernaturalium; tertius rerum naturalium et supernaturalium simul inter se, 221, 231, 235, 236.

Ordo *naturalis* sive rerum naturalium universi inter se triplex: alius rerum pure corporalium sive terrestrium sive caelestium; alius rerum pure spiritualium, scilicet angelorum; tertius rerum ex spiritu et corpore coalescentium, nempe hominum, 221.

Horum ordinum tam omnium quam singulorum cognitio duplex: alia perfecta, alia imperfecta, 221.

Ordo rerum pure corporalium duplex: unus substantiarum, alius accidentium, 222.

Substantiarum geminus: alius formalis, specierum, per se; alius materialis, individuorum, per accidens, 222.

Ordo specierum est principalis et per se spectans ad bonum universi, dum ordo individuorum est mere secundarius et non pertinens per se ad tale bonum, sed solum indirecte ratione speciei sub qua continetur, 222.

Perfectius participant ordinem species quam individua, idest ea in quibus est ordo per se quam ea in quibus est ordo per accidens tantum, 42.

Perfectio universi essentialis non attenditur in individuis, sed in speciebus per se, 222.

Universi perfectio attenditur quantum ad species, non autem quantum ad individua, 222.

Ordo individuorum est sub ordine specierum, 222.

Etiam causa materialis et causa formalis conferunt ad bonum universi, 220.

Ad ordinem universi requiritur multitudo partium eius una cum earum distinctione et inaequalitate, quae ex causa formali et materiali sensu stricto vel latiori acceptis sumuntur, 220.

Distinctio formalis sive essentialis, quae potissima est in ordine universi, secum fert semper inaequalitatem, 220.

Ordo partium alicuius totius est sicut forma eius, 219.

Ordo universi est quasi ultima forma eius, 219.

Forma universi consistit in dinstinctione et ordine partium eius, 220.

Ordo accidentium duplex: accidentium speciei, quae et *propria* dicuntur et respondent formae; et accidentium individui, quae materiae respondent et commune nomen accidentis retinent, 223-224.

Accidentia naturalia non pertinent per se neque principaliter ad ordinem et perfectionem universi, sed ratione speciei vel individui ad quae reducuntur ut ad principia et causas, 224.

Ordo atque perfectio universi potius est in substantiis quam in accidentibus, 224.

of Divinity Library

Ordo ac bonum universi vel in rebus ipsis pure corporalibus maxime in speciebus sive in formis substantialibus reponitur, 224.

Ex diversitate formarum sumitur ratio ordinis rerum, idest actionum et agentium, finium et materiae, 224-225; siquidem unumquodque agit secundum suam formam, 225; ordo finium respondet ordini agentium, 225; et diversis formis diversae materiae respondent, 225; ac denique ex diversitate formarum et materiarum et agentium sequitur diversitas proprietatum et accidentium, 225.

Cum actio sequatur naturam rei, quorumcumque naturae sunt ordinatae oportet etiam actiones sub invicem ordinentur, 229.

Ordo rerum ex corpore et spiritu coalescentium, 226-227. Vide *Homo*.

Homo est finis totius mundi adspectabilis, 226-227.

Ad hominem omnes aliae creature corporales ordinantur, 227.

Homo est pars principalis et essentialis universi, 227.

Ordo rerum pure spiritualium, idest angelorum, 227-230. Vide *Angelus*.

Ordo ac perfectio universi maxime consistit in substantiis separatis, 228.

Angeli sunt partes principales universi, 227-228.

In substantiis separatis tot sunt species quot individua, 227-228.

In ipsis invenitur semper ordo formalis et per se, 228.

Ordines angelorum sunt partes potentiales hierarchiae, 48.

Numerosiores sunt quam res corporales et homines simul, 228.

Habent rationem finis respectu rerum corporalium et irrationalium intra ambitum totalitatis universi, 228.

Sola intellectualis natura est propter se quaesita in universo, alia autem propter ipsam, 228.

Ordo causalitatis finalis inter angelos ceterasque creaturas, 228.

Ordo causalitatis efficientis inter ipsos angelos, et inter eos et creaturas inferiores, homines nempe et creaturas pure corporales, 228.

Ordo integralis omnium rerum naturalium resultat ex tribus praedictis ordinibus mutuo coordinatis, 229-230.

Talis est ordo rerum ad invicem, ut quaecumque inveniuntur in inferiori natura inveniuntur excellentius in superiori, 47.

Ita enim est in omnibus, quod perfectiones quae attribuuntur inferiori per multa, superiori attribuantur per unum, 47.

In rebus ordinatis tripliciter aliquid esse contingit, scilicet per proprietatem, per excessum et per participationem, 48.

Secundum haec duo invenitur ordo in rebus, secundum scilicet quod una est *melior* alia et secundum quod una ab alia *movetur*, 225.

Quia nimirum superiora agunt in inferiora, 225; et inferiora sunt propter superiora sicut propter finem, 225-226.

Finis ultimus omnium Deus est. Sunt tamen et alii fines sub isto fine, secundum quod una creatura ad aliam ordinatur, imperfectiora scilicet ad perfectiora, ut materia ad formam, elementa ad mixta, plantae ad animalia, animalia ad homines, 226 n.

Universaliter loquendo, in omnibus coordinatis ad invicem prima agunt in posteriora, 229; superiora in inferiora, 229; angeli in homines et in creaturas inferiores, 229; atque etiam superiora in entibus sunt exemplaria inferiorum, 230.

Ordo universi totus consistit in ordine causarum unius creaturae in aliam, maxime autem in ordine causae formalis, efficientis et finalis, 230.

Ordo *supernaturalis* sive rerum supernaturalium, 230-237.
Ordo rerum supernaturalium proprie vel reductive pertinet ad ordinem gratiae, 231.
Ordo supernaturalis intelligitur et explicatur ex causis supernaturalibus sicut ordo naturalis ex naturalibus, 231.
Ordo gratiae non habet alium superiorem ordinem, 230-231.
Ordo gratiae duplex: ordo gratiae gratum facientis et ordo gratiae gratis datae, 231.

Ordo *gratiae gratum facientis* pendet ac sumitur ex omnibus causis eius, 234.
Ex causa finali, quae est gloria Dei et Christi et vita aeterna, 234, 235.
Ex causa efficienti duplici: physica et morali sive meritoria, 234, 235.
Causa physica gemina: propria et principalis —ipse Deus—, et instrumentalis, tam coniuncta —Humanitas Christi— quam separata —Sacramenta Novae Legis—, 234, 235.
Causa meritoria universalis duplex: principalis et de condigno —Christus Homo— et secundaria ac de congruo —Beata Virgo—, 234, 235.
Ex causa formali, quae est ipsa gratia habitualis, habitus nempe entitativus deificans animas nostras, 234, 235.
Ex causa quasi materiali *in qua:* ipsa essentia animae secundum potentiam eius obedientialem, 234.
Ex causa exemplari: ipsa divina natura quam per gratiam participamus et imitamur, 234.
Atque ex ipsa gratia habituali ordinate procedunt per quamdam quasi emanationem connaturalem omnes virtutes infusae ac dona Spiritus Sancti, 234.

Ordo *gratiae gratis datae*, 231-234.
Gratia gratis data ordinatur ad gratiam gratum facientem ut medium ad finem, 232.
Datur ad utilitatem, ut scilicet per eam unus homo cooperetur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur, 231.
Est gratia quaedam exterior ministerialiter concurrens ad salutem aliorum per verba et facta supernaturalia, 232.
Ad facta supernaturalia confirmantia doctrinam vel sanctitatem praedicantis veritatem divinam reducuntur miracula, 232.
Ordo miraculorum quoad substantiam facti, quoad subiectum in quo fit et quoad modum quo fit, iuxta triplicem excessum facti miraculosi supra vires vel facultates naturae, 233.
Ordo miraculorum secundum causalitatem finalem, per respectum ad summum et maximum miraculum, nempe ad incarnationem Verbi, quod miraculum miraculorum appellatur, 233-234.

Ordo rerum *naturalium et supernaturalium inter se*, 231, 235-237.
Gratia et virtus imitantur naturae ordinem, 231.
Inter ordinem naturae et ordinem gratiae sive inter ordinem naturalem et supernaturalem nulla est oppositio, sed mutua harmonia et concentus secundum analogiam quamdam proportionalitatis, 231.

Ordo naturae et gratiae sive rerum naturalium et supernaturalium est et ipse ad invicem ordinatus sive coordinatus secundum causam formalem et maxime secundum causam finalem, 235-237.
Secundum genus causae formalis totus ordo naturae est sub ordine gratiae, 235.
Praesertim vero tota natura subordinatur gratiae et gloriae secundum genus causae finalis, 236.
Totus ordo naturae est propter ordinem gratiae et gloriae, 236.
Gloria angelorum et hominum est finis operationis ipsius naturae per gratiam adiutae, 236.
Perfectio gloriae est ultima rerum consummatio, 236.
Ultima perfectio, quae est finis totius universi, est perfecta beatitudo sanctorum, 236.
Tota generatio hominis ordinatur ad complendum numerum electorum, 236.
Motus caeli est propter implendum numerum electorum, 236.
Finis motus caeli est multiplicatio rationalium animarum, 236.
Completio numeri electorum est finis motus caeli, non secundarius sed principalis, 236.
Perfectio universi duplex: prima, quae consistit in partibus essentialibus universi et diversis speciebus; et ultima, quae surgit ex consummatione ordinis beatorum, 236, 241.

Ordo *transcendens* totius universitatis creaturarum ad Deum, 218-219.
Ordo totius universitatis creaturarum inter se reducitur in Deum sicut in propriam causam exemplarem, efficientem et finalem, 238.
Exemplarem quidem, quia ipse est agens per intellectum, et ideo necesse est quod ipse habeat ideam ordinis universi, 238.
Efficientem etiam: tum quia talis ordo est optimum in omnibus entibus creatis, et id quod est optimum in causatis reducitur ut in primam causam in id quod est optimum in causis; tum etiam quia est bonum commune totius universi, quod reduci debet sicut in propriam causam in causam communem sive universalem, 238.
Oportet ordinem universi reducere in Deum sicut in causam propriam, 238.
Id quod maxime curat Deus in rebus creatis est ordo universi, 238.
Finalem denique, quia ordo partium ad finem est fini propinquior quam ordo partium ad invicem et quodammodo causa eius, 238-239.
Ordo omnium diversorum ordinatorum ad invicem est propter ordinem eorum ad aliquid unum, quod est principium et finis eius, 239.
Est ergo finis quidam universi aliquod bonum commune immanens in ipso existens, scilicet ordo ipsius universi; sed ultra et supra talem finem est alius finis, nempe bonum commune transcendens et divinum, ad quod ordinatur totus ordo immanens universi ut ad ultimum finem, 239, 239 n.
Universum est unum unitate ordinis, non unitate substantiae, 237.
Omnia quae sunt in mundo vel ad mundum pertinent, sunt ordinata inter se et ad Deum, idest ordinata uno ordine et ad unum, quod est primum et universale principium totius ordinationis, 237.
Totum ergo universum creaturarum est effectus divinae sapientiae, et ideo ordinatissimum in omnibus et singulis eius partibus, 240.
Quidquid est in mundo, totum ordinatum est, 240.

In mundo quaelibet pars suum locum ordinatissime tenet, 240.
Partes mundi sunt optime et ordinatissime dispositae secundum suam naturam, 240.
Deus per suam Sapientiam praeordinavit in qua mensura deberet esse totum universum, et quis numerus esset conveniens essentialibus partibus universi, et eorum quae per se ad talem ordinem pertinent, ut species; aliorum vero, ut individuorum, secundario et ratione principalium ordinavit, 241.

Universa philosophia ut Sapientia reducitur ad considerationem ordinis naturalis, 215-216.
Ordo est proprium et formale obiectum Sapientiae, 215.
Divisio Sapientiae vel philosophiae sumitur secundum diversas habitudines eius ad ordinem, 215, 216.
Ordo quem Sapientia considerat tantum et non facit, est ordo obiectivus in rebus ipsis extra animam constitutus, 216.
Qui quidem geminus est est: alius physicus, in rebus corporalibus et sensibilibus mundi huius adspectabilis, et talis ordo est proprium obiectum philosophiae Naturalis; alius vero metaphysicus, rerum scilicet immaterialium et insensibilium, et iste pertinet ad Metaphysicam, 216.
Ordo quem Sapientia considerando facit est duplex: alius rationalis, idest in operationibus rationis; alius moralis, nempe in operationibus voluntatis libere agentis, 215-216.
Ordo moralis, quem scilicet Sapientia considerando facit in operationibus voluntatis libere agentis tam elicitis quam imperatis, pertinet ad philosophiam Moralem, 215.
Ordo rationalis, quem nimirum Sapientia considerando facit in operationibus rationis, idest in secundis intentionibus rerum intellectarum ut intellectarum, rursus duplex est: alius universalis omnium rerum, nempe ordo logicus, et hic spectat ad Logicam; alius restrictus ad quantitatem tantum qua talem, scilicet ordo mathematicus, et hic pertinet ad Mathematicam, 215-216.
Ultima perfectio naturalis quam homo consequi potest per philosophiam est ut in intellectu eius possibili describatur totus ordo naturalis universi et causarum eius, 241-243.

P

Participatio

Illud habetur per participationem quod deficienter et non plenarie habetur, 48, 59.
Perfectio superioris attribuitur inferiori per participationem, 48.
Inferiora participant perfectionem superiorum secundum modum suum, 91 n.
Participatum est in participante secundum modum participantis, 91.
Participationes determinantur in participantibus ex capacitate et natura participantium, 91 n.
Quod participatur a superioribus in inferioribus formale est, 93, 99-100.

...ool of Divinity Library

Passio

Passio et patibilis qualitas pertinent ad tertium genus vel modum qualitatis, 50, 51.
Se habent ad invicem ut remissum vel imperfectum ad intensum vel perfectum in suo genere, 50, 51.
Passio est qualitas tertii generis fluxa et vialis; patibilis vero qualitas est qualitas eiusdem generis fixa et permanens, 50.

Peccatum

Unum peccatum, etiam mortale, non tollit habitum virtutis acquisitae, 85.
Peccatum originale directe et immediate opponitur iustitiae originali, 105.
Peccatum originale est in essentia animae sicut in proprio subiecto *quo*, non in carne neque in potentiis animae, 105.
Peccatum originale est quidam habitus entitativus corruptus, non infusus neque acquisitus per proprium actum personalem, sed per vitiatam originem innatus, 105.

Penetratio

Penetratio, penetrativum: fit in profundum, 55.

Perfectio

Perfectio duplex: alia rei ut res est in seipsa et secundum propriam speciem vel naturam; alia cognoscentis ut cognoscens est, et tunc perfectio unius rei potest esse intelligibiliter in alia, immo et perfectio totius universi omniumque rerum: et sic anima est quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere, 242.
Perfectio quae convenit alicui rei secundum speciem, secundum quodcumque tempus ei convenit, 117.
Perfectiones proportionantur suis perfectibilibus, 88, 90 n.
Superiora sunt formalia respectu inferiorum, quasi perfectiora, 99-100.
Perfectio superioris habitus participata in inferiori habet rationem formae eius, 99.
Superius non perficitur sese attemperando inferiori, sed potius elevando inferius ad seipsum magisque sibi assimilando, 107.
Perfectio universi est illud quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, 228.
Quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt a Deo creata, 228.
Perfectio universi duplex: prima et ultima. Prima consistit in partibus essentialibus universi et in diversis speciebus; ultima est in consummatione ordinis beatorum, 236.

Philosophi

Philosophi non cognoverunt nisi potentias naturales, non autem potentias supernaturales quae sunt characteres sacramentales, 136.
Philosophi non cognoverunt nisi illa animae accidentia quae ordinantur ad actus naturae humanae proportionatos, 119.
Philosophi non tractaverunt nisi de habitibus naturalibus et acquisitis, 119 n.
Nihil simile gratiae et virtutibus infusis invenitur in accidentibus animae quae philosophi sciverunt, 119.
Gratia et virtutes infusae non computantur inter scientias nec inter virtutes nec inter alias qualitates quas philosophi numeraverunt, 119 n.
Hoc genus qualitatum et virtutum philosophi non cognoverunt, 119 n.
Philosophi nihil cognoverunt de virtutibus theologicis, nec de donis Spiritus Sancti, neque de virtutibus cardinalibus infusis, 119.
Secundum philosophos, ultima perfectio ad quam anima potest pervenire, est ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius, 242.
Quidam philosophi, attendentes naturalem perfectionem hominis, dixerunt ultimam felicitatem hominis in hoc consistere, quod in anima describatur ordo totius universi, 243.

Philosophia

Philosophia vi nominis est studium sapientiae, sive Amor vehemens atque assidua mentis applicatio ad sapientiam comparandam, 187.
Ad philosophiam qua scientiam pertinet ex causis veritatem cognoscere definiendo et demonstrando; qua sapientiam vero ordinem perscrutari atque perpendere, 187-188.
Tota ratio divisionis philosophiae sumitur secundum definitionem et modum definiendi, sive secundum diversa genera causarum quae in definitionem atque demonstrationem ingrediuntur, 188.
In omnibus et singulis partibus philosophiae datur ordo causarum per quas definiunt ac demonstrant, 215.
Hic ordo est id quod maxime perfectum et formale est in ipsis, 215.
Ad philosophiam ut Sapientiam praecipue spectat consideratio et perpensio huius ordinis, 215.
Universa philosophia ut Sapientia reducitur ad considerationem ordinis, 215-216.
Partes philosophiae distinguuntur secundum diversam habitudinem sapientiae humanae ad ordinem, 215, 216.

Philosophia Naturalis sive Physica considerat ens mobile seu corpus naturale, 188-189.
Physica sive philosophia Naturalis considerat ordinem obiectivum rerum corporalium et sensibilium huius mundi adspectabilis, 216.
Philosophia Naturalis se extendit usque ad considerationem animae rationalis, quae est forma substantialis corporis humani, 203 n.
Philosophia Naturalis definit ac demonstrat per causam materialem et per causam formalem presse dictas, 205.

In physicis vel naturalibus praecipuae demonstrationes sumuntur ex fine, 205.
Ad Naturalem philosophiam pertinet et omnes causas cognoscere et per omnes naturaliter demonstrare, 189, 215.
Ad philosophiam Naturalem spectat demonstrare praesertim ex causa finali, quae est omnium causarum prima et perfectissima, 189-190.

Philosophia Moralis definit ac demonstrat per omnes causas, ita tamen ut causa materialis et causa formalis sumantur sensu quodam largo et analogico pro materia in qua et circa quam, idest pro subiecto psychico et obiecto materiali, et pro obiecto formali, 203. Vide *Moralis*.

Philosophia Prima sive Metaphysica definit ac demonstrat per omnes causas, ita tamen ut causa materialis et causa formalis accipiantur sensu largiori et analogico pro potentia et actu atque pro essentia et esse, quae dividunt ens finitum et omne genus eius, 205-215.
Prima philosophia definit ac demonstrat potissimum per causam formalem et per causam finalem, 207, 212.

Philosophia Rationalis definit ac demonstrat per solam causam formalem, 194-196.
Philosophiae rationali sive Logicae assimilatur ex hac parte Mathematica, quae etiam definit ac demonstrat per solam causam formalem, 196-199. Vide *Mathematica*.

Piscatores

Piscatores ordiuntur retia, 4.

Potentia

Potentia et actus dividunt ens et quodlibet genus entis, 165, 165 n.
Potentia et actus afficiunt ens finitum ut sic, antecedenter ad divisionem eius in decem praedicamenta, 165.
Potentia et actus participant rationem entis secundum prius et posterius, 165 n.
Unumquodque magis dicitur secundum quod est in actu quam secundum quod est in potentia, 168.
Unumquodque cognoscibile est secundum quod est in actu et non secundum quod est in potentia, 168.
Potentia physica et impotentia sunt in secundo genere vel modo qualitatis, 50.
Impotentia physica se habet ad potentiam ut potentia debilis et nondum perfecte evoluta ad potentiam robustam et plene evolutam, 50.

Potentia duplex: activa et passiva, 139.
Potentia activa et passiva analogantur analogia attributionis intrinsecae, 139 n.

School of Divinity Library

Potentia activa duplex: alia naturalis, ad agendum vel dispensandum res profanas et naturales; alia supernaturalis, ad agendum vel dispensandum res sacras et supernaturales, 138.
Potentia passiva gemina: alia naturalis, per comparationem ad agens naturale; alia obedientialis, per comparationem ad agens primum, quod Deus est, 115, 115 n.

Potentiae naturales animae humanae multiplices sunt: organicae et anorganicae, 56; activae et passivae, 57, 57 n; cognoscitivae et appetitivae, 56.
Potentia anorganica duplex: intellectus et voluntas, 56.
Potentia intellectiva gemina: activa —intellectus agens— et passiva —intellectus possibilis—, 57, 57 n.
Potentiae anorganicae conveniunt homini qua rationalis est; et ideo sunt proprietates sive propria accidentia solius animae, non compositi ex anima et corpore, 56.
Huiusmodi potentiae manent actu in anima separata, 56.
Potentiae organicae duplicis generis: sensitivae et vegetativae, 56.
Sensitivae geminantur in cognoscistivas —sensus tam exteriores quam interiores— et appetitivas —appetitum concupiscibilem et irascibilem—, 56.
Vegetativae omnes sunt potentiae activae, dum sensitivae sunt omnes passivae, 57 n, 65 n.
Potentiae organicae non sunt proprietates solius animae, sed coniuncti, 56, 56 n.
Sunt quidem animae ut principii vel radicis; non tamen solius animae ut subiecti, sed totius compositi ex anima et corpore, 56.
Non manent actu in anima separata, sed in radice tantum, 56.
Conveniunt homini qua animal —sensitivae— vel qua vivens —vegetativae—, non reduplicative qua rationalis, 56.
Potentiae organicae non sunt propter organa, sed organa propter potentias, 192.
Qua ratione potentiae animae distinguuntur in activas et passivas, 57 n.
Non distinguuntur per ordinem potentiae ad operationem, quia omnis potentia operativa habet aliquam operationem, sed per comparationem potentiae ad obiectum, 57 n.
Obiectum se habet ad potentiam activam ut patiens et transmutatum, ad passivam vero ut agens et movens, 57 n.
Omnes potentiae animae ab eius essentia oriuntur et fluunt, ordine tamen quodam naturali, unaque mediante alia, 60.
Potentia suprema oritur immediate ab essentia animae, ceterae vero consequenter una ex alia pro ordine quo accedunt ad illam primam, 60, 61, 127.
Suprema potentia animae rationalis est intellectus, et quidem agens, qui est altior atque nobilior quam intellectus possibilis, 61, 61 n.
Potentiae animae sunt veluti totum potentiale vel analogum attributionis presse dictum, 62, 63-64.
In praedicto ordine potentiarum semper prius salvatur in posteriori, 61.
Nulla potentia passiva potest in actum exire nisi completa per formam sui actus, per quam fit in actu, 70 n.

Potentiae supernaturales sunt characteres sacramentales, 135.
Huiusmodi characteres reducuntur ad secundum genus vel modum qualitatis, 136.

...ool of Divinity Library

Haec potentia supernaturalis est duplicis classis: activa, ad tradenda ea quae sunt divini cultus secundum ritum christianae religionis; et passiva, ad eadem recipienda, 136-139.
Passiva est character baptismi; activa autem est character confirmationis et ordinis, 138-139.

Analogia proportionalitatis propriae inter has potentias supernaturales et potentiam activam et passivam intellectus agentis et possibilis, 136-139.

Positio

Positio non addit supra *ubi* nisi ordinem partium determinatum in loco, 6.

Possibile

Possibile et impossibile multipliciter sive analogice dicuntur secundum quatuor genera causarum, 167.
Proportionem habent ad quatuor modos necessarii: et sic aliqua dicuntur possibilia vel impossibilia intrinsece, absolute et simpliciter, scilicet secundum causas intrinsecas; alia vero dicuntur possibilia vel impossibilia extrinsece, relative et secundum quid, nempe secundum causas extrinsecas, 167.

Principium

Hoc nomem *principium* ordinem quemdam importat, 17, 18, 18 n.
Principium ordinis est ratio ex qua ordo in speciem contrahitur, 17.
Prius et posterius dicitur per comparationem ad aliquod principium, 44.
Semper secundum superveniens priori, perfectius est, 44.
Propter quod unumquodque tale, et illud magis, 29.
Prima principia intellectus sunt tria: duo intellectus simpliciter, nempe principum contradictionis et principium identitatis; et unum intellectus practici, scilicet primum principium synderesеos, 74, 75.
Ordinantur inter se sicut termini ex quibus constant, nempe entis, unius et boni, 75.
Primum omnium est principium contradictionis, quod fundatur super ens; secundum est principium identitatis, quod fundatur super unum; tertium est principium synderesеos, quod fundatur super bonum, 75, 75-76 n.
Naturaliter, necessario et infallibiliter proferuntur ab omnibus, 76-77.
Sunt necessario vera in se —ontologice— et necessario apparent vera omnibus —psychologice—, 64-75.
Est illorum eadem veritas apud omnes et aequaliter nota, 76-77.
Non possunt extingui neque obscurari, 77.
Nullus potest ea ignorare neque mente denegare, licet oretenus neget, 75.
Sunt principia intellectus ut intellectus sive ut natura, non intellectus ut ratio, 76.

Principium contradictionis; ens non est non-ens; et vicissim, non-ens non est ens; impossibile est idem secundum idem simul esse et non-esse; impossibile est idem secundum idem affirmare et negare de eodem, 75.
Principium identitatis: ens est ens, non-ens est non-ens, 75.
Primum principium syndereseos sive intellectus practici: bonum est appetendum et malum fugiendum vel abominandum; bonum est faciendum et malum vitandum, 75.
Principia sunt stabiliora et certiora, 80 n.
Principia sunt quasi quoddam seminarium totius cognitionis sequentis 80 n.
In principiis scientiae tota scientia continetur, 98.
Propositiones syllogismi apodictici sunt principia et causae conclusionis, 81; debent esse in materia necessaria, 81.
Principia se habent ad conclusiones in demonstrativis sicut causae activae in naturalibus ad suos effectus, 98.

Privatio

Privatio et habitus se habent sicut affirmatio et negatio in subiecto, 44.

Processio

Nomen processionis primo est inventum ad significandum motum localem, secundum quem aliquid ordinate ab uno loco per media ordinatim in extremum transit, 10.
Deinde extenditur nomen processionis ad significandum omne illud in quo est aliquis ordo unius ex alio vel post aliud, cum motu vel sine motu, 10.
Processus generationis naturalis humanae: primo est fetus vivens vita plantae, postmodum vivens vita animalis, demum vero vivens vita hominis, 42.

Prophetia

In prophetia tria concurrunt: species, lumen et iudicium, 109.
In prophetia species sensibiles vel intelligibiles se habent ut materiale, ut formale autem se habent habilitas ad eas ordinandas et componendas modo congruenti veritati et lumen supernaturale ad recte iudicandum iuxta sensum Dei, 109.

Proportio

Proportio est habitudo ordinis, 177.
Proportio duplex: directa sive ordinata et inversa sive permutata, 178, 181 n.
Proportionalitas est proportio proportionum, 177.

of Divinity Library

Proprietas

Per proprietatem dicitur esse aliquid in re aliqua, quod adaequatur et proportionatur naturae ipsius, ut rationale homini et intellectuale angelo, 48, 59, 79 n.

Providentia

Hoc habet ordo divinae providentiae non solum in angelis sed etiam in toto universo, quod inferiora per superiora administrentur, 229 n.

Prudentia

Prudentia est circa maxime contingentia et variabilia, scilicet circa agibilia humana in concreto prout sunt hic et nunc, quae in ipso operante consistunt, 84, 84 n, 95.
Habet perfectiorem rationem habitus quam opinio, 86.
Est virtus media inter virtutes morales et intellectuales, 89 n.
Est virtus formaliter intellectualis et materialiter moralis, 89.
Una existens, sese extendit ad totam materiam omnium virtutum moralium, et adhuc amplius; eamque amplius atque profundius attingit, 89.
Sine prudentia nulla virtus moralis esse potest, 85.
Se habet ad ceteras virtutes morales sicut ratio ad appetitum, 89-90.
Est potior et nobilior inter virtutes cardinales, 90, 92.
Est simpliciter principalior omnibus virtutibus moralibus, 89, 90; et optima earum, 94.
Est supremum analogans virtutum cardinalium, 89.
Est principium et causa ceterarum virtutum cardinalium, 90.
Ad prudentiam reducuntur omnes aliae virtutes morales quasi ad causam, 90.
Prudentia est causa omnium virtutum appetitivae partis, 90.
Prudentia est genitrix, custos et moderatrix, omnium virtutum moralium, 90.
Prudentia est rectitudo et complementum bonitatis in omnibus aliis virtutibus, ad eamque pertinet discretio, 90.
Est recta ratio agibilium, 89 n, 92; et ars recte vivendi, 92.
Est virtus generalis in causando et dirigendo per modum ostendentis et imperantis, 90,90 n, 91.
Participatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum, 91.
Actus prudentiae immiscetur actibus omnium aliarum virtutum, 92.
Prudentia assignat et imponit rectum medium modumque rationis ceteris virtutibus moralibus, 92-93.
Est forma aliarum virtutum cardinalium, 92, 93.
Non quidem forma specialis sive specifica, sed communis: nec tamen essentialis neque exemplaris, sed effectiva et finalis, 94, 100.
Est una tantum pro tota materia morali, quia in omnibus moralibus invenitur una ratio veri, 93.

Prudentia ponitur in definitione ceterarum virtutum moralium ut earum forma et analogum princeps, 94.
Non ponitur in definitione ceterarum ut aliquid existens de earum essentia, ad modum quo genus proximum et differentia ultima ponuntur in definitione essentiali, sed sicut causa quodammodo effectiva et finalis ipsarum, sive per participationem: idest ut quiddam participatum in omnibus virtutibus moralibus, in quantum prudentia eas omnes dirigit, 95 n.
Prudentia est finis ceterarum virtutum moralium, 94.
Movet ceteras finaliter, per attractionem ad bonum rationis; et efficienter, per impulsum imperativum ad tale bonum exequendum et assequendum, 94.
In prudentia ceterae virtutes morales essentialiter ac necessario connectuntur, 95.
Prudentia perficit rationem virtutis in omnibus virtutibus moralibus, 99.
Prudentia acquisita causatur ex exercitio actuum unaque simul cum ceteris virtutibus moralibus quas informat; gratuita vero causatur ex infusione a Deo simul cum gratia habituali ceterisque virtutibus infusis, 116.

Psychologia

Psychologia duplex: alia naturalis et philosophica, alia supernaturalis et theologica, 114.
Psychologia naturalis est quaedam pars integralis philosophiae Naturalis, 203.

Pullulatio

Pullulatio vel nativitas est primaeva acceptio nominis natura, 51 n.

Pulsio

Pulsio et impulsio est motus a movente in aliquid aliud, et ideo in ipsa movens se habet ad mobile ut terminus *a quo* est motus eius, 164.

Q

Qualitas

Qualitas proprie dicta est quaedam forma accidentalis, 50.
Qualitates sensu primigenio sunt formae accidentales afficientes atque modificantes substantiam corpoream, 50.
Proprium est qualitatis intendi et remitti, 50.
Qualitatis quatuor genera vel modi bini et bini, scilicet habitus et dispositio, naturalis potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas, forma et figura, 50, 51.

Naturalis ordo inter quatuor genera qualitatis et inter binos modos uniuscuiusque generis, 51.
Qualitas naturaliter venit post quantitatem inter accidentia substantiae corporeae, 51.
Qualitates sunt accidentia propria substantiae corporeae, 51, 56.
Qualitas sensu proprio nominat formam accidentalem, sensu vero largiori formam substantialem vel essentialem, ex qua sumitur differentia specifica quae praedicatur in *quale quid*, 53.
Nomen qualitatis dicitur analogice de his duobus acceptionibus, sicut nomen entis de substantia et accidenti, 53.
Qualitas dicta de quatuor modis vel generibus qualitatis, nominat plura, ordinata tamen secundum prius et posterius ad unum primum quod est habitus entitativus, idest qualitas perfecta primi modi, quae maxime accedit ad formam substantialem, 53.
Nomen qualitatis videtur esse analogum ad quatuor illa genera, non solum analogia inaequalitatis, sed etiam attributionis intrinsecae, 53.
Qualitates primi et secundi generis, depuratae tamen et elevatae, extendi possunt ad res spirituales significandas sensu proprio, licet analogico; qualitates vero tertii et quarti generis, quia circa corporalia essentialiter versantur, extendi non possunt in sensu proprio ad res incorporeas significandas, sed sensu tantum metaphorico, 53.
Qualitates spirituales afficientes et modificantes substantias spirituales separabiles vel separatas, toto caelo differunt a qualitatibus corporalibus, 53-54, 55.
Inter qualitates secundi generis, idest inter potentias naturales hominum et angelorum, datur ordo prioris et posterioris, idest analogia, 58, 62-63.
Similis ordo vel analogia viget inter diversas potentias naturales unius hominis, organicas nempe et anorganicas, vegetativas et sensitivas, appetitivas et cognoscitivas, passivas et activas, intellectum possibilem et agentem, 58.
Quin etiam inter potentias anorganicas diversorum angelorum, 58, 60.
Qualitates duplicis generis: naturales et supernaturales, 56.
Qualitates supernaturales geminae: quoad substantiam et quoad modum, 103.
Quoad substantiam sunt intrinsece et essentialiter supernaturales; quoad modum vero sunt extrinsece et accidentialiter tantum, 103.
Qualitates supernaturales quoad substantiam sunt duplicis classis: aliae ad modum habitus, ut gratia et virtutes infusae; aliae ad modum potentiae, ut characteres sacramentales, 103.
Ad modum habitus geminantur: aliae ad modum habitus entitativi, ut iustitia originalis et gratia sanctificans; aliae ad modum habitus operativi, ut virtutes infusae et dona Spiritus Sancti, 103-105.
Ad modum etiam potentiae duplicantur: aliae ad modum potentiae passivae, ut character baptismi; aliae ad modum potentiae activae, ut character confirmationis et character ordinis, 135-141.

Quantitas

Quantitas duplex: alia molis sive dimensiva et alia virtutis sive pefectionis, 5, 7, 12.

Quantitas dimensiva gemina: alia physica vel sensibilis et alia mathematica vel intelligibilis, 196, 199.
Utraque duplex: alia continua —magnitudo— et alia discreta —multitudo—, 5-6, 7, 12, 196, 198-199.
Quantitas dimensiva physica est primum accidens substantiae corporeae, 51.
Propinquissime se habet ad substantiam inter alia accidentia, 52.
Omne corpus naturale sive physicum, praesertim vivum, habet certum aliquem et determinatum terminum magnitudinis et augmenti, cum aliqua tamen latitudine, 52.
Quantitas continua pure ut mensurabilis et figurabilis, et non ut accidens substantiae corporeae, est obiectum Geometriae, 198.
Quantitas discreta ut numerabilis est obiectum Arithmeticae, 198.
Quantitas pura ut sic, secundum meram rationem mensurabilitatis aut numerabilitatis, est obiectum Mathematicae, 196, 197, 216.
Mensuratio et numeratio quantitatis purae continuae et discretae fit secundum rationes et proportiones, 196, 197.
Rationes et proportiones mathematicae sunt quaedam rationes intellectae, sive quaedam entia rationis obiective ad puram quantitatem ut sic pertinentia et limitata, 197.
Huiusmodi entia rationis habent fundamentum remotum in re, proximum vero in solo intellectu, 197.
Non possunt taliter qualiter inveniri in rerum natura, neque ex amussim convenire quantitati reali et physicae, 197.

Quantitas et qualitas

Quantitas respondet materiae, qualitas vero formae, 40 n.
Quantitas se tenet ex parte materiae, qualitas ex parte formae, 40 n.
Quantitas et qualitas sunt prima accidentia consequentia substantiam corpoream, et proportionantur duobus principiis essentialibus eius, scilicet materiae et formae, 40 n.

R

Ratio

Ratio oritur in umbra intelligentiae, 59.
Lumen intellectuale hominis, idest rationis eius, est obumbratum per continuum et tempus, 59.
Ratio particularis dicitur cogitativa, 61; quae est collativa intentionum individualium, 66 n.
Proprium rationis est cognoscere ordinem, 188, 215 n.
Ordinem cognoscere unius rei ad aliam rem est solius intellectus aut rationis, 188.
Ratio imponit modum omnibus viribus quae sub ipsa sunt, 93 n.

of Divinity Library

Ratio est causa et radix humani boni, 91.
Bonum rationis est bonum hominis, 91.
Hoc autem bonum rationis essentialiter habet prudentia, participative autem habent ceterae virtutes morales secundum quod magis vel minus accedunt ad praedictum bonum, 91.
Effective nempe bonum illud rationis dicitur de iustitia, conservative autem de fortitudine et temperantia, 91-92.
Oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, 107.

Rationale

Rationale est duplex: per essentiam et per participationem, 90.
Inter omnes creaturas principalius ordinantur ad bonum universi creaturae rationales, 217, 241; et potissime illae quae beatitudinem consequuntur, 241.
Rationalis Philosophia, 216. Vide *Logica*.

Relatio

Relatio est ordo, 14 n.

Res

Nomen *rei* exprimit quidditatem sive essentiam entis, 206.
Res significat entitatem realem prout dividitur in decem praedicamenta, 206.

Resonantia

Resonantia nominatur infimum cuiuslibet processionis, 62.

S

Sacerdotium

Tota plenitudo sacramenti ordinis est in sacerdotio, in aliis vero ordinibus est quaedam participatio eius, 46.

Sacramentum

Sacramentum ordinis est totum quoddam potentiale sive analogum, 140.

Sagacitas

Instinctus et sagacitas quorumdam animalium est aliqualis participatio rationis practicae ac veluti prudentia quaedam naturalis, 62.

Sanitas

Sanitas est habitus quidam entitativus corporis viventis, 51, 64, 120, 122.
Sanitas, quae est finis artis medicinalis, non facit medicum esse medicum, sed facit ut medicus sit efficiens, 174 n.
Medicus facit sanitatem esse in actu, non tamen facit quod sanitas sit finis, 174.
Sanum dicitur analogice, analogia attributionis, de animali, de diaeta et de medicina, 91 n.
Gratia sanans dicitur per analogiam proportionalitatis metaphoricae ad sanitatem corporis, 122-123.
Sanatio animae est effectus formalis secundarius gratiae habitualis, 123.

Sancti

Sancti Dei excellunt inter omnes partes universi, 237.
Sanctis Dei et electis omnia cooperantur in bonum, 236, 237.
Tam homines sancti in terra quam angeli et animae beatae in caelo sunt partes totius universitatis creaturarum, 237.
Potissime ordinantur ad bonum universi inter omnes creaturas sancti, idest creaturae rationales quae beatitudinem consequuntur, utpote immediatius attingentes ultimum finem, 241.

Sapientia

Nomen simpliciter sapientis illi soli reservatur cuius consideratio circa finem universi versatur, qui item est universitatis principium, 212.
Sapientia duplex: alia naturalis vel philosophica, alia supernaturalis vel theologica, 102.
Non conveniunt univoce, sed analogice tantum, 102.
Sapientia *naturalis* dicitur etiam Metaphysica, 96, 97 n, 103; et Philosophia Prima, 99, 99 n.
Est habitus intellectualis speculativus circa necessaria et primas causas rerum, 84 n.
Ut habitus, non consistit in solis speciebus intelligibilibus, sed importat etiam earum ordinationem activam et obiectivam, et facultatem sive habilitatem ad utendum ipsis, 81.
Est habitus conclusionum per demonstrationem acquisitus, 81.
Quantum ad essentiam habitus causatur uno solo actu demonstrationis presse dictae, 81.

of Divinity Library

Uno etiam actu erroris corrumpitur, si talis error cadat super medium primae conclusionis, quod est definitio essentialis proprii subiecti scibilis, 82.
Sapientia, scientia et intellectus, qui sunt habitus intellectuales speculativi circa necessaria, non ex aequo distinguuntur ad invicem sicut species alicuius generis univoci, sed ordine quodam prioris et posterioris sicut partes alicuius totius analogi, 95-96.
Sapientia se habet ad scientias et ad habitum principiorum ut totum potentiale vel supremum analogans ad partes potentiales vel inferiora analogata, 95-96.
Sapientia comprehendit in se et continet sub se intellectum principiorum et scientiam, 96.
Sapientia praefertur intellectui et intellectus scientiae, sicut prudentia synesi et synesis eubuliae, 96.
Sapientia superat intellectum primorum principiorum duplici ratione:
a) quia uberius explicat et profundius penetrat sensum terminorum e quibus illa prima principia coalescunt, 96, 97-98.
b) quia non solum utitur huiusmodi principiis indemostrabilibus sicut aliae scientiae, verum etiam de eis iudicat eorumque valorem ac veritatem defendit contra negantes et impugnantes, 96, 97, 97 n, 98.
Sapientia est simpliciter principalis inter omnes scientias, et virtus quaedam omnium scientiarum, 97, 99.
Est suprema inter omnes scientias, 97 n.
Superat scientiam ut ratio superior inferiorem, 98.
Considerat altissimas causas simpliciter, 98.
Iudicat et ordinat de omnibus scientiis non solum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia, 98, 99, 99 n.
Est una tantum, dum scientiae sunt plures, 98.
Est caput et regina omnium scientiarum, 99.
Est aliarum scientiarum rectrix et maxime regulatrix, 99 n.
Est aliarum princeps sive domina, 99 n; aliarum archetypus et coronamentum, 99; et quasi architectonica respectu omnium, 99 n.
Est dea scientiarum, 99, 99 n; ab ipsa omnes dependent, 99 n; scientia divina nominatur, 99 n; et ipsa tota ordinatur ad Dei cognitionem, 99 n.
Omnes aliae scientiae in eam ordinantur sicut in finem, 99 n.
Utitur omnium scientiarum documentis ad suum propositum ostendendum, 99 n.
Dirigit omnes alias scientias, 99 n; quae ab ea sua principia supponunt et mutuantur, 99 n.
Est aliarum scientiarum forma, utpote quae omnibus perfectionem et ultimum complementum impartitur, 99.
Haec tamen forma est alius rationis a forma prudentiae et caritatis respectu aliarum virtutum, 100.
Est forma speculativa tam in se quam ut recepta vel participata in aliis scientiis, 100.
Est supremus habitus operativus naturalis, quasi primum analogans, 100, 102.
Ei maxime ac perfectissime convenit ratio habitus operativi, 100.
Sapientia est potissima perfectio rationis, 188, 215 n.
Sapientis est ordinare, 188, 215 n.
Ordo est proprium atque formale obiectum sapientiae, 215.

Sapientis est potissime cognoscere ordinem et omnia secundum ipsum ordinate disponere, 215, 240.
Ad philosophiam qua Sapientiam pertinet ordinem perscrutari atque perpendere, 188.
Sapientia se habet ad ordinem dupliciter: active, in quantum ipsa facit ordinem quem considerat; et quasi passive, quatenus ipsa non facit talem ordinem, sed considerat tantum ordinem aliunde oblatum vel obiectum, 215.
Maxima sapientia et perfectio naturalis humanae mentis est cognoscere quantum possibile est ordinem totius universi et causarum eius, qui revera est ordo divinae Sapientiae, 241.
Ultima perfectio naturalis ad quam anima potest pervenire secundum philosophos haec est, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius, 242, 243.

Sapientia theologica vel *supernaturalis* gemina: alia formaliter supernaturalis et infusa, quae est donum Sapientiae; alia radicaliter tantum et originative supernaturalis, formaliter tamen studio acquisita, quae est Theologia Sacra, 102, 109-110 n, 129-130, 132-133.
Theologia Sacra est maxime Sapientia inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter, 103.
Est magis dicenda Sapientia quam Metaphysica, 103.
Non solum est de altissimis, sed ex altissimis, 103.
Ei omnes scientiae subservire debent, etiam Metaphysica, 103.
Una existens, est simul speculativa et practica, 103.
Qua ratione sit veluti supremum analogans omnium habituum operativorum naturalium, 103.
Est radicaliter et originative supernaturalis, formaliter tamen est habitus naturalis et acquisitus humano studio et labore ex principiis fidei theologalis, 102.

Donum Sapientiae est supremum inter cetera dona Spiritus Sancti, 130.
Superat cetera dona cognoscitiva, intellectus nempe, scientiae et consilii, eaque eminenter continet, 130, 132.
Complet quodammodo nativam imperfectionem fidei divinae quae obscura est et de non visis, praebendo quamdam intelligentiam sapidam et vitalem articulorum fidei, 130.
Donum Sapientiae procedit ad quamdam deiformem contemplationem et quodammodo explicitam articulorum, quos fides sub quodam modo involuto tenet, 130.
Donum Sapientiae est forma ceterorum donorum Spiritus Sancti, 126.

Scientia

Scientia est cognitio rerum per causas, 187.
Est habitus conclusionum per demonstrationem acquisitus, 81.
Ad philosophiam qua scientiam pertinet ex causis veritatem cognoscere definiendo et demonstrando, 187-188.
Scientia una continetur sub alia dupliciter; ut pars quaedam integralis eius, vg. scientia de plantis sub scientia Naturali; et ut ei subalternata, quatenus ab illa accipit principia, 201 n.

Scientia subalternans et scientia subalternata se habent ad invicem ut superior et inferior in propria ratione sciendi et modo demonstrandi: quia subalternans demonstrat *propter quid*, subalternata vero demonstrat *quia*, 201 n.
Scientia subalternata supponit conclusiones probatas a scientia subalternante, eisque utitur ut principiis ad suas proprias conclusiones inferendas, 202.
Scientia subalternata non est perfecta nisi continuetur cum scientia subalternante, 202.
Ad scientiam subalternatam perfectam duo cumulative requiruntur, scilicet accipere propria principia a scientia subalternante, et cum eadem connecti et continuari, possidendo ipsam, 202.
Conclusiones scientiae subalternantis sola fide humana acceptae non sufficiunt ad fundandam scientiam subalternatam: quod si fide divina teneantur, possunt scientiam subalternatam fundare, licet in statu imperfecto, 202.
Theologia Sacra viatorum subalternatur theologiae Dei et beatorum, et est vera scientia, licet in statu imperfecto, 202-203.
Eiusdem scientiae est considerare causas proprias alicuius generis subiecti et genus ipsum, 211.
In scientiis speculativis medium demonstrationis propter quid sive perfecte demonstrans est unum tantum, 81 n.

Scintilla animae

Superior pars rationis, scintilla dicitur, 59, 60.
Sicut scintilla est modicum ex igne evolans, ita haec pars superior rationis est quaedam modica participatio intellectualitatis respectu eius quod de intellectualitate in angelo est, 59, 60.
Id quod primum et supremum in ratione est, modica participatio est intellectus infimi angeli, 60.

Sensibile

Sensibile duplex: per se et per accidens, 33.
Sensibile autem per se geminum: sensibile proprium et sensibile commune, 33.

Sensus

Sensus dati sunt homini non solum ad vitae necessaria, sed etiam ad cognoscendum, 193.
Sensus sunt praeambula et quasi dispositiones praeviae ad operationes intellectus et voluntatis, 190.
Sensus sunt propter intellectum et non e converso, 214.

Deficiente aliquo sensu, deficit scientia eorum quae apprehenduntur secundum illum sensum, 191.
Sensus est quaedam deficiens participatio intellectus, 62, 214.

Situs

Situs est ordo partium in loco, 60.

Species

Species sunt potiores individuis et per se ordinantur ad perfectionem universi, 154.
Species sunt essentialiter inaequales, 7-8, 44.
Species differunt formaliter sive essentialiter, 41.
Species se habent inter se sicut differentiae specificae quibus constituuntur, 44.
In omnibus speciebus unius generis semper una invenitur perfectior alia, 41.
Species gradatim naturam entis possidunt, 7.
Species sunt gradatim et essentialiter ordinatae, 7-8, 40, 224.
In singulis generibus, secundum gradum perfectionis naturalis, diversitas specierum invenitur, 42.

Species intelligibilis duplex: impressa et expressa, quae etiam verbum mentis appellatur, 72.
Species intelligibiles impressae sunt effectus abstractionis intellectus agentis, 72.
Sunt principium formale quo intellectus possibilis informatur et fecundatur ut in actum intelligendi prorrumpat, 70, 72.
Sunt principium et causa intellectionis una cum intellectu possibili quem complet et fecundat, 72.
Sunt primum *quo* intelligitur, itemque similitudo rei intellectae, 70.
Recipiuntur in intellectu possibili immobiliter, per modum formae quiescentis et permanentis, 70.
Possunt esse in intellectu possibili in triplici veluti statu, scilicet in potentia, in actu et in habitu, 71-72.
Requiruntur semper ad omnem actum naturalem intellectus possibilis, 70.
Sunt de ratione omnis habitus intellectualis humani ordinis naturalis, 72, 108-109.
Requiruntur semper et in omnibus habitibus intellectualibus acquisitis, 108.
Habitus intellectus primorum principiorum speculativorum et synderesis consistit in solis speciebus intelligibilibus impressis suorum terminorum, 108.
Una sola species inchoative tantum et imperfecte habet rationem habitus intellectualis, sicut et simplex apprehensio cui correspondet non pertingit ad operationem propriam habitus, quae in iudicio sita est, 73.
Non semper neque essentialiter requiruntur in habitibus cognoscitivis supernaturalibus vel infusis, 108-109.

Quandoque excluduntur omnino, ut in lumine gloriae, 108; nonnumquam adesse et abesse possunt salva eorum essentia, ut in habitu fidei theologicae in adultis credentibus et in parvulis rite baptizatis, 108; saepissime sunt naturales et acquisitae, cum tamen habitus sint quoad lumen intelligibile essentialiter supernaturales, 109.
Analogia quaedam eorum cum prophetia, 109.
Species expressa est verbum mentis sive verbum interius, 72, 72 n.
Est effectus intellectus possibilis, terminus cognitionis et primum *quod* intelligitur, 72, 72 n.
Non est proprie et essentialiter habitus, sed habitualiter retineri potest; et ideo improprie tantum et per metonymiam potest dici habitus, 72. Vide *Habitus intellectualis.*

Spes

Spes duplex: humana sive naturalis, et christiana sive supernaturalis vel theologica, 128-129.
Analogia proportionalitatis propriae inter eas, 129.
Actus spei christianae est exspectare futuram beatitudinem a Deo, 129.
Spes est maior quam fides, 134.

Spiritus

Nomen spiritus a respiratione animalium sumptum videtur, 54.
Eius evolutio semantica, 54, 54-55 n.
Nomen spiritus positum est ad significandam subtilitatem alicuius naturae, 54 n.
Spiritui Sancto appropriatur caritas, 37.

Studium

Studium est animi assidua et vehemens ad aliquam rem magna cum voluntate applicatio, 187 n.

Subiectum

Subiectum inhaesionis formae accidentalis —materia *in qua*— duplex: primum, *quod*, substantia prima; et secundum vel secundarium, *quo*, unum accidens alius vel aliorum accidentium, 28, 29, 212-213.
Esse subiectum inhaesionis per prius et perfectius tam extensive quam intensive convenít substantiae quam uni accidenti respectu alius vel aliorum, 29, 31-32.
Substantia est subiectum inhaesionis omnium accidentium; accidens vero non omnium, sed alicuius vel quorumdam tantum, 29.

Illamet accidentia, quae simul subiectantur in substantia et in alio accidenti priori, substantia sustentat per seipsam, accidens vero prius non-nisi vi substantiae, 29, 30.
Substantia corporalis habet quod sit subiectum accidentium ex materia prima, cui primo convenit subiici alteri, 31 n.
Esse subiectum inhaesionis convenit subiecto primo et secundo sive substantiae et accidenti analogice, analogia attributionis intrinsecae, 31-32.

Subsistere

Subsistere dicit determinatum modum essendi, prout scilicet aliquid est per se et in se et non in alio sicut accidens, 214.

Substantia

Substantia est res vel essentia cui convenit esse in seipsa et non in alio sicut in subiecto, 206-207, 212.
Substantia est primum subiectum et fundamentum omnium accidentium, nempe subiectum *quod* et radicale, 212.
Est fundamentum et basis omnium accidentium, 214.
Ei conveniunt duo respectu accidentium: substare illis, eaque sustentare vel sustinere, 214.
Substantia est causa finalis suorum accidentium, quatenus accidentia sunt propter substantias, ut per ea perficiantur, 213.
Est etiam eorum causa efficiens, quatenus est principiorum ipsorum, 213.
Omnia accidentia consequuntur substantiam sicut principium et causam, 213.
Substantia est causa proprii accidentis, et finalis, et quodammodo activa, et etiam materialis *in qua*, in quantum est susceptiva eius, 214.

Substare

Substare idem est quod sub alio stare vel sub alio poni, 214 n.
Substare accidentibus convenit substantiae primae, quia accidentia sunt in ipsa, et ipsa non est in alio sicut in subiecto, 214.
Substantia substernitur omnibus accidentibus, 214 n.

Subtile

Subtile dictum est primo de filo tenuissimo atque delicatissimo quod tramam penetrat undique, atque ideo *sub tela* transit, 55.
A virtute penetrandi est assumptum hoc nomen, 55.
Eius evolutio semantica: corpus subtile, visus subtilis, intellectus subtilis, argumentum subtile, 55.

of Divinity Library

Superius

Superiora sunt formalia respectu inferiorum, 93.

Sustentare

Sustentare vel sustinere convenit substantiae respectu accidentium, quia ab ipsa et in ipsa tenentur, 214.
Accidentia sustentantur in esse subiecti vel substantiae, 213.

Syllogismus

Syllogismus apodicticus constat ex propositionibus necessariis, ex eisque procedit, 81.
Causat scientiam conclusionis, 81, 98.
Syllogismus dialecticus vel mere probabilis non constat neque procedit ex propositionibus necessariis, sed probabilibus vel contingentibus tantum; et ideo non causat scientiam, sed meram opinionem tantum, etiamsi pluries repetatur, 83-84.

Synderesis

Synderesis est habitus primorum principiorum practicorum, 73, 75, 77, 78-80.
Principia practica syndereseos sunt naturalia principia iuris naturalis, 80 n.
Dicitur quandoque scintilla animae, 60.

Syntaxis

Syntaxis est ordo partium orationis grammaticalis, con-structio nempe vel co-ordinatio, 4.

T

Termini

Termini primorum principiorum: ens et non-ens, unum et non-unum, bonum et non-bonum, 96.

Eorum cognitio vulgaris et exercita est naturalis, superficialis et confusa; sapientialis vero sive philosophica et signata est acquisita, profunda et distincta, 96.
Sunt primo cogniti confuse et imperfecte per simplicem apprehensionem; ultimo autem cogniti cognitione perfecta et distincta, per viam indicii, 96.
Prima cognitio est facillima et omnibus communis; secunda vero est difficillima et solis metaphysicis propria, 96-97.
Veritas et cognitio horum principiorum dependet ex ratione suorum terminorum, 97.
Secundum maiorem capacitatem intellectus, unus magis cognoscit virtutem principiorum quam alius, 97.

Theologia

Theologia duplex: alia naturalis sive pure philosophica, quae non considerat Deum directe ut obiectum proprium, sed indirecte et in obliquo ut principium et causam entis finiti divisi in decem praedicamenta, et reducitur ad Metaphysicam; alia supernaturalis, quae ex revelatione et fide divina procedit, et haec considerat Deum directe et propter seipsum, ut obiectum proprium atque directum, 210. Vide *Sapientia*.
Theologia naturalis, semel demonstrata existentia Dei veluti causa prima efficiens et ultimus finis omnium rerum, demonstrat consequenter Deo convenire quaecumque sunt de ratione primae causae et ultimi finis: vg. Deum creare ex nihilo res omnes, eas conservare in esse semel accepto; ipsas movere in omnibus operationibus suis, atque in omnibus esse immediate et intime praesentem; Deum quoque, utpote finem ultimum omnium, omnia convertere atque dirigere ad seipsum, ac proin de omnibus et singulis providentiam habere, eaque sapientissimo consilio regere et gubernare, 212.
Theologiae Sacrae obiectum materiale duplex: principale et secundarium, sive Deus et creaturae, 34.
Haec duo obiecta analogantur analogia attributionis intrinsecae, 34-35.
Theologia viatorum est scientia subalternata scientiae Dei et beatorum, 202-203.

Thomas, S.

S. Thomas est Doctor Communis Ecclesiae in re philosophica et theologica, 1.
Plus ceteris videtur attigisse ordinem totius universi et causarum eius, 243.
Mirabilem doctrinae ordinem in suis operibus adinvenit, 243.
Hic doctrinae ordo maxime relucet in sua Summa theologiae, 35.
Doctor ordinis per antonomasim salutatus est, 243.
Cum ergo sapientis sit ordinare et ordinem cognoscere, S. Thomas iure meritoque sapientissimus est habendus, 243.

Totum

Totum potentiale, potestativum vel virtuale, unde dicatur, 63-64.
Eius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio eius, 46.
Tota virtus totius potentialis consistit in una partium perfecte, in aliis autem partialiter et imperfecte, 46.
Est analogum analogia attributionis intrinsecae, quia adest quidem secundum essentiam cuilibet parti, sed secundum completam virtutem est in parte suprema, quandoquidem superior potentia habet in se completius ea quae sunt inferiorum, 46.
Partes totius potestativi non ex aequo distinguuntur ab invicem, sed ordine quodam prioris et posterioris, 46.
Partes totius potestativi vel analogi sunt partes potentiales vel analogae, quae imperfecte et inaequaliter participant perfectionem totius; partes vero totius universalis sunt partes subiectivae vel species, quae perfecte et aequaliter participant perfectionem totius, 62, 63-64.
Anima rationalis est totum potestativum relate ad animam sensitivam et ad animam vegetativam, 45-47.
Similiter anima rationalis relate ad potentias eius, et gratia habitualis relate ad virtutes infusas, 135.
Sacramentum ordinis est totum potestativum relate ad singulos ordines, 46.
Tota plenitudo ordinis est in uno ordine, scilicet in sacerdotio, in ceteris vero est quaedam ordinis participatio, 46, 140.
Votum est totum potentiale relate ad votum privatum et publicum, itemque simplex et solemne, 46.

Tractio

Trahere dicitur quod movet alterum ad seipsum, 164 n; illud ad-trahendo et ad-liciendo, 165.
Tractio est motus mobilis *ad* moventem, qui ideo se habet ad ipsum ut terminus *ad quem*, 164 n.

Trama

Trama est ordinata immixtio seriei rectae et transversae filorum, quae orditura vel contextura dicitur, 4.

Transcendentalia

Transcendentalia dicuntur quae communia sunt omnibus et singulis praedicamentis, quin tamen in eis claudantur, sed potius superexcedant, ut ens, unum, verum et bonum, 75-76 n.

U

Ultimum

Ultimum in generatione est primum in intentione, 175.
Primum in intentione est ultimum in executione, 175.

Unitas

Unitas est prima mensura numeri, qua omnis numerus mensuratur, 198.
Unitas respondet formae, 198.
Unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem, 198.

Univocum

Genus univocum dividitur in species suas, ex aequo participantes rationem generis, 89.
Univocitas dicitur uno modo tantum, μοναχῶς, 53.
Univocitas maxime convenit speciebus atomis, 45.
Nihil dicitur univoce de rebus toto genere differentibus, puta de substantia et accidenti, de temporalibus et aeternis, de naturalibus et supernaturalibus, de Deo et creaturis, 3.

Universum

Universum dicitur ab uno —multa versus unum— 237 n.
Nomine totius universitatis creaturarum intelliguntur omnia omnino creata, tam corporalia quam spiritualia, tam visibilia quam invisibilia, tam naturalia quam supernaturalia, solo Deo excepto, 217.
Universum est unum, non unitate substantiae sed unitate ordinis, secundum quod singulae eius partes sunt ordinatae inter se et omnes simul ad Deum, 237.
Unitas universi procedit ab unitate divinae mentis, 237.
Universum est primum et maximum exemplatum a Deo, 154.
Bonum universi est bonum ordinis, 218.
Et quidem duplex: immanens, sive partium universi ad invicem; et transcendens, sive totius universi ad Deum, qui est eius finis et causa, 218.
Utrumque bonum est bonum commune, unumquodque suo modo, 219.
Post divinam bonitatem, quae est bonum commune transcendens et separatum, optimum in rebus creatis est ordo immanens universi, 219.
Totum universum constituit optimum secundum modum creaturae, 154.
Bonum universi est a Deo volitum secundum se, et ad ipsum ordinantur omnes partes universi, 237.

Quidquid fit in mundo, etiamsi malum sit, cedit in bonum universi, 236.
Perfectio universi est id quod praecipue Deus intendit in rerum creatione, 218.
Universum est perfectius in bonitate quam intellectualis creatura extensive et diffusive, sed intensive et collective similitudo divinae bonitatis magis invenitur in intellectuali creatura, 227.
Similitudo divinae bonitatis quantum ad nobilissimas participationes ipsius, non resultat in universo nisi ratione nobilissimarum partium eius, quae sunt intellectuales naturae, 227.
Inter partes universi minus nobiles ordinantur ad nobilissimas, de quibus propter se Deus curam habet, de aliis autem propter ipsas, 237.
Inter omnes creaturas principalius ordinantur ad bonum universi creaturae rationales, et potissime illae quae beatitudinem consequuntur, 241.
Inter omnes partes universi excellunt sancti, 237; de quibus Deus propter seipsos curam habet, de aliis autem propter ipsos, 237; et ideo quidquid accidit vel circa ipsos vel circa alias res, totum in bonum eorum cedit, 237.
Perfectio universi duplex: prima, quae consistit in partibus essentialibus eius et diversis speciebus; et ultima, quae est consummatio ordinis beatorum, 236.
Ultima perfectio, quae est finis totius universi, est perfecta beatitudo sanctorum, 236.

Unum

Unum et non-unum sunt termini principii identitatis, 74.
Unum et non-unum est sensibile per accidens et intelligibile per se, 74.
Ab uno naturaliter non exit nisi unum, 60.

V

Verbum

Verbum mentis nostrae est terminus cognitionis et primum *quod* intelligitur, 72, 146, 146 n.
Dicitur etiam species expressa, 72, 146.
Verbum Dei est ipse conceptus Dei, quo seipsum et alia cognoscit, 159.
Verbum Dei est unum et unicum, eoque dicit Seipsum et creaturas omnes; licet Seipsum primario, et creaturas secundario atque ex consequenti, 152.
Unicum Verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum, 152 n.
Universitas creaturarum convenienter respondet Verbo, idest conceptui sive ideae Dei, sicut artificiatum arti suae, 159.
Incarnatio Verbi Dei est miraculum miraculorum, quia est maius omnibus miraculis, 234.
Ad istud miraculum ordinantur omnia alia miracula sicut in finem, 234.

Veritas

Veritas speculativa consistit proprie in adaequatione rei et intellectus, 86-87.

Veritas prudentiae est veritas practica, non speculativa, 86.

Consistit huiusmodi veritas in adaequatione vel conformitate rationis practicae cum appetitu recto finis, 87.

Vires

Vires mere naturales, etiam rite excultae per habitus et virtutes acquisitas, nequeunt ex se quidquam essentialiter supernaturale producere, idest nullum actum salutarem neque meritorium vitae aeternae elicere, 106.

Id quod potest vis inferior potest et superior, non similiter et eodem modo, sed sublimius et superiori modo, 63, 229.

Virgo Beata

Beata Virgo est pars quaedam universi, et quidem principalissima, 218.

Virtus

Definitio perfecta virtutis sumitur ex omnibus causis eius, 200.

Virtus non habet materiam presse dictam *ex qua*, sed solum large et analogice sumptam, scilicet *in qua* —subiectum psychicum— et *circa quam* —obiectum materiale—, 200.

Virtus determinatur ad speciem per obiectum eius formale, 200.

Generatim virtus est habitus operativus bonus, idest semper se habens ad bonum et numquam ad malum, 200, 201.

Virtutis duplex genus supremum: aliud naturalium seu acquisitarum, aliud supernaturalium seu infusarum, 56, 64, 103.

Perfecta definitio virtutis acquisitae ex omnibus causis eius: bonus habitus mentis quo recte vivitur, quo nemo male utitur, quem nos ipsi propriis actibus comparamus, 200.

Item definitio perfecta virtutis infusae: bonus habitus mentis quo recte vivitur, quo nemo male utitur, quem Deus in nobis sine nobis operatur, 201.

Brevis et vera definitio virtutis infusae iuxta S. Augustinum est: ordo amoris, 133; vel etiam: summus amor Dei, 134.

Virtutes infusae et acquisitae differunt multipliciter:

a) *ratione sui:* virtutes infusae propria essentia sua incomparabiliter superant omnes virtutes acquisitas. Virtus namque acquisita non est maximum bonum simpliciter, sed tantum in genere bonorum *humanorum;* virtus autem infusa est maximum bonum *simpliciter*, in quantum per eam ordinamur ad Deum qui summum bonum est, 118.

of Divinity Library

b) *per comparationem ad naturales potentias animae quibus inseruntur:* virtutes acquisitae sunt inferiores naturalibus potentiis intellectus et voluntatis erga propria et formalia obiecta; infusae vero exsuperant omnes naturales vires ac potentias animae, 112, 113, 114:

Virtutibus namque acquisitis nobilior est naturalis inclinatio et ordinatio intellectus et voluntatis ad bonum; at vero virtutes infusae sunt nobiliores et ad melius bonum ordinatae quam naturales potentiae, 114;

c) *ratione efficacitatis ad bonum faciendum et malum vitandum:* virtutes infusae sunt potentiores et efficaciores quam acquisitae, quia semper possunt implere omnia mandata naturalia et supernaturalia et vitare omne peccatum mortale; virtutes vero acquisitae non possunt implere mandata supernaturalia, neque ab omni peccato mortali declinare semper, sed ut in pluribus tantum, 116-117:

Virtus infusa facit quod nullo modo obediatur concupiscentiis peccati, et hoc infallibiliter ipsa manlate; sed virtus acquisita deficit in hoc, licet in paucioribus, 117-118;

d) *ratione causae efficientis:* virtutum acquisitarum praeexistunt in nobis quaedam semina vel principia secundum naturam, quae nobiliora sunt ipsis virtutibus; non autem virtutum infusarum, quarum semen est gratia a solo Deo supernaturaliter nobis collata, 113:

Causa efficiens virtutis infusae Deus est; acquisitae vero sunt nostri proprii actus, 200, 201:

Virtutes infusae directe et immediate procedunt a solo Deo ut auctore ordinis supernaturalis, 114:

Non tamen creantur *proprie* loquendo, sed educuntur supernaturaliter a Deo ex potentia obedientiali facultatum animae quibus insunt, 115:

Nihilominus possunt dici *moraliter* creari in quantum nobis infunduntur a Deo ex nihilo meriti nostri, 114-115 n:

Virtutes per se infusae profluunt ex gratia habituali cum qua simul infunduntur, sicut potentiae naturales ex anima cum qua simul concreantur, 106.

Causantur et infunduntur a Deo uno ictu et in instanti; acquisitae vero, praesertim morales vel consuetudinales causantur pedetentim pluribusque actibus successivis, 69, 115;

e) ratione *status* vel modi *essendi* in subiecto et *operandi* cum eo: in acquisitis moralibus vel consuetudinalibus non separantur ratio habitus et status vel modus habitualis essendi in subiecto; dum in infusis separari possunt, ita ut detur revera habitus virtutis sine modo vel statu habituali in subiecto, 115-116:

Acquisitae, consequenter, facilitatem, promptitudinem et delectationem in operando secum ferre solent; quod tamen non semper accidit in exercitio virtutum infusarum, quando scilicet nondum adeptae sunt modum sive statum habitualem in subiecto, 116;

f) *ratione medii obiectivi eas cognoscendi:* virtutes acquisitae sunt nobis naturaliter cognoscibiles, ac de eis phlosophi multa locuti sunt; infusae vero non sunt nobis cognoscibiles nisi sola divina revelatione, ac de ipsis nihil philosophi noverunt, 119.

Specialis comparatio inter virtutes cardinales vel morales infusas et acquisitas, 110-114.

Virtutes cardinales infusae et acquisitae conveniunt in materia *in qua*

et *circa quam*, sed differunt essentialiter sive in forma multiplici modo, 110, 111, 111 n:

a) *ex parte regulae vel mensurae:* pro acquisitis est regula rationis humanae naturalis, dum pro infusis est regula rationis et legis divinae supernaturalis, 110-111, 111 n:

Pro acquisitis est regula rationis inferioris, dum pro infusis est regula rationis superioris, 111 n;

b) *ex parte finis:* pro acquisitis est finis naturalis vitae praesentis, dum pro infusis est finis supernaturalis et ultimus futurae vitae, 111 n:

Per virtutes acquisitas ordinatur homo ad vitam civilem, per infusas vero ad vitam caelestem, 113;

c) *ex parte subiecti quod* regulandi et ordinandi in finem: pro acquisitis est homo ut animal rationale et sociale et per comparationem ad res humanas; dum pro infusis est homo ut filius Dei, et civis sanctorum, et domesticus Dei, et membrum Christi, et templum Spiritus Sancti, et heres Dei, et per comparationem ad res divinas, 111, 111 n, 112, 114.

Convenientia utriusque generis virtutis in subiecto psychico *quo* et in obiecto materiali solum fundare potest analogiam quamdam proportionalitatis, cum revera toto caelo differant nedum moraliter verum etiam psychologice, 113-114.

Virtus appetitivae partis est quaedam dispositio sive forma sigillata et impressa in vi appetitiva a ratione, 92.

Est sigillatus quidam ordo prudentiae in inferioribus viribus, 93.

Inferiores vires non perficiuntur perfectione virtutis nisi per participationem perfectionis a superioribus, 93.

Virtus in viribus appetitivis nihil est aliud quam quaedam conformitas istarum potentiarum ad rationem, 94.

Virtus moralis nihil est aliud quam participatio quaedam rationis rectae in parte appetitiva, 95.

Virtutes cardinales non conveniunt univoce, sed analogice tantum, analogia attributionis intrinsecae, 88-95.

Bonum morale —humanum, rationis— per prius dicitur de prudentia —essentialiter, formaliter— et participative de ceteris, nempe effective de iustitia et conservative de fortitudine et temperantia, 91-92; et quidem participatione reali et intrinseca, et non per meram denominationem extrinsecam, 92.

Virtutes mere morales acquisitae appetitus, scilicet iustitia, fortitudo et temperantia, sunt essentialiter connexae cum prudentia, 85.

Sunt essentialiter consuetudinales, et ideo non acquiruntur uno solo actu neque amittuntur uno solo actu contrario, etiam peccati mortalis, sed pluribus, 85-86.

Rationem habitus induunt potius ex parte modi vel status habitualis in subiecto quam ex parte sui, 86.

Plus differunt virtutes morales ab arte quam a prudentia, 95; separari possunt ab arte, non a prudentia, 95.

Ita se habent virtutes inter se sicut earum propria obiecta e quibus specificantur, 95.

Virtutes intellectuales in ratione habitus excedunt virtutes mere morales appetitus, 130.

of Divinity Library

Visus

Obiectum totale et adaequatum visus est omne coloratum, 32.
Visus subtilis dicitur qui aliquid minimum potest pertingere, 55.
In visione beatifica nulla intercedit species intelligibilis creata, 70 n.

Vita

Vita gratiae et virtutum infusarum est mysterium intrinsece et essentialiter supernaturale, quod nisi revelatum divinitus, nobis innotescere non potest, 118.

Illud tamen, fide praeeunte et illustrante, possumus aliqualiter intelligere et explicare ex analogia eorum quae naturaliter cognoscimus, scilicet habituum acquisitorum, 118.

Voluntas

Voluntas naturaliter sequitur intellectum, quia nihil volitum quin praecognitum, 60.
Voluntas proprie in intellectu est, 60.
Obiectum voluntatis totale et adaequatum est omne bonum, 32.
Proprium et formale obiectum voluntatis est finis, 203-204 n.
Obiectum et quasi forma voluntatis est finis, 205.
Voluntas ut natura et voluntas ut ratio vel libera, 68, 69.
Voluntas ut natura non eget habitu ad recte appetenda propria et connaturalia eius obiecta, ut est bonum sive beatitudo in communi, ad quae est naturaliter et necessario ordinata, et non operatur mediantibus speciebus intelligibilibus superadditis sicut intellectus possibilis, 68.
Ut ratio tamen sive ut libera, scilicet ad illa bona recte amanda et appetenda quae bonum proprium et individuale appetentis transcendunt, ut sunt bona aliorum hominum, eget habitu virtuoso qui appellatur iustitia, 68, 69.
Quae quidem virtus est essentialiter consuetudinalis, 68-69.
Voluntas humana, una existens, porrigitur ad multa alia, eaque altiora, ad quae non se extendunt appetitus concupiscibilis et irascibilis, 63.
Voluntas angelica, una existens, ad plura et perfectius se extendit quam humana voluntas et appetitus sensitivus simul, 63.

Votum

Votum est totum potentiale sive potestativum, 46.
Dividitur in privatum et publicum, itemque in simplex et solemne, ut totum potestativum in partes potentiales, 46; et quidem divisione analoga, sicut ens in substantiam et accidens, 46.
Praedicatur secundum prius et posterius de suis dividentibus, 46.